





7a 8-3.

145836320



BIBLIOTECA UNIVERSITARIAL REAL	
GRANADA	
Sala:	<u>A</u>
Estante:	<u>28</u>
Número:	<u>318</u>







R. P. *Compoſto el Re. Pedro
de Montongos*

MARTINI

B E C A N I *Aiono*

De la Compa de Jesu de Granada
SOCIETATIS IESV

Theologi, *Pz - 9999*

O P V S C V L O R V M

Theologicorum,

TOMVS QVARTVS.



L V G D V N I,

Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE,
sub signo SS. Trinitatis.

M. D C X X I.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

И Г Е А М

ДЛЯ СЕБЯ
ВСЕГО ЧЕРНОГО
ЧИСЛА

ЧИСЛОВОГО

ЧИСЛОВОГО

ЧИСЛОВОГО



ЧИСЛОВОГО ЧИСЛОВОГО ЧИСЛОВОГО

ЧИСЛОВОГО ЧИСЛОВОГО ЧИСЛОВОГО



INDEX

*O P V S C V L O R V M ,
quaæ hoc Volumine quarto
continentur.*

- I. Tituli Caluinistarum. p. 1.
- II. De primatu Ecclesiæ Regio, Exam
men concordiæ Anglicanæ. p.
209.
- III. Epistola ad Ioannem Sartorium
Ministrum Lutheranum, De
institutione & usu Sacrosanctæ
Eucharistiæ. 324.
- IV. Ad D. Georgium N. nuper ex
Caluiniano factum Catholi
cum, De comparatione Eccle
siæ & Synagogæ, Epist. p. 354.
- V. Ad illustrem virum, De oratione
pro defunctis Epistola. p. 361.



INDEX CAPITVM,
QVÆSTIONVM, OBIECTIO-
NV M ET CÆTERORVM, QVÆ
Opusculis quarti Voluminis
continentur.

OPVS CVLVM PRIMVM.

- T**ituli Caluinistarum. p. 1.
Titulus primus Euangelici. p. 2.
Questio 1. Quare Euangelici vocent se Euange-
licos. p. 2.
Questio 2. An soli Caluinista sint Euangelici. p. 6.
Quest. 3. Vnde Euangelici acceperint Euangeliū. p. 8.
Quest. 4. An Euangelici habeant integrum Euangeliū.
p. 9.
Quest. 5. An Euangelici habeant legitimam Euangeliū
versionem p. 20.
1. Vitium nouarum versionum. p. 24.
2. Vitium p. 25.
3. Vitium p. 26.
4. Vitium p. 27.
5. Vitium p. 28.
6. Vitium p. 29.
7. Vitium p. eadem.
8 Vitium. p. 30.
9. Vitium p. 32.

Index Cap. Questionum,

- Quæst. 6. An Euangelici habeant verum sensum Euangelij. p. 32.
- Quæst. 7. Quomodo Euangelici argumententur ex Euangeliō. p. 41.
- De traditionibus. ibid.
- De fide iustificante. p. 46.
- De libero arbitrio. p. 48.
- De communione sub utraque specie. p. 49.
- De invocatione Sanctorum. p. 51.
- De Antichristo. p. 53.
- De Ecclesia. p. 55.
- De capite Ecclesiæ. p. 57.
- De Primatu Ecclesiæ Regio. p. 59.
- De fide parvolorum. p. 62.
- De esu carnium. p. 63.
- De matrimonio. p. 64.
- Quæstio 8. An Euangelici ex solo Euangeliō possint suam doctrinam confirmare. p. 66.
- Quæst. 9. An Euangelici ex solo Euangeliō possint suas controvèrsias dirimere. p. 70.
- Quæst. 10. An Euangelici in vita & morib[us] sint conformes Euangeliō. p. 73.
- Secundus Titulus Reformatio proponitur. pag. 80.
- Quæstio 1. An Caluinistæ reformati Ecclesiam. p. 80.
- Quæstio 2. Qua autoritate Caluinistæ reformati Ecclesiam. p. 82.
- Quæst. 3. Quam regulam seruent Caluinistæ in reformatione Ecclesiæ. p. 86.
- Quæst. 4. Quomodo Caluinistæ reformati sacram Scripturam. p. 87.
- Quæst. 5. Quomodo Caluinistæ reformati Symbolum fidei. p. 88.
- Quæst. 6. Quomodo Caluinistæ reformati doctrinam San

& summariorum.

Sanctissimorum Patrum. p. 90.

Quæst. 7. Quomodo Calvinistæ reformarint Sacramenta. p. 93.

Quæst. 8. Quomodo Calvinistæ reformarint ceremonias Sacramentorum. p. 98.

Quæst. 9. Quomodo Calvinistæ reformarint ministros Ecclesiæ. p. 103.

Quæst. 10. Quomodo Calvinistæ reformarint Templa & Monasteria. p. 112.

Quæst. 11. Quomodo Calvinistæ reformarint festa. p. 122.

Quæst. 12. Quomodo Calvinistæ reformarint ieiunia. p. 125.

Tertius Titulus Orthodoxus id est. A Deo docti proponitur. p. 127.

Quæstio 1. Qualis sit Spiritus Calvinistarum. p. 129.

Quæst. 2. An Calvinistæ per priuatum Spiritum certi sint de sua iustitia, & prædestinatione. p. 130.

Quæst. 3. An Calvinistæ per priuatum Spiritum norint discernere inter Scripturas canonicas, & non canonicas. p. 135

Quæst. 4. An Calvinistæ per priuatum Spiritum possint dirimere omnes controversias fidei ac religionis. p. 137.

Quartus Titulus Orthodoxi, proponitur. p. 139.

1. Paradoxum Calvinisticum p. 140

2. Paradoxum. p. 141.

3. Paradoxum. p. 142.

4. Paradoxum. p. 143.

5. Paradoxum. p. 144.

6. Paradoxum. p. 145.

7. Paradoxum. ibid.

8. Paradoxum. p. 146.

9. Paradoxum. p. 147.

Index Cap. Quest.

10. *Paradoxum. ibid.*
11. *Paradoxum. p. 148.*
12. *Paradoxum. p. 149.*
13. *Paradoxum. p. 150.*
14. *Paradoxum. ibid.*
15. *Paradoxum. p. 154.*
16. *Paradoxum. p. 156.*
Atheismus Calvinistarum primus. p. 156.
Atheismus secundus. p. 160.
Atheismus tertius. p. 164.
Atheismus quartus. p. 167.
Atheismus quintus. p. 169.
Titulus quintus Zuingiani ponitur. p. 172.
Quest. 1. Qualis fuerit Zwinglius. p. 172.
Quest. 2. Quo preceptore usus sit Zwinglius. p. 174.
Quest. 3. Quomodo Zwinglius mortuus sit. p. 177.
Titulus sextus Sacramentarij proponitur. p. 181.
Quest. 1. Vnde orti sint primi Sacramentarij. p. 182.
Quest. 2. Quales fuerint primi Sacramentarij. p. 183.
Quest. 3. A quo Sacramentarij hauserint suam doctrinam. p. 186.
Quest. 4. Quomodo Sacramentarij conati sint suam sciam prorogare. p. 188.
Titulus septimus Caluinistæ. p. 192.
Titulus octauus Geusij. p. 198.
Titulus nonus Hugonotæ. p. 199.
Titulus decimus Puritani. p. 202.
Titulus undecimus Picarditæ. p. 207.
-

OPVS CVLVM SECUNDVM.

*De Primatu Ecclesie Regio, examen concordia Anglicana
in Richardum Harris prædicantem Anglicanum &
eiusdem*

& summariorum.

- eiudem concordie Architectum. p. 209.
Examen inscriptionis. p. 210.
Examen epistola dedicatoria. p. 211.
De Principe Aurasco. p. 215.
De Stephano Botskay. p. 217.
De Henrico III. p. 218.
De Henrico IV. p. 220.
De Sebastiano Lusitanie Rege. p. 223.
De Sigismundo Poloniae Rege. p. 225.
De Ferdinando Archiduce Austriae. p. 226.
De Guilielmo Bauarie dnce. p. 229.
De Venetis. p. 232.
De Anglis. p. 233.
Noua accusationis capita. p. 235.
Primum accusationis caput. p. 237.
Secundum accusationis caput. p. 240.
Tertium accusationis caput. p. 241.
Quartum accusationis caput. p. 243.
Obiectio in P. Becanum. p. 244.
Obiectio prima. p. 245.
Obiectio secunda. p. 246.
Obiectio tertia. p. 247.
Obiectio quarta. ibid.
Obiectio quinta. p. 248.
Epilogus epistolae Richardi. p. 250.
Examen præfationis ad Catholicos in Anglia. p. 253.
Examen responsionis ad dissidium Anglicanum. ibid.
Falsæ Richardi citationes. p. 254.
Dissidium. p. 260.
1. cap. dissidij. An Rex Angliae habeat aliquem Primitum Ecclesiæ. p. 261.
Responsio Richardi examinatur. p. 262.
2. cap. dissidij. An Primatus ille quem Rex habet in Ecclesiæ.

Index Quest. Cap.

- clesia, sit Ecclesiasticus, & spiritualis. p. 264.
Responsio Richardi examinatur. p. 265.
3. cap. dissidij. An Rex à suo Primatu possit vocari Primas Ecclesia. p. 268.
Responsio Richardi examinatur. p. 269.
4. cap. dissidij. An Rex à suo Primatu possit vocari supremum caput Ecclesiae. p. 271.
Responsio Richardi examinatur. p. 273.
5. cap. dissidij. An Primatus Regis consistat in aliqua potestate, vel iurisdictione Ecclesiastica. p. 277.
Responsio Richardi examinatur. p. 279.
6. cap. dissidij. An Rex propria authoritate possit Synodos indicere. p. 285.
Responsio Richardi examinatur. p. 287.
7. cap. dissidij. An Rex possit leges Ecclesiasticas condere. pag. 290.
Responsio Richardi examinatur. p. 291.
8. cap. dissidij. An Rex propria authoritate possit conferre beneficia Ecclesiastica. p. 296.
Responsio Richardi examinatur. p. 298.
9. cap. dissidij. An Rex possit Episcopos creare & depo-
nere. p. 301.
Responsio Richardi examinatur. p. 302.
10. cap. dissidij. An Rex possit subditos contumaces excom-
municare. p. 305.
Responsio Richardi examinatur. p. 308.
11. cap. dissidij. An Rex sit index omnium controverson-
rum in Ecclesia. p. 313.
Responsio Richardi examinatur. p. 315.
12. cap. dissidij. Vnde, & quo titulo Rex habeat Primatum
in Ecclesia. p. 317.
Responsio Richardi examinatur. p. 319.
Epilogus. p. 322.

¶ summariorum.

OPUSCULVM TERTIVM.

- Ad Ioannem Sartorium ministrum Lutheranum de institutione & usu sacrosanctæ Eucharistia. Epist. p. 324.*
Status controuersiæ inter Sartorium & Becanum. p. 325.
Argumentum Sartorij contra Becanum. p. 326.
Primum vitium argumenti Sartoriani. p. 326.
Secundum vitium. p. 328.
Tertium vitium. p. 330.
Sartorius mendacio se defendit. p. 331.
Sartorius litigat de nomine. p. 332.
Sartorius mala fide agit. p. 335.
Sartorius in authoribus quos citat, peregrinus est. p. 336.
Sartorius oppugnat Ecclesiam Catholicam, seu Romanam, p. 338.
Sartorius laudat Ecclesiam Lutheranam. p. 341.
Sartorius contemnit Iesuitas tanquam nouos homines, cum potius Lutherani sint noui. p. 341.
Sartorius duo alia obiicit Iesuitis, quæ potius conueniunt Lutheranis. p. 344.
Sartorius in Becanum contumeliosus est, & scipsum commendat. p. 345.
Sartorius ridiculam questionem proponit de Alphonso Salmerone. p. 347.
Sartorius à Balduino subsidium petit. p. 348.
Sartorius promittit sibi victoriam ex Scriptura. p. 350.
Sartorius magni se facit. p. 352.
-

OPUSCULVM QVARTVM.

- De comparatione Ecclesiæ & Synagogæ. Epistola. p. 354.*
Quæstio 1. An Scriptura præferat Synagogam Ecclesiam. p. 355.

Quæst.

Index Cap. Quæst. & summar.

- Quæst. 2. An Synagoga habuerit plures & excellentiores
promissiones, quam habeat Ecclesia.* p. 358.
Prima promissio Ecclesiae facta in veteri Testamento. p.
360.
Secunda promissio Ecclesiae facta in veteri Testamento. p.
364.
Tertia promissio Ecclesiae facta in veteri Testamento. p.
368.
Tres aliae promissiones ex novo Testamento. p. 371.
*Quæst. 3. An Synagoga fuerit Deo coniunctior, quam sit
Ecclesia.* p. 370.
Epilogus. p. 379.
Appendix. p. 380.
-

OPUSCULVM QVINTVM.

- De oratione pro defunctis. Epistola.* p. 381.
Bonum ac utile est, orare pro defunctis. p. 382.
*Argumentum quod contra adfertur, nitiuit infirmis &
falsis principiis.* p. 384.
Alterum principium discutitur. p. 388.
Tertium principium discutitur. p. 392.
*Argumentum aduersarij retorquetur in ipsum aduersa-
rium.* p. 395.
Epilogus. p. 397.

TITV



TITVLI CALVINISTA- R V. M.



M N E S Sectarij, quotquot hactenus exstiterūt, aliquo peculiari titulo vſi sunt, quo à Catholicis discernerētur. Et alij quidem ab authoribus suarum sectarum; alij à doctrina & professione; alij aliūde suos titulos mutuati sunt. Primi generis sunt Simoniani, Menandriani, Nicolaitæ, Cærinthiani, Marcionitæ, Taciani, Noëtiani, Sabelliani, Ariani, Donatistæ, Pelagiani, Manichæi. Secundi, Gnostici, Nazaræi, Encratitæ, Alogiani, Ophitæ, Cathari, Apostolici, Ascitæ, Antropomorphitæ. Tertij, Cataphryges, Pepuziani, & similes. De his omnibus agit Augustinus in libro de hæresibus, & alij, qui catalogū Hæreticorum scripserunt, vt Irenæus, Philastrius, Epiphanius, Theodoreetus, Euthymius, Damascenus, Isidorus, Rabanus, Honorius, Gratianus.

Opus. Tom. IV.

A

At

At nulli vnquam usurparūt tot titulos, quorū nunc Caluinistæ. Vocant se generatim Euangelicos, Reformatos, ~~Protestantes~~, Orthodoxos: & speciatim in Heluetia appellantur Zuinglianii & Sacramentarij: in Germania, Caluinistæ: in Belgio Geusij: in Gallia, Huguonotti: in Anglia, Puritani: in Bohemia, Picarditæ. De singulis aliquid dicendum est, ne posteri nesciant, fuisse aliquando homines, qui ex singulari priuilegio, tot tamq; speciosos titulos adepti sint

T I T U L V S I.*Euangelici.*

1. **D**E hoc titulo multa disputari possunt. 1. quare Caluinistæ vocent se Euangelicos. 2. an soli ipsi, an etiam Lutherani sint Euangelici. 3. vnde acceperint Euangelium. 4. an habeant Euangelium integrum. 5. an habeant legitimam Euangeliū versionem. 6. an legitimū sensum. 7. quomodo argumententur ex Euangeliō. 8. an ex solo Euangeliō possint suam doctrinā confirmare. 9. an ex solo Euangeliō suas controvērias dirimere. 10. an in vita & morib. sint cōformes Euāngelio.

Q V A E S T I O I.*Quare Euangelici vocent se Euangelicos?*


2. **D**Icam, quod ipsi dicunt. Vocant se Euangelicos dupli de causa. Primò, quia reiecta Traditione, solo Euangeliō contenti sunt. Secundò, quia firmius apprehendunt promissiones Euangeliū. In vtroque aiunt se differre à Catholicis. Nam hi, præter Euangeliū,

lium, admittunt etiam Traditionem; neque promissio-
nes Euangelij firmiter apprehendunt, vt Caluinistæ,
sed dubiè. Vtrumque seorsim examinandum est.

3. Primò igitur vocant se Euangelicos, quia solo
Euangelio contenti sunt. Sed quomodo solo Euange-
lio? An ergo reiiciunt Acta Apostolorum, Epistolas
Pauli, Apocalypsin Ioannis, vaticinia Prophetarum, &
reliquum Bibliorum codicem? Nullo modo. Omnia
ista recipiunt. Cur igitur, sicut vocant se Euangelicos;
non similiter vocant se Apostolicos, Epistolares, Apo-
calypticos, Propheticos, Bibliacos? Facilis responsio.
Volunt in omnibus, quantum fieri potest, dissentire à
Catholicis. At Catholici, vt sunt recti & simplices, pla-
nè ac propriè loqui solent. Caluinistæ figuratam locu-
tionem amant. Itaque per synecdochen usurpat par-
tem pro toto, id est, Euangelium pro Scriptura: Et cùm
dicunt Euangelio contentos se esse, nihil aliud volunt,
quàm sola Scriptura contentos se esse, qua Catholici
contenti non sunt.

4. Dices; Neque Caluinistæ sola Scriptura contenti
sunt, quia præter Scripturam, admittunt etiam Cate-
chismum Heidelbergensem. Et quod amplius est, pa-
rèm aut maiorem autoritatem illi tribuunt, quàm
Scripturæ. Hoc fatetur Vorstius Caluinista in Pleniori
Respōsione ad postremam admonitionē Ministrorum
Leuardensium, pag. 17. his verbis; *Multi ex nostris nul-
lum planè discrimen inter Catechismum & ipsum Dei ver-
bum amplius agnoscunt: & isto fere præterito, in illo solo sim-
pliciter acquiescunt.* Et iterum pag. 20. *Non desunt ex Cal-
uinistis, qui Idolum ex Catechismo faciant, dum pure diui-
num scriptum esse putant, aut pari cum sacris litteris fide
dignum.*

5. Sunt & alij, qui non modo Catechismum, sed et-
iam confessionem Belgicam, eodem loco habent, quo



Scripturam; adeò ut integrum totius fidei ac religionis Normam ex tribus conflatam esse statuant, Scripturā, Catechismo, confessione: Et hæreticus apud eos censetur, qui aliquid istorum neget; Euāgelicus, qui illis per omnia conformis sit. Exemplum vidimus in Iacobo Arminio, Professore Leidensi. Nam primò, vir ille, tametsi Caluinianus esset, tamen apud Ministros Caluinianos suspectus fuit de hæresi, quod dixisset Catechismum Heidelbergensem & confessionem Belgicam in synodo nationali, examini subiiciendam esse, ut ipsemet totidem verbis refert in Apologia, seu in Responsione ad 31. articulos in vulgus sparsos. (pag. 310.) Idem Arminius, quotiescumque probare volebat, suos articulos, quae hæretici habebantur, hæreticos non esse, ut erat apud Ordines patriæ hoc argumento, Nihil continent contrarium Scripturæ, Catechismo, Confessioni: Ergo hæretici non sunt. Sic enim scribit in Declaratione sententiæ suæ, pag. 154. *Quippe qui mihi conscius non esset ullius doctrinæ, sive Leida, sive Amsterodami à me propositæ, quæ Verbo Dei, Confessioni aut Catechismo contraria esset, &c.* Et pag. 160. *Nihil unquam docui, quod cum Verbo Dei, cum Confessione Ecclesiarum Belgicarum, aut Catechismo pugnaret. Et alibi saepius.*

6. Denique alij sunt ex eodem Caluinistarum numero, qui quasi repudiato Verbo Dei, solum Catechismum & Confessionem, tanquam perfectissimam Normam ac Regulam fidei amplectuntur, ut patet ex Adolpho Venatore, Ministro Alcmariensi, in tractatu de præcipuis doctrinæ controversiis. Nam pag. 174. ponit hunc illorum articulum; *Vera, optima, certissima & perfectissima Norma totius fidei Christianæ est, Confessio Belgica & Catechismus Heidelbergensis.* Item hunc, pag. sequenti; *Ex verbo Dei non potest pura doctrina clare intelligi, sed solum ex confessione & Catechismo.* Item, *Verbum Dei non est*

est Christianis tam necessarium ac utile , quam confessio & Catechismus. Item, ubi confessio & Catechismus est, non egemus Verbo Dei. Item, Authores Confessionis & Catechismi fuerunt prudentiores & fideliores pro Ecclesia, quam Apostoli & Euangelista.

7. Ex his omnibus videtur manifestè intelligi , Caluinistas solo Euāgolio contentos non esse; ac proinde, ex hac quidem parte, Euangelicos vocari non posse. Fateor. Nec habeo, quo illos excusem. Hoc solum dico, eos in hoc punc̄to, sicut etiam in aliis, vti suo priuilegio, id est, varios ac inter se dissectos esse. Nam, vt recte ostensum est, aliqui affirmant, se admittere solū Euangelium: alij cum Euaglio Catechismum & confessionem: alij hæc duo sine Euāglio. Diuisi ergo sunt. Addo, & atheos esse. An non athei, qui repudiato Dei verbo , humana scripta ac placita, tanquam Idola venerantur? Hoc, teste Vorstio Caluinista, faciunt Caluinistæ. Quid porrò sentiant de Traditione, incertum ferre est. Verbo negant; reipsa concedunt, vt in progressu videbimus. Atque hæc de priori causa sufficient.

8. Altera causa , cur se vocent Euangelicos, hæc est, quia firmiter apprehendunt promissiones Euangeliij, id est, certò sibi persuadent, promissiones Euangeliij ad se pertinere. Vel, vt clarius dicam, Vnusquisque certus est, vtranque promissionem, tam remissionis peccatorum, quam vitæ aeternæ, sibi in particulari applicari, ac proinde se sanctum, iustum, prædestinatum, filium ac hæredem Dei esse , nec vlo modo perire se posse. De qua certitudine scribit Caluinus in Antidoto Concilij Trident. sess. 6. can. 15. his verbis; *Suæ electionis certos esse conuenit vniuersos fideles.* Et alibi nō semel. Sed hæc ipsa certitudo incerta est apud Caluinistas, vt fatetur Arminius. Nam inter articulos, quos tanquam dubios & incertos obtulit Legato Palatino, sunt etiam hi duo. 1.



*An quis fidelis certus esse possit, se à fide non defecturum? 2.
 An fideles credere teneantur, se à fide non defecuros? Si
 hi duo articuli apud Caluinistas incerti sunt, ergo in-
 certum est, an Caluinistæ sint certi de perseuerantia &
 vita æterna: Ergo incertum, an firmiter apprehendant
 promissiones Euangelij de vita æterna: Ergo incertum,
 ex ipsorum quidem opinione, an sint veri Euangelici.
 De hac re plura Titulo 3. quæst. 2.*

QVÆSTIO II.

An soli Caluinistæ sint Euangelici.

9. **A**lunt ipsi, non se solos, sed etiam Lutheranos
 esse Euangelicos. Imò, se & Lutheranos in
 Euangeliō fratres esse. At Lutherani, tametsi non negent
 se Euangelicos, negant tamen Caluinistarum fratres
 esse. Hostes, quām fratres haberi malunt. Nec ullam pa-
 cem inter se, & Caluinistas constare volunt. Certè Lu-
 therus in colloquiis mensalibus, cùm de concordia in-
 ter Lutheranos & Caluinistas sermo incidisset, ingenuè
 fassus est, non aliam quām quæ inter Christum & Iu-
 dam intercessit, sperari posse. Et, si quæ tandem ineun-
 da esset, non in Dei, sed omnium diabolorum nomi-
 ne, iniri oportere. Ibidem disertè dixit, Caluinistas esse
 diabulos incorporatos, quorum studium ac conatus cò
 potissimum spectet, ut aliis nocere possint.

10. Scimus, quæ postea secuta sunt. In conuentu
 Maulbrunensi, anno 1564. auctæ sunt inimicitiae. Clau-
 diopoli, anno 1586. in mutua odia iuratum est. In cele-
 berrimo Mompelgardensi Colloquio, cui Princi-
 cipes sectarum, Iacobus Andreæ Lutheranus, &
 Theodorus Beza Caluinista interfuerunt, penitus de
 concor

concordia desperatum. Nec quicquam crebrius ibi, quam hæ, & similes voces auditæ: Perturbarentur conscientiæ nostræ, si vobis assentiremur. Item, Pacem non possumus cum perturbatione conscientiarum redimere. Item, Inter partes conuenire non potest. Item, Tam acerbè hastenus utrinque pugnatum est, ut facile appareat, animos ex utraque parte valde exulceratos esse. Item, Non possumus per omnia consentire. Denique, ut multa talia prætereā, finis colloquij fuit hic: *Quia*, inquit Beza, *dextras fraternalitatis nobis porrigerere recusatis, & nos pro fratribus agnoscere non vultis; amicitiæ dextras etiam nolo.* Cui Iacobus; Ergo intermittatur. Et sanè intermissum est. Imò creuerunt odia. Nam int̄c̄rea Philippus Nicolai, Tilmannus Heshusius, Conradus Schlussenburgius, & multi alij Lutherani, præsertim Giesenses & Tübingenses, palam scriptis suis testati sunt, Caluinistas esse hæreticos, & illorum doctrinam, tanquam sacrilegam, execrandam, abominandam & diabolicam oppugnarunt.

II. Vnde apparet, antiquum & pertinax odium esse inter Lutheranos & Caluinistas. Quod quidem Lutherani non dissimulant. At Caluinistæ, nescio quo occulto prætextu (si tamen occultus est) fingunt se amicitiam colere cum Lutheranis, & eorum in Euangelio fratres esse: Nec in ullo ferè punto grauiori, quod ad fidem pertineat, ab illis dissidere. Faciamus sic esse; ac deinceps, utrosque Euangelicos, utrosque in Euangelio concordes esse supponamus: Hac tamen conditione, ut ea res non sit fraudi Lutheranis, qui hanc concordiam penitus respuunt, sed solis Caluinistis, qui eam subdolè mentiuntur.

Q V A E S T I O III.

Vnde Euangelici acceperint Euangeliū?

12. **A**B Apostolis & Prophetis aiunt se accepisse.
Audio. Sed, an proximè & immediatè ab il-
 lis acceperunt? Non opinor. Nam inter Apostolos &
 Euangelicos multa sæcula intercesserunt. A quibus
 ergo proximè & immediatè? Non aliunde, quam à
 Catholicis. Nam codex Euangelij, quo primum vſus
 est Lutherus, Euangelicorum parens, nō alibi, quam in
 loco Catholico; nec ab alio, quam à typographo
 Catholico excusus est. Igitur à Catholicis habent
 Euangeliū, si quod habent.

13. Porrò Catholicī à suis maioribus eundem codi-
 cem natī sunt; & illi rursum à suis maioribus, atque
 ita deinceps, vsque ad tempora Apostolorum ascen-
 dendo. Nam Apostoli, quasi per manus, tradiderunt
 illum suis Discipulis, Ignatio, Polycarpo, Dionyfio,
 Papiæ, Clementi: Hi deinde Iustino, Irenæo, Tertul-
 liano, Origeni, Cypriano: Hi rursum Athanasio, Hila-
 rio, Optato, Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Hierony-
 mo, Chrysostomo, Epiphanio: Et isti postea Augusti-
 no, Paulino, Orosio, Prospero, Fulgentio: qui & ipsi
 suis successoribus per eandē traditionem relinquerūt.

14. Nunc quæro, an Euangelici admittāt hanc tra-
 ditionem, nécne? Si admittunt, salua res est. Nec iam
 amplius Euangelici sunt, quia solo Euangeliō conten-
 ti non sunt. Si reiiciunt, Euangeliū quoque reiiciant,
 necesse est. Nam Euangeliū, non nisi per traditionē,
 ab Apostolis accepimus. Si respūnt traditionem, vnde
 astruent Euangeliū? Rectè Augustinus lib. 28.
 contra Faustum, cap. 2. *Sicut ego credo, inquit, illum li-*
brum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Mani-
chæs

chæus viuebat in carne, per Discipulos eius certa successione præpositorum vestrorum ad nostra usque tempora custoditus atque perductus est: sic & tu istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.

15. Iterum quæro, an maiores nostri, qui proximè vixerunt ante Lutherum, tradiderint nobis verum & sincerum Euangelium, an corruptum & deprauatum? Si verum, laudanda est traditio, per quam verū Euangelium accepimus: laudandi Catholici, qui factum illum thesaurum ab omni corruptione purum & illibatum conseruarunt. Si corruptum, quis postea correxit & emendauit? An Euangelici? Sed ex quo codice? Nam omnes Bibliorum codices, qui tunc exstant, à Catholicis erant editi & conseruati. An fortè ex antiquis Patribus? Sed & Patrum illorum libri, non nisi apud Catholicos reperiebantur. Si ergo Catholicici codicem Euangelij deprauassent, quomodo constabit, non similiter codices Patrum deprauasse? Aut si hic bona fide egerunt, & illic bona fide egisse credendum est. Concludo, aut Euangelicos non habere verum Euangelium; aut per traditionem à Catholicis habere. Si verum non habent, veri Euangelici non sunt. Si à Catholicis per traditionem habent, agnoscant beneficium, & quod Euangelici sint, Catholicis & traditioni acceptum ferant.

QVÆSTIO IV.

*An Euangelici habeant integrum
Euangelium?*

16. Integrum quidem acceperunt à Catholicis, sed bonam illius partem decoxerunt. Nam in Ca-

A 5 tholico

thlico Bibliorum codice, quem Lutherus primum à Catholicis nactus est, erant multæ partes, quæ nunc à bonis illis viris excisæ & reiectæ sunt; ut Esther, Iudith, Tobias, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi. Habent ergo mutilum & delumbatum Euangelium, non integrum. Nec deinceps Euangelici, sed Decoctores Euangelij appellari debent.

17. Dicent sine dubio, quod solent, eas partes, quæ ab ipsis excisæ sunt, non fuisse canonicas Euangelij partes, sed accessorias. At vnde hoc ipsis constat? An ex Patrum & Ecclesiæ traditione? Imò contrarium ex ea constat. Nam Catholici, quidquid habent in suo Bibliorum codice, non aliunde, quam à suis maioribus per traditionem acceperunt. Si hanc traditionem admittunt Euangelici, totum Bibliorum codicem admittant, necesse est. Si respuunt, totum codicem respuere necesse est.

18. Vel sic apertiùs. Traditio illa, per quam nos Catholici Bibliorum codicem à maioribus nostris accepimus, vel certa & infallibilis, vel incerta & fallax est. Si certa & infallibilis, cur Euangelici tergiuersantur? cur totum codicem non admittunt, quem certa & infallibili traditione accepimus? Si incerta & fallax, quomodo certo & infallibiliter ipsis constat, existare legitimū Bibliorum codicem? An ex incerta & fallaci traditione? miseri sunt, si hoc sentiunt.

19. Occurrent fortè, traditionem illam, partim infallibilem, partim fallacem esse: Infallibilem, respectu eorum librorum, quos ipsi admittunt: fallacem, respectu aliorum, quos nō admittunt. An ergo vna eadēque traditio, in uno verax, in altero fallax est? an in uno nos recte dirigit, in altero decipit? Vnde hoc probant Euangelici? An ex eo præcisè, quia ipsis sic visum est? Nimiris frigidè. An ex alia traditione? Sed de illa redibit similis

similis quæstio. An ex antiquis Patribus? Sed & illi, vel infallibles in hoc puncto, vel fallaces sunt. Si fallaces, cur eorum testimonium admittitur? Si infallibles, victoria nostra est. Nam illi planè conspirant cum Traditione, quam nos vrgemus. Quod sic ostendo.

20. Traditio, quam vrgemus, exhibit nobis illos scripturæ libros, qui in Concilio Tridentino sess. 4. recensentur, hoc ordine. Ex veteri Testamento.

1 Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium.

2 Iosue, Iudicium, Ruth.

3 Libri quatuor Regum, & duo Paralipomenon.

4 Duo Esdræ.

5 Tobias, Iudith, Esther.

6 Iob, Psalterium.

7 Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica.

8 Sapientia, Ecclesiasticus.

9 Prophetæ maiores quatuor, minores duodecim.

10 Duo libri Machabæorum.

Ex Nouo Testamento.

1 Quatuor Euangelia.

2 Actus Apostolorum.

3 Quatuordecim Epistolæ Pauli.

4 Duæ Petri, Tres Joannis.

5 Vna Iacobi, Vna Iudæ.

6 Apocalypsis Ioannis.

21. Hos libros acceperunt Patres Concilij Tridentini per traditionem à Concil. Florentino, quod plusquam centum annis præcessit. Nam in illo Concilio recensentur iidem planè libri, qui in Tridentino. Rursum, Patres Conc. Florentini acceperunt eosdē per continuatam traditionē à Gelasio Papa in Conc. Romano, ut patet ex cap. *Sancta Romana*, dist. 18. Iterū Gelas. ab August. lib. 2. de doctr. Christiana, cap. 8. vbi sic scribit.

22. Totus Canon Scripturarum his libris continetur: quinque Moseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio: & uno libro Iesu Nae, uno Iudicū, uno libello, qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorū principia videtur pertinere: Deinde, quatuor Regum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simulque pergentibus. Hac est historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliae; tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Esther, & Iudith, & Machabaorum libri duo, & Estra duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, usque ad regnorum, vel Paralipomenon terminatam.

23. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid unus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Cantorum & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè prohibetur. Qui tamen, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt: Duodecim Prophetarum libri singuli, qui annexi sibimet, quoniam nunquā scilicet sunt, pro uno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hec; Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Isaías, Ieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris, veteris Testamenti terminatur authoritas.

24. Non autem, quatuor libris Euangelijs, secundum Mattheum, Marcū, Lucam, Ioannem: quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli: Petri duabus: tribus Ioannis: una Iude & una Iacobi: Actibus Apostolorū, libro uno: & Apocalypsis Ioannis libro uno. Haec tenus Augustini verba.

25. Hinc perspicuè patet, eosdem planè libros, tam veteris, quam noui Testamenti, fuisse olim in canonē receptos ab Augustino, qui postea à Gelasio, ac deinde à Concilio Florentino & Tridentino recepti sunt, & nunc etiam à Catholicis recipiuntur: Et Traditionem, quām vrgemus; à nostro tempore usque ad Augustini ætatem deduci posse. Sed & lōgiūs progredimur. Nam Augustinus eundem canonem, per eandem Traditionem accepit à Concilio Carthaginensi tertio, quod alij quintum aut sextum vocant: Et Patres huius Concilij ab Innocentio primo, epist. 3. ad Exuperium, c. 7. Vixit autem Innocentius anno Domini 402. Igitur ab illo tempore primitiæ Ecclesiæ ad nos usque per continuam Traditionem perseverauit idem ille Scripturarum Canon, quem nos Catholicī nūc tenemus & amplectimur. Ex illo autem canone, ut initio dixi, non paucas partes pro suo arbitrio Euangelici exciderunt. In quos optimè quadrat, quod de Manichæis scripsit Augustinus in lib. de bono perseverantiæ c. 11. *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam priuilegio, immo sacrilegio, quod volunt, sumant quod nolunt, reiiciant.*

26. Hoc clarius ostendi potest ex eo canone, quem ipsi nūc habent. Quanquam is, non unus, sed duplex est. Nam alium habent Lutherani, alium Caluinistæ. Lutherani ex suo Canone excludunt hos libros veteris Testamenti, Esther, Iudith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos: Hos item noui Testamenti, Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ & Apocalypsin. Caluinistæ, hos in nouo Testamento admittunt; illos è veteri excludunt. Igitur triplex hoc tempore est Canon Scripturarum. 1. Catholicus. 2. Lutheranus. 3. Caluinianus. Nos Catholicum, ut ostendi, per continuatam Traditionem deducimus usque ad tempora primitiæ Ecclesiæ; eunque autem thori

thoritate Gelasij , Augustini , Innocentij , & omnium aliorum Patrum, qui interea in Ecclesia floruerunt, solidè confirmamus. Quod nec Lutherani, nec Caluinistæ præstare possunt. Nam Canon Lutheranorum, nec à Catholicis, qui modo sunt, nec à Patribus & Conciliis citatis, nec ab ipsis Caluinistis, qui Lutheranorum fratres esse volunt, vñquam admissus aut confirmatus est. Idem dico de Canone Caluinistarum. Neque enim Catholici, neque Patres & Concilia citata, neque Lutherani illum recipiunt.

27. Scio, quid dicturi sunt. Dicent, alias esse Patres Augustino antiquiores, qui cum ipsis sentiant. Sunt autem hi ferè decem: *Melito* Sardenis apud Eusebium li. 4. Historiæ Ecclesiasticæ , cap. 26. *Origenes* apud eundem, lib. 6. cap. 18. *Eusebius* ipse, lib. 3. cap. 25. *Athanasius* in *Synopli*, *Hilarius* præfatione in *Psalmos*, *Epiphanius* hæresi 8. *Cyrillus* Hierosolymitanus catecheli 4. *Nazianzenus* in carmine de veris & germanis Scripturæ libris, *Hieronymus* in Prologo Galeato, & in Epist. 103. ad Paulinum, *Ruffinus* in expositione Symboli. Hi omnes consignarunt Canonem Scripturarum. Et quidem Melito, Hilarius, Epiphanius, Canonem veteris Testamenti: Eusebius, noui: reliqui, vtriusque. Omnes autem in suo Canone videntur dissentire à Catholicis, & fauere Lutheranis ac Caluinistis. Sic enim passim hi iacent. Sed falso. Nam neque dissentunt à Catholicis, neque fauent Lutheranis & Caluinistis. Vtrumque perspicue demonstrabo.

28. Ac primò, non dissentire à Catholicis , certū est: quod ex dupli principio ostendi potest. *Vnum* est; Quandiu quæstio aliqua Ecclesiastica in vtramq; partem manet dubia , ita ut nihil adhuc certi in alteram partem ab Ecclesia definitum sit ; tamdiu liberum est. hanc vel illam partem probabiliter amplecti. Quando

autem

autem in alteram legitimè definita est , tunc illi parti adhærere omnes debent. *Alterum*; Qui ante definitio-
nem Ecclesiæ, re adhuc dubia existente, vnam partem
probabiliter amplectuntur, non censentur propriè dis-
sentire, ab illis, qui post definitionem Ecclesiæ , alteri
adhærent. Nam sicut hi adhærent definitioni Ecclesiæ,
sic etiam alij fecissent, si res fuisset tūc definita. Et sicut
alij ante definitionem Ecclesiæ , probabilem partem
amplexi sunt, sic etiam hi facerent, si Ecclesia nihil de-
finiuisset. Non ergo propriè, hi illis contrarij sunt.

29. At sic sit in proposito. Nam ante Innocentium
primum , nondum erat certò definitum ab Ecclesia,
qui libri essent Canonici , qui non essent ; ac proinde
Melito, Origenes, Eusebius, Athanasius, Hilarius Epi-
phanius, Cyrillus, Nazianzenus, Hieronymus , Ruffi-
nus, alterutram partem probabiliter amplecti poterat.
At post definitionem Ecclesiæ (quæ primum ab Inno-
centio facta , & postea in variis Conciliis confirmata
est) Augustinus & reliqui Patres , definitioni Ecclesiæ
adhæserunt. Ergo propriè non censentur dissensisse ab
iis, qui ante definitionem Ecclesiæ, alterutram partem
probabiliter secuti sunt.

30. Hic discursus generatim loquendo, per se clarus
est. Indiget tamē aliqua declaracione in particulari. Ig-
titur ante definitionem Ecclesiæ , tametsi certò apud
omnes constaret, quosdam libros, tam veteris , quām
noui Testamenti, canonicos esse ; de nonnullis tamen
erat dubium , præsertim de his , Esther, Iudith, Tobia,
Sapientia, Ecclesiastico , Machabæis, Epistola ad He-
bræos, Epistola Iacobi & Iudæ, posteriore Petri, secun-
da & tertia Ioannis, Apocalypsi, libello Pastoris, Reue-
latione Petri, Actibus Pauli, &c.

31. Hoc patet ex authoribus citatis. Nam origenes,
Hilarius, Epiphanius, Cyrillus , Hieronymus, Ruffi-

nus posuerunt librum Esther in Canone : Melito & Nazianzenus excluderunt : Athanasius nihil certi determinauit. De Tobia & Judith , dubiè loquitur Hilarius: de Sapientia & Ecclesiastico, Epiphanius. Similiter, de Epistola ad Hebreos, de posteriore Petri, de secunda & tertia Ioannis, dubitatum est apud Origenem. Apocalypsis posita fuit in Canone ab Athanasio, Rufino, Hieronymo, Origene: omissa à Cyrillo & Nazianzeno: in dubium vocata ab Eusebio. Denique de his & similibus, idem Eusebius lib. 3. c. 25. sic scribit; *Vt omnem noui Testamenti Canonem designemus primò nobis omnium, Euangeliorum cœlestis quadriga iungatur: his Actus Apostolorum copulentur: post hos, Pauli epistola & socientur: consequatur vero has, prima Ioannis epistola, similiter & Petri prima. Hac sunt, de quibus nulla unquam prorsus existit dubitatio. Sequenti loco iam sunt illa, de quibus à nonnullis dubitatum est, Reuelatio Ioannis, Epistola Iacobi & Iudee Petri quoque secunda, & itē Ioannis secunda & tertia. Post has iam Scriptura est, quæ dicitur Actus Pauli; sed & libellus, qui appellatur Pastoris, & Reuelatio Petri, de quibus quam maximè dubitatur. Fertur etiam Barnabæ Epistola, & Doctrina, quæ dicitur Apostolorum. Quidam autem his sociant etiam Euangeliū, quod dicitur secundūm Hebreos, quo præcipue viuntur illi Hebrei, qui Christum suscipere videntur, sed in Ecclesia ei contradicuntur, &c.*

31. Hæc omnis dubitatio per Innocentium Papam sublata est, qui rogatus ab Exuperio, Episcopo Tolosano, quid de his dubiis libris statuendū esset, Apostolica authoritate definiuit, in Canone ponendos esse, quos iam nos ponimus; excludendos alios. Quam definitiōnem fecutus est Augustinus cum aliis Episcopis Africæ, in Concilio Carthaginensi: Exuperius cum Episcopis Galliarum: Gelasius in Concilio Romano: totus denique orbis Christianus, usque ad hæc nostra tempora.

Soli

Soli ferè Lutherani & Caluinistæ, qui se Euangelicos vocant, sine causa tergiuersantur; & à consensu tot Patrum & Conciliorum, ad paucos illos Patres, qui ante definitionem Innocentij scripserunt, importunè provocant. Sed frustra. Nam Patres illi, nullo modo ipsis patrocinantur. Quod ex dictis facile probari potest.

32. Primò, quia Patres illi inter se non conueniunt in Canone. Nec mirum. Nam cùm res nondum esset definita ab Ecclesia, alij hanc, alij illam partem probabiliter sequebantur. Ergo non omnes saltem possunt allegari pro Lutheranis & Caluinistis, nisi Lutherani & Caluinistæ velint discrepantes eorum sententias sequi. Secundò, nec Lutherani & Caluinistæ inter se conueniunt in Canone. Nam Caluinistæ admittunt Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi & Iudæ, & Apocalypsin Ioannis, quas reiiciunt Lutherani: Ergo, si qui Patres fauent Caluinistis, non fauent Lutheranis: & vicepsim, si qui his fauent, illis non fauent. Tertiò, Pletiq; ex illis Patribus ingenuè fatentur, de quibusdam libris dubium esse, an sint Canonici, nec ne. At Lutherani & Caluinistæ non volunt esse dubium, sed certum: Ergo aliunde, quam ex illis Patribus, debent ostendere certitudinem, quod tamen non faciunt. Atque hæc generalia sunt argumenta.

33. Addo hæc specialia. Primò, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, Hieronymus, Ruffinus admittunt librum Esther, quem Lutherani & Caluinistæ reiiciunt. Ergo saltem illi sex non fauēt Lutheranis & Caluinistis. Secundò, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Ruffinus admittunt Apocalypsin, quam Lutherani reiiciunt: Et è contrario, Cyrillus & Nazianzenus reiiciunt Apocalypsin, quam Caluinistæ admittunt: Ergo priores Patres repugnant Lutheranis; posteriores Caluinistis.

stis. Tertiò; Aliqui ex illis Patribus dubitant de Tobia, Iudith, Ecclesiastico, Sapientia, an pertineat ad Canonem, nec ne. At Lutherani & Caluinistæ certò affirmat esse extra Canonem: ergo hanc certitudinem non habent ab illis Patribus. Vnde ergo.

34. Concludo, nihil præsidij ex tota antiquitate professe habere Euangelicos: Nullum Concilium, nullos Patres posse adduci, qui per omnia probent ipsorum Canonem. Nam Patres, qui scripsierunt ante Innocentiū, in multis ab illis discrepant, ut iam ostensum est. Qui autem secuti sunt Innocentium, nostrum Canonem consignarunt, & per continuatam multorum sæculorum Traditionem, nobis reliquerunt. Hoc super in familiari cōgressu, modestè ac amicè obieci quibusdam Euangelicis: Qui primò quidem non credebant rem ita habere, ut dixi, sed, cum allatis in medium Augustini & aliorum Patrum libris, apertè rem totam demonstrasse, fassi sunt, se hoc præsidio destitutos, iam non alio, quam ad Iudæorum autoritatem posse confugere, & eorum Canonem sequi ac venerari. Sed, o miserrum perfugium. An putant, omnes Christianos errasse hactenus in Canone; solos Iudæos non errasse? Cur igitur non respunnt Canonem noui Testamenti, quem Iudæi respunnt? An etiam Christum negaturi sunt, quia Iudæi illum negant.

35. Sed tamen, quia Iudæorum Canonem pro se allegant, dicam, quod res est. Fateor, in Canone Iudæorum, qui tempore Esdræ consignatus est, non fuisse Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos. At inde non sequitur, excludendos esse ex Canone, quem Christiani nunc habent. Primò, quia gravissimi Authores scribunt præter Canonem, qui tempore Esdræ consignatus est, fuisse alium Canonem, qui multò post fuerit consignatus. Itaque libros illos,

tametsi

tametsi in priori canone , non fuerint , fuisse tamen in posteriori , & ex illo translatos in Canonem Christianorum . De qua re videri potest Genebrardus li . 2 . Chronologiq & Serarius in prolegomenis Bibliacis c . 8 . q . 16 .

36 Secundò , ut hoc non sit minimè necesse est , ut illi soli habeantur Canonici apud Christianos , qui tales habiti sunt apud Iudeos , ut rectè notat Augustinus lib . 18 . de ciuitate Dei cap . 36 . cùm ait ; *Machabæorum libros , non Iudei , sed Ecclesia pro Canonicis habet* . Et ratio manifesta est , quia libri Machabæorum nondum erat scripti tempore Esdræ quando Canon Iudeorum consignatus est . Quid ergo mirum , si in illum Canonem relati non fuerint ? Idem post Augustinum notauit Isidorus in libro Proæmiorum , de libris veteris ac noui Testamenti , *Hebræi* , inquit , *non recipiunt libros Tobie , Iudith & Machabæorum ; Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scripturas enumerat* . Et ibidem ; *Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis canonicis libris tenere noscuntur authoritatem* .

37 Et lib . 6 . Etymolog . cap . 1 . scribit , Hebreos facere tres ordines librorum veteris Testamenti : Primum legis ; secundum Prophetarum ; tertium Hagiographorum : Et in primo ordine ponere quinque libros Mosis . In secundo librum Iosue , Iudicum primum & secundum Regum , Isaiam , Hieremiam , Ezechielem , & duodecim minores Prophetas . In tertio , Iob , Psalterium , Proverbia Ecclesiasten , Cantica cantorum , Danielem , duos libros Paralipomenon , Esdram , Esther . Præter hos tres ordines , ait quartum à Christianis additum esse . *Quartus* , inquit , *est apud nos ordo veteris Testamenti eorum librorum , qui in Canone Hebraico non sunt . Quorum primus Sapientiae liber est : secundus , Ecclesiasticus : tertius , Tobias : quartus Judith : quintus & sextus , Machabæorum* .

38 Atque hæc sufficient de Canone scripturarum Vnde summatim colligo, Canonem quem noui Euāgelici nunc habent, non esse sincerum ac legitimū; quia nec à Catholicis, qui modo sunt, nec à Patribus, qui Innocentium præcesserunt, nec ab aliis, qui illum fecuti sunt, receptus aut confirmatus est. Nec ex Iudæorum Canone confirmari potest, vt iam proximè ex Augustino & Isidoro demonstrauit. Maneat ergo, quod initio dixi, Euangelicos accepisse quidem integrum Euangeliū à Catholicis, sed multas inde partes exemisse & decoxisse; ideoque non Euangelicos, sed Decoctores Euangeliū vocandos esse.

Q u ē s t i o V.

An Euangelici habeant legitimam Euangeliū versionem?

39. **M**ira res. Euangelici admittunt sacra Biblia (tametsi fœdè mutilata,) quæ à nostris maioribus tradita ipsis sunt: non admittunt versionem, quæ similiter à nostris maioribus tradita ipsis est. Non, inquam, admittunt veterem & vulgatam Editionē, quæ tot saeculis in Ecclesia viguit, & communī Christianorum consensu recepta, & à Concilio Tridentino confirmata est. Nouas versiones quotidie moliuntur, latinas & vernaculae omnis generis,

40. Latinæ sunt hæ. Prima Sebastiani Munsteri, Anno 1534. & 1546. quæ est omnium celeberrima. Secunda Oecolampadij, Anno 1535. Tertia Leonis Iudæ, & Theodori Bibliandri, quam Leo, ex Iudæo Zuinglianus factus, inchoauit; Bibliander, adiunantibus Contrado Pelicano & Petro Cholino perfecit anno 1544. Et solent vocari Biblia Tigurina, quod Tiguri edita sint.

sint. Quarta Sebastiani Castalionis, anno 1556. Basileæ. Quinta Iunij & Tremellij, primū Geneuæ edita anno 1590. & postea Hanouiæ anno 1602. Sexta Theodori Bezæ, Elisabethæ Reginæ Angliæ dedicata. Septima Geneuensis, quæ teste Genebrardo præfatione in Origenem, est *rhapsodia ex variis Munsteri, & aliorum pannis ac centonibus consuta*.

41. Vernaculæ sunt plures. Prima, Germanica Lutheri, sæpius ab ipso recognita. Secunda, Germanica Tigurinorum in Heluetia. Tertia, Belgica. Quarta, Polonica. Quinta, Danica. Sexta, Gallica Geneuensis. Septima, Gallica Castalionis. Octaua, Anglica Londinensis. Nona, Italica sine loci & authoris nomine, quæ Geneuæ putatur edita, anno 1562. vt ex typo colligitur. Decima, Hispanica, etiā sine loci & authoris nomine, quæ apud Bernates in Heluetia videtur euulgata, quia prefixum habet Vrsum, vastantem ac vorantem mel. Præter has generales, vel utriusque, vel alterius testamenti versiones, sunt aliæ speciales propè infinitæ. Nam aliqui ex Euangelicis Psalterium, vt Bucerus, Caluinus, Musculus, alij alias partes transtulerunt.

42. Quid porrò de hac tanta versionū varietate sentiant, tum ipsi Euangelici, qui earū authores sunt, tum etiam Catholici, paucis explicandū est. Euangelici sic sentiunt. Lutherus in comment. de nouissimis Dauidis verbis, in præfatione; *Omnino, inquit, melius esset, omisso studio Hebraice linguae, simpliciter retinere illam hactenus receptam & usitatā versionē Bibliorū, quam tot nouas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo & discrepancia lectionū, memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiores, quam fuerat, dimittit.* Et in libro prophetiarum suarum, qui à Georgio Valdero, Hallensi prædicante collectus est: *Tam multæ, inquit, nostro tempore sunt versiones Bibliorum,*

*vt paulatim tam multa futura sint Biblia, quam multi scio-
li in Hebraica lingua magistros sese profitebuntur.*

43. Et Rheuclinus (alias Capnion) in Hebræas cō-
cordantias Rabbi Nathan, multæ translationes Bibliorū
in lucem prodeunt, quas melius fuisse non natas esse, vel sta-
tim interiisse. Addit Kemnitius in prima parte Examinis,
sels. 4. *Vtile est, exstare certam aliquam versionem, quæ in ci-
tationibus allegetur.* Et VVittakerus controuerſia 1. q. 2.
cap. 7. *Consulte factura effet Ecclesia, si non cuius pro arbi-
tratu suo permitteret nouam versionem edere.*

44. Similiter Robertus Stephanus initio suorum Bi-
bliorum anno 1557. Nullum vertendorum Bibliorum fi-
nem fieri, & non minus varias eorum interpretationes, quam
varios interpretes hodie existere, iam pridem multi querun-
tur, qui ex re Ecclesiæ esse existimant, certam aliquam ex tā-
to numerō eligere, &c. *In hac cū & nos opinione essemus, &c.*

45. Denique, vt alios omittam Theodorus Beza in
cap. 10. Actuum Apostolorum, in digressione, de dono
linguarum: *Eò res iam deuenit, vt qui scripturam ex Græco
conuertunt in latinum, aut aliud aliquod idioma, quiduis si-
bi in interpretando licere putent. Quos si reprehendas, statim
audies, interpretis officio fungi, nō qui verbū conuertat ē ver-
bo, sed qui sententiam exprimat. Ita fit vt dum quisque iudi-
cium suum liberè sequi mault, quam religiosē Spiritus san-
cti interpretē agere plurima non tam conuertat, quam per-
uertat. Cui libidini & audaciæ nisi occurratur, nō aut ego
vehementer fallor, aut intra paucos annos, paulatim ipsarum
quoque rerum possessione depellemur.*

46. Nec dissimilis est censura de singulis versionibus
in particulari. Lutheri versionem carpunt Tigurini,
Osiandrinii: Bucerus Munsterus, Lutherus ipse. Nam
Tigurini multis fannis illam excipiunt, vt conqueritur
Stoltzius in defensione Lutheri Osiandrinii obiiciunt
illi dolum & falsitatem: Bucerus, manifestos & non paucos
lapsus:

lapsus: Munsterus, multorum versuum omissionem. Denique Lutherus ipse post 20. annos fassus est, se crebrius errasse, eò quod Rabinorum glossis nimium credidisset, ut testatur Cöchlæus in Actis Lutheri, Lindanus in Dubitantio, & alij.

47. Versionem Bezae damnat Castalio in præfatione ad Anglam, Samuel Huberus in libro de ultimæ tubæ clangoribus, Hugo Bruchtonus, &c quis non? Vicissim versionem Castalionis reprehendit Beza in suis annotationibus, tanquam falsam, ineptam, imperitam, audacem, blasphemam, vitiosam, ridiculam, execrādam, erroneam, impiam, peruersam. Et in responsione ad defensiones Castalionis, de eadem sic loquitur; *Translationem noui Testamenti, tum Latinam, tum Gallicam, à Sebastiano Castalione istic scriptam & excusam, optimo iure reprehensam fuisse in meis annotationibus, non solum ut indoctam, sed etiam ut multis locis impiam, & à sancti Spiritus sententia prorsus discrepantem, vobis, ut existimo, non constabat, cum edende sua defensionis potestatem illi faceretis; sed nunc tandem, ut spero, conspicue intelligetis.*

48. Munsteri versionem perstringunt Tigurini & Pelicanus in suis præfationibus. Denique cum Tigurinorum Biblia à Typographo oblata essent Luthero, hoc responsum ab eo accepit: *Ne post hac mihi aliquid mittas, quod à ministris Tigurina Ecclesiae profectum sit. Nullum enim cum eis posthac commercium habere, nec eorum libros recipere aut legere volo, quandoquidem ipsi iam damnati sunt, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducunt, &c.* Ita refert Hospinianus Caluinista in historia Sacramentaria, anno 1544.

49. Hæc Euangelici de Euangelicis. Venio ad Catholicos. Ex iis multi accurate de hac re scripsierunt, præsertim Cöchlæus in Actis Lutheri, & in libello de nouis translationibus, Genebrardus præfatione in

Origenem, Serarius in Prolegomenis Bibliacis, c. 20. Gretserus in primo tomo defensionis Bellarminianæ, & alij. Omnes sentiunt, nouas illas Euangelicorū versiones, nullo modo tolerari posse ac debere. Et meritò. 1. quia à malis authoribus prodierunt. 2. quia eo spe-
ctant, vt veterem ac vulgatam editionē penitus abo-
leant. 3. quia corruptæ ac vitiosæ sunt. 4. quia Iudaïsmum introducunt. 5. quia planè ridiculæ sunt. 6. quia Grammaticam potius, quàm Theologiam sapiunt.
7. quia sunt aridæ, insipidæ & sine Spiritu. 8. quia inter se pugnantes. 9. quia variabiles & inconstantes.
De singulis dicam aliquid.

I. Vitium nouarum versionum.

40. Primò igitur, versionum istarum non boni au-
thores sunt. Nam aliqui ex illis fuerunt Monachi apo-
statæ, vt Lutherus, Munsterus, Oecolampadius, Peli-
canus, Bucerus. Alij, primùm Iudei, mox Zuingiani, vt
Leo Iuda, minister Tigurinus. Alij, primùm Iudæi, de-
inde Monachi, tum apostatæ, demùm Caluinistæ, vt
Tremellins. Alij, primùm Christiani, tum athei, dehinc
Caluinistæ, vt Franciscus Iunius, qui per integrū bien-
nium fuit atheistus, vt ipsemet scribit in vita sua. Alij de-
niq[ue] lascivia & luxuria diffluentes, vt Caluinus, Be-
za, & plerique iam nominati. Quid boni in re sacra ac
diuina ab his sperare possis? *Mali corui, malum ouium.*

41. Certè Lutherus, vt alios præteream, ita scribit
de hac materia, partim in colloquiis mēsalibus, partim
in præfationibus librorum noui Testamenti, vt meritò
suspectus esse debeat. Sunt autem hæc ipsius placita.
1. Argumentum libri est ferè, vt argumentum fabulæ.
2. Scriptor illius libri scripsit eo modo, quo Terentius
scripsit suas comedias. 3. Non credo omnia facta esse
eo modo, quo in libro Iob referuntur. 4. Odi librum

Esther,

Elther, & cuperem non exstare. 5. Liber Tobiae est poëma, in quo de mulieribus agitur, & exemplar administrandæ familiæ. 6. Multa in hoc libro ridicula & stulta continentur. 7. Liber Iudith nō est historia, sed figmentum, compositum ad imitationem Virginianæ Æneidos & Homericæ Iliados. 8. Author libri, qui Ecclesiastes inscribitur, videtur ocreis & calcaribus destitutus, equitare tantum in soccis, sicut ego soleo, cum adhuc essem in cœnobio. 9. Ecclesiasticus, qui hunc librum composuit, est concionator legalis & iurista: docet, quomodo vita hæc externa & ciuilis bene sit instituenda; sed non est Propheta; nihil docet de Christo. Est liber, sicut Thalmuth, ex variis libris collectus. 10. Libri Regum præcedunt centum & mille cubitos scripto Peralipomenon. Ideò libris Regum plus credendū, quam libris Paralipomenon. 11. Multa in libro Apocalypsis desidero, ut neque Apostolicum, neque Propheticum iudicem. 12. Nullo modo aduertere queo, à Spiritu sancto compositū esse. 13. Spiritus meus non potest cum hoc libro concordare. 14. Epistola Iacobi, comparatione Euangelij, straminea est, & & Apostolico Spiritu destituta. 15. Ioannis Euangelium est vnicum, tenerum, verum, genuinum & principale Euangelium, & tribus reliquis longè, longè præferendum & anteponendum. Hæc Luthe-rus. Quis credit hunc hominem in vertendis Bibliis à Spiritu sancto fuisse illuminatum? Eadem est ratio de aliis, quos recensui.

II. Vitium.

42. Secundò, Hoc potissimum agunt noui isti ver-sores, ut suis versionibus veterem ac vulgatam Editio-nem penitus obscurent & aboleant. In qua re imitan-tur Aquilam, Symmachum & Theodotionem, qui &

ipſi nouas versiones olim moliti sunt, in eum finem, ut abolerent versionem Lxx. Interpretum, quæ tunc erat celeberrima: Et ut omnia oracula & vaticinia de Christo, quæ à Lxx. Interpretibus clarè erāt expressa, in gratiam Iudeorum redderent obscuriora, ut testatur D. Hieronymus prologo in Job à se verſum, Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris, & alij plures. Hos, inquam, imitantur nostri Euangelici. Volunt vulgatam Editionem suppressere, & clariora quedam illius testimonia, quæ ipsorum hæresibus contraria sunt, penitus obscurare. Exempla obuia sunt, ut iam videbimus.

III. Vitium.

43. Tertiò, Versiones Euangelicorum, tum aliis, tum his, potissimum modis corruptæ ac depravatae sunt.
 1. adiectione. 2. detractione. 3. mutatione. Adiectione. Nam 1. Cor. 9.5. vbi Apostolus dicit; *Nunquid nō habemus potestatē mulierem sororem circumducendi?* Lutherus de suo adiecit; *in uxore.* Similiter R om. 3.28. vbi Apostolus dicit; *Arbitramur iustificari hominem per fidem;* Lutherus adiecit, *solā.* Et rogatus ab amico, cur id fecisset, respondit his verbis; *Si tuus Papiſta morosum & difficilem præbere se volet de voce, (Sola) statim dic; Papiſta, & asinus eadem res est: Sic volo, sic iubeo: si pro ratione voluntas. Nolumus enim Papiſtarum esse discipuli, sed præceptores.* Et infra; *Rogo te, ne quid aliud huīusmodi asellis respondeas de voce (Sola) sed tantum dicas;* Lutherus vult: *ille Doctor est omnium Doctorum in Papatu, &c.* (In epistola ad amicum, de voce, Sola.)

44. Detractione. Nam Act. 15.41. Beza & alij Euangelici omittunt totum illum versiculum; *Precipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Et 2. Pet. 1.10. vbi Apostolus ait; *Satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis:* omittunt tres illas

illas voculas, per bona opera. Nimirum, oderunt bona opera, contenti suo sterquilinio; nec volunt Apostolis & senioribus subiecti esse.

45. Mutatione. Nam Lucæ 22.20. vbi Græcus tex-tus habet: τὸ τὸ πολὺερον ἡ καὶ σταθμὸν τῷ αἱματι μὲν, τὸ ὑπὲρ ὅμῶν ἐκχυτόνων, id est, hoc poculum novum Testamētum est in meo sanguine, quod pro vobis effunditur: Beza sic mutauit, ἡ τῷ αἱματι μὲν, τῷ ὑπὲρ ὅμῶν ἐκχυτῷ, id est, in meo sanguine, qui pro vobis effunditur. Ne scilicet cogeretur fateri, quod Catholici vrgent, in illo pocolo, quod Christus in vltima cœna dedit Apostolis, fuisse sanguinem Christi. Quæ hæc impostura est?

I. V. Vitium.

46. Quartò, Versores illi nihil aliud ferè spirat, quam Rabiniūm; vt Iudæos potius dixeris, quam Christianos. Eminet in hoc genere Munsterus, qui in suis Notationibus ad nauseā repetit has voculas, Rabi Salomon, David Kimhi, Aben Ezra, Rabi Menahem, Rabi Moses de Cozi, Moses Gerundensis, Arba Tura, Rabi Calonymus, Rabi Iacob, Abrahā de palmis, &c. Vix vnquā inuenies nomen Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregorij, Chrysostomi, Basilij, Cyrilli, Nazianzeni. Omnia Rabinis plena sunt. Putant enim boni isti Euangelici, latentem thesaurū reperiri posse in libris Rabinorum, qui apud Christianos reperiri nō possit. In quo magnopere falluntur, teste Luthero, in præfatione super Psalterium, vbi ait; se sperasse, recētores Hebreistas adducturos eximium quid & pretiosum; sed sibi idem euenire, quod olim Salomoni, qui cum speraret pretiosissima quæque ex India se accepturum, nihil aliud acceperit, quam simias & pauones. Plerisque versores simias imitari, & vel Rabinus, vel veterem translationem referre; vel interpretationes suas pauonum quasi ornamenti insignire, immixtis

Hebrai

Hebraicis vocabulis, &c. Vide Matthæsum concione 12. de vita & actis Lutheri.

V. Vitium.

47. Quintò, Planè ridiculi sunt in nouandis hominum & locorum propriis nominibus: Nec ridiculi modo, sed etiam obscuri, ut à paucis intelligi vix possint. Nam vbi nos in vulgata editione habemus, *Isaias*, *Hieremias*, *Ezechiel*, *Osee*, *Abdias*, *Michæas*, *Habacuc*, *Sophonias*; *Iunius* & *Tremellius* vertunt; *Ieschahia*, *Iirmeia*, *Iechezkel*. *Hoscheah*, *Hobadia*, *Mica*, *Chabakkuk*, *Tzephania*. Et vbi nos legimus: *Visio Isaiæ filij Amos*, quam vidit super *Iudam* & *Ierusalem*, in diebus *Ozïe*, *Ioathan*, *Achaz*, & *Ezechiae Regum Iuda*; *Oecolampadius* vertit, *Visio Iesaaiahū*, filij *Amos*, quam vidit super *Iehudah* & *Ierusalem*, in diebus *Tziiahn*, *Iotham*, *Ahhaz*, *IehhiZkiiahn* *Regum Iehudah*.

48. Similiter, vbi nos legimus: *Verba Ieremiæ filij Helviæ*, de sacerdotibus, qui fuerunt in *Anathoth*, in terra *Beniamin*; *Iunius* & *Tremellius* legunt; *Verba Iirmeiæ filij Chilkiiæ*, de sacerdotibus, qui erant *Hanathotis*, in terra *Beniaminis*. *Munsterus* vero; *Verba Iirmeiakhn filij Hilkyahhn*, de sacerdotibus, qui erant in *Anathoth* in terra *Biniamin*.

49. Item, vbi nos legimus: *Verbum Domini*, quod factum est ad *Sophoniam filium Chusi*, filij *Godolie*, filij *Amaria*, filij *Ezechiae*, &c. Illi sic vertunt; *Verbum Iehouæ*, quod fuit ad *Tzephaniam filiam Cuschi*, filij *Gedaliæ*, filij *Amaria*, filij *Chizkiiæ*. Et rursus, vbi nos; *Nonne frater erat Esaïi Iacob*, dicit Dominus; & *dilexi Iacob*, *Esaïi autem odio habui*? Illi sic; *Nonne frater fuit Hesaïi Iahakobo?* dictum *Iehouæ*: *Dilexi autem Iahakobum*, *Hesaum* verò odio habui: *Quæ hæc nominum portenta sunt?* Si reuiniscerent maiores nostri, putarent nostra Biblia interisse, & alia in illorum locum subrogata.

VI. Vitium.

50. Sextò Grammaticam magis olen, quām Theologiam. De qua re conqueritur Genebrardus, præfatione in Origenem, his verbis; *Castalionis versio est affetata, plus habens pompæ & phalerarum, quām rei & firmitatis: plus ostentationis, quām substantiæ: plus fuci, quām succi: plus hominis, quām Spiritus: plus fumi, quām flammæ: plus humanarum cogitationum, quām diuinorum sensuum: plus foliorum, quam fructuum.* Tot verbis vix adhuc explico hominis vanitatem. Elegantiam pollicetur, & tamen verba interdum usurpat alienissima à Ciceronis puritate. Præterea ex inferis suscitat Genios, pollubra, & similia pagana vocabula, quæ pridem sepulta oportuit, nendum in Scripturæ contextum illata. Mysteria ex oculis subducit, submutatis verbis. *Vbi dixit Deus, Fiat firmamentum; ille, Iussit Deus, ne ullum diuini verbi, per quod omnia facta sunt, vestigium in prima rerum conditione appareat.*

51. Et Beza in *Castalionem*; *De latino sermone, quantum ipse tibi placeas, nemo non videt.* Et paulò post: Arbitror intolerandam esse audaciam, si quis ab illa nuda quidem & simplici, sed vere tamen diuina & plena masculæ maiestatis elocutione discedens, Prophetici & Apostolici sermonis puritatem, quasi fuco quodam orationis inficiat. Et infra; *Miror te vetera & omnibus trita vocabula expunxisse, ut noua & plerisque obscura substitueres.* Et iterum: *cum de re constat, & vocabula lengissimo vsu trita sunt omnibus, unde tandem hoc nouandi studium, nisi ex fulto & ambitioso ingenio.*

VII. Vitium.

52. Septimò Hinc fit, ut aridæ, insipidæ, & sine Spiritu sint huiasmodi versiones. Quod unico exemplo facile ostendam. In vulgata Editione sic legimus: *D-*

xit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam
 inimicos tuos scabellum pedū tuorum. Quæ verba cum se-
 quenib⁹, non modo clara sunt, sed etiam mellita,
 suauia, & plena Spiritu ac consutatione. Iunius & Tre-
 mellius sic vertūt: *Dixit Iehoua Domino meo, sede ad dex-
 tram meam, donec disposuero inimicos tuos in scabellum pe-
 dum tuorum. Scipionem robustum tuum emissurus est Ieho-
 ua, Tzijone, dicens, Dominare in medio inimicorum tuorum.*
*Populus tuus populus voluntarius die copiarum tuarum in
 decoris locis sanctitatis: Inde ab utero sibi aderit ros iuuent⁹
 tuae accuratissimè. Castalio sic vertit: Ait Ioua Domino meo
 sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum
 pedum tuorum. Sceptrum tuae potentia mittet ex Sione Io-
 ua, ad dominandum inter hostes tuos. Tuae copiae voluntariae
 erunt, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies: ex
 utero auroræ habebis rorem tuae iuuentutis. Quam hæc
 sicca, arida, spinosa, & tetrica sunt. Aptissima tamen
 ad cantum ē choro eliminandum. Non enim video,
 quis concentus ex huiusmodi verbis, vel ad aures fide-
 lium oblectandas, vel ad animos in Deum erigendos,
 oriri possit.*

VIII. Vitium.

55. Octauò, Mirè inter se dissentient versores Euangeli, vt ex Coclæo & Gretsero ostendi potest hoc
 exemplo. Nos in citato Psalmio sic legimus; *Tecum prin-
 cipium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorū; ex utero
 ante Luciferum genui te. Euangelici, quisque pro suo spi-
 ritu ac cerebro, sic vertunt. 1. Lutherus; Post victoriam
 tuam offeret tibi spontaneè populus tuus in sancto decore: filij
 tui nascentur tibi, sicut roses ex aurora. 2. Pelicanus: *Populus
 tuus oblationes liberales in die virtutis tuae, in decoribus san-
 ctitatis ex utero auroræ tibi ros generationis tuae. 3. Felinus,
 vel potius Bucerus: Populus tuus aderit spontaneus in die,
 quo virtutē tua declarabis, in urbe sancto splendore insigni, vt
 ros**

ros matutinus aderit ab utero iuuētutis tuae. 4. Munsterus: *Populus tuus spontanearum est (voluntatum) in die exercitus tui, in magnificentiis sanctitatis, ab utero aurora est tibi ros natiuitatis.* 5. Iunius & Tremellius: *Populus tuus populus voluntarius die copiarum tuarum, in decoris locis sanctitatis: inde ab utero tibi aderit ros iuuētutae accuratissime.* 6. Castalio. *Tua copia voluntaria erit, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies: Ex utero aurora habebis rorem tuae iuentutis.* 7. Zuinglius in suo Psalterio: *Populus autē tuus in die triumphi tui vota offeret cum sancta pompa.* 8. Leo Iuda in Bibliis Tigurinis: *Habes promptissimum populum, cum educes tuas copias: tibi etiam est ros generationis tuae in summo decore & sanctitate ex utero aurora.* Alij aliter.

54. Hinc constat verissimum esse, quod supra ex Luthero, Beza, & aliis Euangelicis dixi, hanc variam & multiplicem Bibliorum versionem adferre multa incommoda. Nam 1. parit confusionem. 2. turbat memoriam. 3. remoratur studium Lectoris. 4. eundem dubium ac perplexum à se dimittit. Denique sub tanta verborum ac phrasium diueritate, rem ipsam facilè prodigit. Quanto feliores Catholici, qui vnam, certam, constantem ac uniformem sequuntur Editionem: Et tametsi toto orbe diffusi sint, vna tamen loquuntur lingua, & iisdem Spiritus sancti verbis ac formulis assueti sunt. His rectè accommodari potest illud, Genef. 11. 1. *Erat autem terra labij unius, & sormonum eorundem.* Et paulò post; *Ecce, unus est populus & unum labium omnibus.* Euangelicis verò, quod sequitur: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Et rursus: *Vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium uniuersæ terræ.* Vno verbo. Catholici & Euangelici representant duas familias, in quarum altera, pater & mater, filii & filiae, serui & ancillæ, eodem loquuntur idiomate,

& singuli singulos probè intelligunt : in altera, totidem idiomata sunt, quot capita; vbi pater Gallicè, mater Hispаниcè, filij Latinè, filiæ Belgicè, serui Italicè, ancillæ Germanicè loquuntur; vbi poscenti panem, porrigitur lapis; volenti bibere, miscetur pharmacum ; & sic deinceps.

IX. Vitium.

55. Nonò, Magna inconstatia est in versionibus Euangelicorum. Quod hodie placet, cras displicet : quod prius conforme Græco vel Hebraico textui, nunc difforme: quod antea ad mentem Spiritus sancti, postea secus. Certè, prima Lutheri versio, quantis latitiiis inchoata, deducta perfecta ; quanto plausu accepta & confirmata est? Nam primò, aliquot verueces mactati sunt. 2. immane quoddam vitrum, in quo totus Catechismus depictus & descriptus videbatur, à Luthero exhaustus. 3. iucundè ac hilariter decantati versus ex Virgilio de Didone, *Dulces exuniae, &c.* 4. Festum translationis Bibliorum institutum. (Festis est Matthæsius Lutheri discipulus, & ex illo Gretserus & alij.) At non multò post, eadem Versio ab omnibus repudiata, & non semel ab ipso authore recognita est. Nec mirum. Nam supra mille errores, & quidem non exigui, in ea sunt deprehensi. Atque hæc sufficient de nouis Bibliorum versionibus, quas Euangelici hactenus moliti sunt. Sequitur nunc.

QVÆSTIO VI.

An Euangelici habeant verum sensum Euangeli?

56. S Olet distingui duplex Scripturæ sensus. Alter litteralis seu historicus, alter spiritualis, seu mysticus.

sticus. Literalis est, quem verba Scripturæ proximè & immediatè significant, siue sint verba propria, siue figurata. Mysticus est, quem verba Scripturæ remotè, & mediante sensu litterali significant: vel, quem sensu litteralis proximè significat: vel, quod eodem recidit, quem res proximè significata per verba, significat.

57. Vtrumque insinuat Apostolus, *i. Corinth. 10. 1.* cum ait; *Patres nostri omnes sub nube fuerūt, & omnes mare transferunt, &c.* Nam in his & sequentibus verbis latet duplex sensus. Vnus litteralis, qui proximè & immediatè significatur per illa verba, nempe, filios Israël, quando ex Ægypto egressi sunt, transiisse mare rubrum, ambulasse sub nube, comedisse manna in deserto, bibisse aquam de petra manantem. Alter mysticus, quem res ipsa proximè significata per verba, significat. Nam exitus Istraëlitarum ex Ægypto per Mosen, significat exitum nostrum ex seruitute peccati per Christum: mare rubrum, significat Baptismum: manna corpus Christi in Eucharistia: aqua, sanguinem Christi.

58. Mysticus à Theologis subdiuiditur in allegoricum, anagogicum, & moralem seu tropologicum. Sicut enim tres sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas; ita tres sensus mystici. Allegoricus respondet fidei, anagogicus spei, moralis charitati. Nam allegoricus est, quando verba Scripturæ mediante sensu litterali, significant res credendas: anagogicus, quando res sperandas: moralis, quando res agendas.

59. Alij sic definiunt. Sensus allegoricus est, quando verba scripturæ, præter sensum litteralem, quem habent, significant aliquid pertinens ad fidem vel Ecclesiam militantem: quo pacto, Abraham, qui secundum sensum litteralem habuit duos filios, vnum ex ancilla, alterum ex libera; allegoricè significat Deum qui habet duos populos, vnum Iudeorum ex Synagoga, al-

terum Christianorum ex Ecclesia : hunc sub libertate gratiae Christi, illum sub seruitute legis Mosaicæ. (ad Gal. 4.22.)

60. Anagogicus est, quando verba Scripturæ, præter sensum litteralem, significat aliquid pertinens ad vitam æternam vel Ecclesiam triumphantem, quam speramus: quo pacto illud Psalm. 94.11. *Quibus iurauit in ira mea, si introibunt in requiem meam;* secundum litteram intelligitur de terra promissionis in Palæstina; at anagogicè, de vita æterna, vbi est vera requies (Hebr. 4.3.)

61. Moralis est, quando verba Scripturæ, præter sensum litteralem, significant aliquid pertinens ad instructionem morum, vel ad officia charitatis: quo pacto illud Deut. 25.4. *No alligabis os boui triturantri;* secundum litteram intelligendum est de veris bobus: at moraliter de concionatoribus, qui non debent impediri, quò minus pertant sustentationem à populo. (I. Cor. 9.9.)

62. Est ergo quadruplex Scripturæ sensus. 1. Literalis. 2. Allegoricus. 3. Anagogicus. 4. Moralis. Qui omnes ostendi solent in voce Hierusalem. Nam vox illa significat litteraliter, urbem Palestinae; Allegoricè, Ecclesiæ militantem: Anagogicè Ecclesiæ triumphantem: moraliter Animam hominis in hac vita. Omnes item notari solent in Epistola ad Galatas, cap. 4. Nam litteralis est in illis verbis; *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera.* Allegoricus in illis; *Hæc sunt duo testamenta, &c.* Anagogicus in illis; *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem.* Moralis in illis; *Quomodo tunc is, qui secundum carnem fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum; ita & nunc.*

63. Notatum est à viris doctis, iuxta hos quatuor sensus Scripturæ, quatuor esse Doctores Ecclesiæ, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum: Gregorium: Et

Sngu

singulos in singulis sensibus explicandis excelluisse: Hieronymum in litterali; Ambrosum in allegorico; Augustinum in anagogico; Gregorium in morali.

64. Nos hic agimus de sensu litterali, qui præcipuus est, & quasi fundamentum aliorum. Et quia verba Scripturæ torqueri possunt ad varios sensus litterales, quæstio est, an Euangelici habeat verum & legitimum sensum literalem, necne? Aiunt se habere. At vnde habent? An à Catholicis? Negant. An ab antiquis Patribus? Et hoc negant. An ex aliqua certa traditione, quæ per singulas ætates deduci ad eos possit? Ne hoc quidem. Vnde ergo? Immediatè, inquiunt, à Deo. Hinc se ~~tradidit~~, d'ærres id est, à Deo doctos appellare soliti sunt.

65. Hic vide, obsecro, quām varias origines fingant sibi isti Nouatores. Codicem Bibliorum, ut fatentur à Catholicis habent per Traditionem: Versionem, è suo quisque capite ac cerebro? sensum & interpretationem, immediatè à Deo. Si Catholicis credunt in uno, cur non in reliquis? Si ab illis accipiunt Codicem, cur non versionem & sensum? An putant eos errare in versione & sensu, non errare in Codice? Sed religto Codice & versione, de quibus actum est, agamus nunc de sensu. Hunc aiunt se immediatè habere à Deo. Quod merito mirum videri potest. Nam primò, cui non mirum sit, solos Lutheranos & Caluinistas, non item antiquos Patres aut modernos Catholicos habere legitimum Scripturæ sensum à Deo? Cui non mirum sit, cum Lutherani & Caluinistæ sint fratres Euangelici, alios ab aliis in Scripturæ sensu dissentire? An Deus, qui illos fratres esse voluit in Euangeliō, non voluit esse fratres, sed hostes in sensu Euangelij? Non capio hoc mysterium. Cui non mirum sit, ipsos Caluinistas inter se de vero sensu disceptare? An Deus qui immediatè illos docet diuersos ac discrepantes

sensus eorum animis inspirat? Non est verisimile. *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis.* Denique cui non mirum, nullum haec tenus Euangelicum existitisse, prater vnum Graserum, qui verum sensum Apocalypsis à Deo asseditus sit? quod tamen Graserus in sua *Plaga Regia* profiteretur. Nam disertè scribit, Apocalypsin aliis omnibus obscuram; soli sibi claram & peruiam esse. Distinguit autem tria genera aliorum hominum. 1. *fanaticos.* 2. *probos authores.* 3. *præceptores suos.* Primos ait *latibula querere:* Secundos, *nemini satisfacere:* Tertios, *duri nimis iudicij esse.* Addit, sibi præ illis omnibus obortam esse lucem, qua profundissima quæque scrutatus sit, ac intimè penetratit. Cui, inquam, hoc mirum non sit.

66. Sed omittamus hæc mira: Et rem ipsam proprius inspiciamus. Aiunt igitur boni isti viri, se verum & legitimum Scripturæ sensum à Deo habere. Ego contra contendō, non à Deo, sed aliunde: non verum & legitimū, sed correptū & adulterinū habere. Quod sic probo. Sensus Scripturæ quatuor modis corrumpi potest. 1. adiectione. 2. detractione. 3. mutatione. 4. falsa interpretatione. His omnibus modis ab Euangelicis corruptus est. Tria priora membra superius probata sunt. Quartum facile probari potest. Extant enim infinita propè Scripturæ testimonia, quæ Euangelici falso interpretantur. Ex iis aliqua recensebo.

67. Legimus Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc Caluinus, nō seriò, sed ironice à Christo dictum esse interpretatur, ut sensus sit; Ne seruas mandata, quia illorum obseruatio nec prodest, nec possibilis est, Impium dogma. Quanquam Caluinus tam impius est, vt fidenter afferat, Christum in omnibus fere rebus, quæ ad salutem animæ spectant ironice nobiscum agere, & contra mentem loqui. Sic enim scribit

scribit lib. 3. Inst. c. 24. §. 13. Ecce, vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accendit, sed ut reddantur cæciores: doctrinā profert, sed qua magis obstupefiant: remedium adhibet, sed ne sanentur. Sanè, si ita est, quis credat illi dicenti & inuitanti, Venite, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos? Quis non statim excipiat; Tu quidem vocem ad me diriges, sed ut magis obsurdescam: lumen accendis, sed ut fiam cæcior: doctrinam profers, sed qua magis obstupeciam: remedium offers, sed ne sanus efficiar. Quid ergo te audiam.

68. Item legimus Matth. 3. 1. Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto, & habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos: Esca autē erat locusta & mel silvestre. Et Marci 1. 6. Erat Ioannes vestitus pilis camelī, & locustas edebat & mel silvestre. Euangelici, quia metuunt, ne Eremitarum aut Monachorum viuendi ratio ex hoc loco confirmetur, omnia secus, quam Catholici interpretantur. Nam per desertum, non intelligunt solitudinem, sed urbem aut vicum in montanis situm: per pilos Cameli, non rudem aut hispidam vestem ex pilis contextam, sed pretiosam & vndulatam, quæ Regem deceat: per locustas, non animal insectum, sed cancros marinos, qui à pescatoribus capti, in ripam Iordanis eiiciebantur, eo quod lege Mosaica immundi, & prohibiti essent. (Leuitic. 11.) Ioannem tamen non curasse legem Mosaicam, sed sequutum esse libertatem Euangelicam, quæ in eo constitit, vt quo quis ciborum genere pro arbitrio velcamur. Vide Maldonatum in capite tertio Matthæi, ubi fusiūs hanc Euangelicorum interpretationem proponit ac refutat.

69. Item Lucæ 22. 20. Hic est calix nouum Testamen-
tum in meo sanguine. Et Matth. 26. 28. Hic est sanguis meus
noui Testamenti. Lutherani sic interpretantur; Hoc vi-

num est meus sanguis. Caluinistæ plerique sic ; Hoc vinum significat meum sanguinem. Plessæus lib.4. de Eucharistia , cap.2. pag.600. sic ; Hæc est acerba illa mors & passio, quam paulò post sustinebo. Quæ hæc licentia & peruersitas est ?

70. Item Ioan.3.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nō potest introire in regnum Dei.* Caluinus per aquam intelligit Spiritum sanctū. (lib.4.Instit.cap. 16.§.25.) Hinc consequenter affirmat, Christum non loqui de Baptismo aquæ, sed de interna hominis renouatione. Si ita est, non poterit ex Scriptura probari, aquam esse necessariā ad Baptismū: ac proinde, si quis diceret, infantes posse baptizari in vino vel ceruisia, non posset à Caluino ex scriptura refurari. Tametsi enim ex aliis scripturæ testimoniis constet, quosdam in aqua baptizatos esse, non tamen ex illis constat, necessariò id factum esse. Aut ergo Baptismus aquæ non est necessarius, aut necessitas illius, non aliunde, quam ex citato loco probari potest. Eligant Caluinistæ.

71. Item, Ioan.20.26. *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum, id est, intravit per fenestram, vt Oecolampadius vult: Vel, Non expectauit, donec Apostoli aperiret, sed ipse aperuit ianuas, & intravit, vt exponit Caluinus in ultima admonitione ad Vvestphalum, & lib.4.Instit.c.17. §.29. ne cogatur penetrationē corporum admittere. Nec ianuis, inquit, clausis intrare, tātumdem valet, ac penetrare per solidam materiā, sed sibi aditū patefacere diuina virtute, ut repente steterit inter discipulos, planè admirabili modo, cum obseratae essent fores.*

72. Item, Act.2.27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Beza sic explicat; *Non derelinques cädauer meū in sepulchro.* Quæ hæc metamorphosis est ? Ex anima fit cädauer; ex inferno sepulchrum ? Vix similem inuenias in Ouidio. Sed, quid non facit desperatio? Non potuit

potuit alio modo eludere argumentum Catholico-
rum, quo ipsi probant Christum secundum animam
descendisse ad inferos.

73. Item Hebr.13.4. *Honorabile connubium in omnibus*
& torus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudi-
cabit Deus. Planus sensus est; Honorate connubium in
 omnibus suis partibus, ita ut in nulla re illud violetis,
 & præsertim ut torus vester sit immaculatus, quia
 adulteri à Deo punientur. At Caluinus & Beza in suis
 annotationibus aliter explicant, hoc sensu; Matrimo-
 nium est honoratum & licitum in omnibus, id est, *in-*
ter quosuis homines, seu, inter cuiusvis ordinis homines. Ni-
 mirum, ut hinc probent, etiam inter Monachos & mo-
 niales honoratum & licitum esse matrimonium. An
 etiam inter fratres & sorores?

74. Item, Apocal.11.3. *Et dabo duobus testibus meis,*
& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.
 Hinc Euangelici per duos testes, ut intelligunt Lu-
 therum & Caluinum, ut Bibliander in suo chronicō:
 vel vetus & nouum Testamentum, ut Rex Angliæ in
 monitoria præfatione. Neuter recte. Nam multa di-
 cuntur de illis duobus testibus, quæ nullo modo con-
 ueniunt Luthero & Caluino, vel nouo & veteri Testa-
 mento. Sunt autem hæc. 1. quod fint amicti saccis.
 2. quod habeant potestatem claudendi cælum, ne pluat,
 & conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram
 omni plaga, quotiescumque voluerint. 3. quod corpora
 eorum iacebunt Hierosolymæ insepulta per tres dies
 & dimidium. 4. quod postea reuiuiscent. 5. quod au-
 dient hanc vocem de cælo, *Ascendit hic.* 6. quod tunc
 magnus terra motus futurus sit, 7. quod decima pars ci-
 uitatis corruet. 8. quod septem millia hominum occi-
 dentur. Quid hæc ad Lutherum & Caluinum? Quid
 ad vetus & nouum Testamentum?

75. Item, Apocal. 13. 13. Et fecit (Antichristus) signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere. Hic per ignem de cælo descendedentem intelligunt Euangelici excommunicationem Papæ, vt Pouellus Caluinista lib. 1. de Antichristo, cap. 26. & Balduinus Lutheranus in disputatione de Antichristo, cap. 6. Ut hoc modo probent Papam esse Antichristum. Sed omnino ridiculè. Primò, quia eodē sensu explicari possent sequentia loca. Lucæ 9. 54. Domine, vis dicimus, vt ignis de cælo descendat? id est, vt descendat excommunicatio Papæ? Et 4. Reg. 1. 10. Helias dixit; Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, vt deuoret te & quinquaginta tuos, id est, descendat excommunicatio Papæ, vt deuoret vos. Secundò, quia cum dicit Ioannes: Et fecit signa magna, ut etiam faceret ignem de cælo descendere, planè significat, magnum signum seu miraculum fore, cum Antichristus faciet ignem de cælo descendere: imo tale miraculum, quo decipiatur homines, vt credant esse opus diuinitatis. At quæso, quod aut quale miraculum est, excommunicare hominem? Nullum penitus.

76. Hæc pauca exempla (vt sexcenta alia omittam) manifestè conuincunt, Euangelicos non habere verum Euangelij sensum à Deo; sed vnumquemque ex suo cerebro fingere sibi sensum, quem vult: atque adeo verum Euangelij sensum, multis modis, præsertim adiectione, detractione, mutatione, & falsa interpretatione, ab iis corruptum esse ac depravatum. In quos optimè quadrat illud Tertulliani in libro de præscriptionibus, cap. 17. *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuerit: Et si recipit, non recipit integras: Et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata peruerit. Tantum veritati obstrebit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

QVÆSTIO VIII.

*Quomodo Euangelici argumententur ex
Euangelio?*

77. **I**dem est argumentandi modus, qui interpré-
tandi. Hoc aliquot exemplis demonstrabo: Et
quidem in iis punctis, quæ inter nos & ipsos contro-
uertuntur, cuiusmodi sunt hæc. 1. de traditionibus.
2. de fide iustificante. 3. de libero arbitrio. 4. de com-
munione sub utraque specie. 5. de inuocatione San-
ctorum. 6. de Antichristo. 7. de Ecclesia. 8. de capite
Ecclesiæ. 9. de Primatu Ecclesiæ Regio. 10. de fide
parvorum. 11. de esu carnium. 12. de matrimonio.
Ex his paucis erit facilis coniectura de aliis.

De traditionibus.

78. Igitur Euangelici contra traditiones sic dispu-
tant ex Scriptura; Deus non vult, ut aliquid addamus
ad verbum Dei scriptum: Ergo Catholici peccant, qui
addunt traditiones non scriptas. Antecedens patet ex
illo, Deuter. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis lo-
quor.* Et cap. 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito
Domino: nec addas quicquam nec minuas.* Respondeo.
Hæc duo testimonia ineptissimè citantur contra tra-
ditiones. Non enim intelligenda sunt de verbo Dei
scripto, quatenus opponitur traditioni non scriptæ, ut
male interpretantur Euangelici: sed prius intelligendū
est generatim de præceptis iudicialibus & ceremonia-
libus, quæ tunc nondum erāt scripta, sed tantum viua
voce à Deo per Mosen tradita: posterius speciatim de
uno præcepto ceremoniali, nempe de præcepto sacri-
ficiandi. Hoc patet ex ipso contextu, qui posteriori

loco sic habet; *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum; caue, ne imiteris eas, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istae Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Sensus est; *Quando* veneris in terram Palestinam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo tuo sacrificium, non imitaberis gentiles, qui falsis diis offerunt suos filios & filias per ignem; sed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio, nempe ex animalibus oves, capras, hædos, boues, vitulos, columbas, passeres, turture: ex fructibus terræ, panem, similam; salem, thus, manipulū spicarum videntium, & triticum: ex liquoribus, sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

79. Hinc, seruata proportione, facile colligitur, quis sit sensus prioris testimonij, nempe hic: Ego dedi vobis præcepta ceremonialia, quæ præscribunt ritum colendi Deum; & præcepta iudicialia, quæ præscribunt ritum seruandi iustitiā in rebus politicis ac temporalibus. Vtraque debetis integra seruare, sicut à me tradita sunt, non addendo quicquam ex ritu gentiliū, inter quos victuri estis, nec etiam aliquid detrahēdo, verbi gratia. Dedi vobis præceptum ceremoniale de sacrificio, & prohibui, ne offereatis ea, quæ à gentilibus offerri solent, sed ea tantum, quæ à me speciatim determinata sunt, quibus nec addere, nec detrahere quicquam debetis. Similiter dedi vobis præceptum iudiciale de puniendis malefiscis. Hoc etiam seruate. Nec licebit vobis, vel grauiorē, vel mitiorem pœnam in

in illos statuere pro vestro arbitrio ; sed simpliciter id facere, quod ego faciendum esse statui. Idem est de cæteris præceptis in particulari.

80. Hic est legitimus sensus utriusque testimonij, ut ex contextu patet. Quem sensum alibi aliis verbis explicat Scriptura. Nam quod hic dicit, *Non addetis quicquam ad præcepta mea, quæ dedi vobis, nec minuetis : hoc alibi dicit, Non declinabitis ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram.* Deuter. 17.20. *Discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, neque declinet in partem dextram vel sinistram.* Et cap. 28.14. *Si audieris mandata Domini Dei tui : quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaueris ab eis, nec ad dextram, nec ad sinistrā, &c.* Et c. 1.29. *Noui enim, quod post mortem meam iniquè ageris, & declinabis citò de via, quam præcepi vobis.* Et Iosue 1.7. *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses seruus meus, ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram.*

81. Igitur vis argumenti Euangelicorum, ex priori testimonio, est hæc : Iudæi debebant integrè seruare præcepta ceremonialia & iudicialia, quæ à Deo erant ipsis præscripta, nec poterant, vel ad dextram vel ad sinistram ab eis declinare, id est, non poterant aliquid eorum, quæ præscripta erant, omittere, nec etiam ex ritibus gentilium aliquid addere: Ergo nos Christiani, præter Scripturam, non debemus admittere Traditiones, quas à Christo & Apostolis accepimus. Ex posteriori, hæc: Iudæi debebant ea tantum offere in sacrificium, quæ à Deo erat determinata, nec poterant omittere aliquid eorum, quæ Deus fieri mandauerat, nec aliquid ex sacrificiis gentilium adiicere: Ergo nos Christiani non possumus seruare Traditiones, quæ ab Apostolis ad nos peruenierunt. *Spectatum admissi, risum teneatis amici?*

82. Eiusdem farinæ argumentum est , quod sumunt ex illo, 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quo loco dupliciter argumētantur Euangelici. Aliqui sic; *Omnis Scriptura est utilis ad docendum & arguendum:* Ergo superuacaneæ sunt Traditiones. Perinde, ac si dicas; *Omnis cibus est utilis ad nutriendū:* Ergo superuacaneus est potus. Vel. *Omnis eleemosyna est utilis ad salutem,* Lucæ 11. 41. & Dan. 4. 24. Ergo superuacanea oratio, superuacanea fides, superuacanea Sacramēta. Miseret me horum hominum.

83. Alij sic; *Omnis Scriptura est utilis, id est, sufficiēs;* Ergo superuacaneæ Traditiones. Sed quæ hæc interpretatio est? An idem sunt, vtilem esse, & sufficientem esse? Si idem sunt, iam illud 1. Timoth. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis est,* licebit sic interpretari, Pietas ad omnia sufficiens est: Ergo reliqua omnia superuacanea sunt: superuacaneus cibus & potus, superuacaneæ conciones, Sacra menta, suspiria. Quare? quia pietas ad omnia utilis, id est, sufficiens est. Et similiter illud 2. Timoth. 4. 11. *Marcum assume, & adduc tecum: Est enim mihi utilis in ministerium, id est, sufficiens:* Ergo Timotheus, Titus, Onesimus, & alij superuacanei sunt. *Quis non videt, si hæc licentia interpretandi Scripturam semel admittatur, totam corrumpi & adulterari posse?*

84. Sed vt clarius agnoscant Eu angelici suam ineptiam, textus Apostoli considerandus est. Igitur Apostolus in citato capite hortatur Timotheum Episcopum, vt suos subditos instruat in fide & bonis operibus, & redarguat aduersarios, qui corrupti mente, & reprobi circa fidem, resistunt veritati. Et, vt ostendat eum id posse præstare, subdit; *Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris:* & quia ab infan-

tia sacras literas nosti , quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo IESV , Omnis enim Scriptura vtilis est, &c. Vbi, per sacras litteras, quas ait Timotheū ab infantia nouisse , intelligit Scripturam veteris Testamenti. Nam eo tempore , cum Timotheus erat infans, nondum extabat Scriptura noui Testamenti.

85. Igitur Apostolus in illo textu sic argumentatur: Omnis Scriptura diuinitus inspirata , vtilis est ad docendos subditos & redarguēdos aduersarios: At Scriptura veteris Testamenti, quam ab infantia nosti , est diuinitus inspirata: Ergo Scriptura veteris Testamenti vtilis est ad docendos subditos , & redarguendos aduersarios. Cùm ergo cognitione Scripturæ veteris Testamenti instructus sis , magnum ex ea præsidium habes ad præstandum, quod dixi.

86. Ex eodem principio licebit sic concludere: Omnis Scriptura diuinitus inspirata , vtilis est ad docendum & arguendum: At Scriptura noui Testamenti est diuinitus inspirata: Ergo est vtilis ad docendum & arguendum. Qui ergo cognitione huius Scripturæ instructus est, magnum ex ea præsidium habet ad vtrunque præstandum.

87. Porrò, ex vtroque discursu patet, Has tres propositiones veras esse secundū Apostolum. 1. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum & arguendum. 2. Scriptura veteris Testamenti vtilis est ad docendum & arguēdum. 3. Scriptura noui Testamenti vtilis est ad docendum & arguendum. Sicut ergo non sequitur; Scriptura veteris Testamenti est vtilis : Ergo Scriptura noui Testamenti est superuacanea: Nec contra; Scriptura noui Testamenti est vtilis: Ergo Scriptura noui Testamenti est superuacanea : Ita etiam non sequitur; Vtraque Scriptura, tā veteris, quām noui Testamenti est vutilis: Ergo Traditio est superuacanea.

88. Si Euangelici hoc non aduertunt, cæci sunt. Si aduertunt, reuocent errorem, nec deinceps Traditionibus tam infesti sint, præsertim cum Apostolus alibi eas commendet. Nam 2. Thess. 2. 14. sic scribit; *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Cur ex hoc loco, tam claro & perspicuo, non confirmant Traditiones, sicut nos facimus? Cur ex alio, perperam intellecto, reiiciunt Traditiones, quas Apostolus Thessalonicensibus tantopere commendat? Non video aliam causam, quam quia hæretici & pertinaces sunt.

De fide iustificante.

89. Euangelici docent, solam fidem iustificare, & sufficere ad salutem: quod probant ex illo, Rom. 3. 28. *Arbitramur hominem iustificari per solam fidem.* Et Lucæ 7. 50. *Fides tua te saluam fecit.* Et Lucæ 8. 50. *Credet tantum, & salua erit.* Sed absurdè: ne quid dicam grauius. Nam primum locum manifestè corruperunt, ut supra monui. Apostolus enim sic habet; *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis,* id est, Arbitramur opera legis Mosaicæ, seu ceremonias legales iam mortuas & abrogatas esse post aduentum Christi: & quamuis in veteri Testamento profuerint ad iustitiam quandam legalem & externam; nūc tamen nihil prodesse ad iustitiam fidei, quæ consistit in interna renouatione animi. Euangelici cum Luthero sic vertunt; *Arbitramur iustificari hominem per solam fidem.* Magna peruersitas. Nam constat ex aliis Scripturæ locis, hominem non sola fide, sed etiam spe, dilectione, oratione, Baptismo, Euangelio saluari & iustificari. Rom. 8. 24. *Spe salvi facti sumus.* Et 1. Ioan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Et Philip. 1. 19. *Scio, quia hoc proueniet mihi ad salutem per vestram orationem.* Et ad Titum 3. 5. *Saluos nos fecit per luctacrum*

uacrum regenerationis. Et 1. Cor. 15. 1. Notum facio vobis Euangelium, per quod saluamini.

90. Si in his singulis testimonii adderemus particulam, *Sola*, sicut fecit Lutherus in testimonio Apostoli ad Romanos; emergerent hæ propositiones. 1. Iustificamur per solam spem. 2. per solam dilectionem. 3. per solam orationem. 4. per solum Baptismum. 5. per solum Euágelium. Quid absurdius? Sed, an etiam Euangelici hanc glossam addituri sunt ad illum locum, 1. Timoth. 2. 15. *Mulier saluabitur per filiorū generationem*, id est, per solam filiorum generationem? Si faciant, magnum erit priuilegium pro vxoribus Prædicantium. Et deinceps impunè erunt adulteræ, impunè criminatrices, modo filios generent.

91. Alter locus est, Lucæ 7. 50. *Fides tua te saluam fecit*. Hinc etiam colligunt Euangelici, solam fidem sufficere ad salutem. Sed eodē euentu, quo ante. Nam Christus, qui ibi dixit Magdalenæ, *Fides tua te saluam fecit*; dixit etiam Simoni de Magdalena, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Vt rursum ergo verum est, *Fides tua te saluam fecit*, & *Dilectio tua te saluam fecit*. Et sic ut hinc non licet inferre, solam dilectionem sufficere; ita nec inde, solam fidem sufficere. Vtraque necessaria est, & fides, & dilectio: magis tamen dilectio, iuxta illud, 1. Corinth. 13. 13. *Nūc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autē horum est Charitas*, Et paulo ante; *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Vnde Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 18. *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse*. Quod confirmat ex illo Apostoli, ad Gal. 5. 6. *In Christo Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neq; præputiū, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Nā fides non est efficax ad iustificandum sine charitate, iuxta illud Iacobi 2. 26.

Sicut

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus charitatis mortua est.

92. Tertius locus est, Lucæ 8. 30. *Crede tantum, & salua erit.* Verba sunt Christi. Ex quibus cōcludunt Euangelici, solam fidem ad salutem sufficere. Sed multò absurdius, quam ante, (quanquam omnia absurdissimè.) Nam Christus non loquitur ibi de iustificatione, seu remissione peccati, sed de resuscitatione puellæ mortuæ. Loquitur enim Iairo Principi Synagogæ, cuius filia moriebatur: Et dicit illi; *Noli timere, etiam si mortua sit filia tua: crede tantum, me posse illam resuscitare, & salua erit.* Quid hoc ad fidem iustificantem, de qua agimus? Nihil penitus. 1. quia fides iustificans respicit salutem animi, nō corporis, ut Euangelici fatentur. 2. respicit salutem illius, qui habet fidem, non alterius. Non enim Petrus iustificatur p̄ fidem Pauli, nec Paulus p̄ fidem Petri, sed quisque p̄ fidem, quæ in ipso est.

De libero Arbitrio.

93. Euangelici docent, nos in hoc statu naturæ lapsæ non habere liberum arbitrium, sed amissum esse p̄ peccatum primi parentis. Quod sic probant; Scriptura dicit, nos non posse bene aut malè agere pro arbitrio, iuxta illud Isaiæ 41. 23. *Bene aut male, si potestis, facite.* Ergo non habemus libertatem arbitrij. Est argumentum Lutheri. Sed valde crassum. Nam Isaias non loquitur de hominibus, sed de idolis gentium. Et sicut Dauid irridet idola gentium, Psal. 113. 12. cum ait; *Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non videbunt: nares habent, & non odorabunt;* sic Isaias exprobrat illis imbecillitatem, quod cum Di⁹ habeantur à stultis hominibus, non possint tamen bene aut malè facere,

id

id est, non possint cultoribus suis prodeſſe , nec con-temptoribus nocere.

94. Itaque vis argumenti Lutheranici est hæc: Idola, vel statuæ ex auro & argento factæ, non possunt suis cultorib. prodeſſe, nec aliis nocere: Ergo nos nō habe-mus liberū arbitriū. Perinde ac ſi ita ratiocineris; Idola non possunt ambulare: ergo nos non habemus pedes. Cur non etiam ſic? Idola non habent cerebrum: Ergo Euangelici non ſapiunt. Vel ſic; Idola habent dura ca-pita: Ergo Euangelici ſunt pertinaces.

De Communione ſub utraque ſpecie.

95. Euangelici docent , Christum non ſolūm iſti-tuiſſe, ſed etiam præcepiffe communionem ſub ſpecie vi-ni; ac proinde Catholicos, qui communicant rātum ſub ſpecie panis , peccare contra præceptum Christi. Hoc autem præceptum contineri illis verbis , Matth. 26.17. *Bibite ex hoc omnes.* Vrget hunc locum Caluinus lib.4. Inst. cap. 17. §.47. *Edictum, inquit, aeterni Dei eſt,* vt omnes bibant. Et §.48. *Præcipientis verba ſunt, Bibite ex hoc calice omnes.* Sed Caluinus ſpectat nuda verba , non ſenſum; ideoq; ſimplici lectori ſucum facit. Non enim voluit Christus, vt omnes abſolutē biberent ex eo ca-lice, ſed vt omnes Apostoli, qui præſentes erant. Hoc patet ex ipſo contextu. Cum enim diuififfet panē Eu-chariſticum in multas partes, & ſingulis Apostolis ſin-gulas porrexiſſet, calix autem eo modo diuidi nō poſ-ſet : vni ex Apostolis integrum porrexit, cum hac cau-tione, vt non putaret totum ſibi ebibendum eſſe , ſed aliquid inde deguſtandum , ac deinde reliquis ordine porrigeendum. Itaque verba illa, *Bibite ex hoc omnes,* idē valent, atque illa, Lucæ 22.7. *Accipite, & diuidite inter vos,* id eſt, vnuſ non exhauriat totum calicem , ſed ſin-guli aliquid bibāt. Quod & factū eſt, vt teſtatur Mar-

cus cap. 14. 24. Et biberunt ex eis omnes. Utique illi omnes ex eo biberunt quibus dictum erat a Christo, Bibite ex hoc omne.

96. Quid quæso hic difficultatis est? Nō plus, quam si paterfamilias, arrepto calice recentis musti, porrigeret eum filiis degustandum, cum hac formula, Bibite ex hoc omnes, id est, singuli modicum inde capiant: nemo solus totum exhaustiat. An propterea, quotquot extra familiam illam essent, putarent se cogi præcepto, ut ex eodem calice mustum gustarent? Ridiculum sanè.

97. Sed instant Euangelici, hoc modo: Illis dictum est, Bibite, quibus dictum est, manducate: at hoc dictum est omnibus: ergo & illud. Respondeo. Vel stupidi, vel importuni sunt, qui sic agunt. Iā ostendi, solum Apostolis præsentibus dictum esse, Bibite. Iisdem dictum est, manducate. Et quid opus est noua probatione? Persistam in exemplo allato. Si paterfamilias tempore cœnæ, dicebat famulis & ancillis præsentibus, manducate & bibite, an ideo censeretur omnes alias præcepto cogere ad manducandum & bibendum? Non opinor Eodē modo fecit Christus. Dixit Apostolis in ultima cœna præsentibus, manducate & bibite. An illis verbis præceptum dedit generale, quo omnes Christianos, obligaret? Nihil minus. Vbi ergo inquires, præceptum dedit, si ibi nō dedit? Responsio in promptu est. Si quæritur præceptum de vtraque specie, nusquam dedit. Si de Eucharistia, abstrahendo ab una vel vtraque specie, dedit illis verbis, Iōan. 6. 53. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Possimus autem carnem Christi manducare, & sanguinem eius bibere sub altera tātum specie, quia sub altera specie est totus Christus secundū carnem & sanguinem. Vbi iterum notanda est insignis Euangelicorum impudētia. Nam in his ipsis verbis, Ni manducaueritis,

& e. vbi reuera præceptum est, præceptū non agnoscūt. in illis autem, *Bibite ex hoc omnes*, vbi præceptum non est, præceptum esse contendunt.

98. Iterum instant; Ipse met Christus alibi fatetur, se omnibus dicere, quidquid dicit Apostolis, iuxta illud Marci 13.37. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Atqui Apostolis dicit, *Bibite:* Ergo omnibus dixit. Omnes ergo tenuerunt bibere calicem. *Respondeo.* Et hic apertè fucum faciunt Euangelici, truncando verba Christi. Ipse enim sic dixit: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Hac partitulam, *Vigilate*, omittunt boni illi viri, ex qua tamen sensus totius sententiae pendet. Non enim est hic sensus; Quidquid simpliciter vobis dico, hoc omnibus dico. Nam multa dixit Apostolis, quæ omnibus non dicit, ut Matth. 26.31. *Omnes vos, scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Et Ioan. 6.70. *Nōne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est?* Igitur hic est sensus? *Quod dico vobis, ut vigilatis, omnibus dico, ut volo.* Omnes enim debent vigilare, ne mors imparatos inueniat.

De Inuocatione Sanctorum.

99. Euangelici contendunt, Sanctos non esse inuocandos. Primò, quia est iniuriosum Deo, qui solus vult inuocari, Matth. 4.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Secundò, est etiam iniuriosum Christo, qui solus est mediator & intercessor pro nobis apud Deum, 1. Timoth. 2.5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

100. Hæc argumenta magni ab ipsis fiunt. Sed reuera nullius sunt momenti: Et facile retorqueri possunt. Nam primo, quæro ex Euangelicis, an liceat inuocare Sanctos, qui nobiscum in hac vita degunt? Omnidò, inquiunt. Et rectè. Omnes enim Christiani id faciunt, quando petunt à se mutuo suffragia. Et Paulus suo

exemplo eos id facere docuit. Coloff. 4. 2. Orationi in-state, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Et 1. Thess. 5. 25. Fratres orate pro nobis. Et 2. Thess. 3. 1. De cetero fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat. Et Iacobi 5. 16. Orate pro inuicem, ut saluemini.

101. Iterum quæro, an inuocare Sanctos in hac vita degentes, sit iniuriosum Deo & Christo? Minimè. Alioqui nec pij Christiani id facerent, nec Apostolus suo exemplo id facere docuisset. Cur ergo inuocare Sanctos in cœlo existétes sit iniuriosum Deo & Christo? Hic hærent Euangelici, & latibula quærunt. Sed in lucem educendi sunt, quod fiet, si legitimè explicentur loca Scripturæ, quæ ab ipsis adferuntur.

102. Igitur prior locus est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sensus est; Non adorabis falsos Deos, sicut gentiles faciunt, sed vñ verum Deum, cui soli, tanquam vero Deo, diuinum cultum exhibebis. Qui sensus exprimitur Exodi 20. 3. *Non habebis Deos alienos corā me: Non adorabis eos neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus.* Sicut ergo contra hæc præcepta non peccant illi, qui petunt suffragia viuentium in terra; ita nec illi, qui petunt suffragia viuentium in cœlo. Et ratio est, quia neutri adorat illos, tanquam Deos, sed petunt intercessionem eorum apud verum Deum. At petere aliorum intercessionem apud verum Deum, non est colere aut adorare falsos Deos. Nihil certius.

103. Alter est, *Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus;* id est, Solus Christus est primus ac principalis mediator inter Deum & homines, quia cū omnes essemus inimici Dei, ipse primus ac solus, ex propriis meritis, per condignam satisfactionem nos Deo reconciliauit. Nullus Sanctorum hoc fecit, aut facere potuit. Possunt quidem esse secundarij mediatores,

quia

quia per virtutem meritorum Christi possunt pro nobis apud Deum intercedere, & aliquid ab eo impetrare. Hoc fecit Moses & Prophetæ in veteri; hoc in nouo Testamento fecerunt alij, quorum suffragia implorauit Apostolus cum dixit, *Fratres, orate pro nobis.* Idē faciunt Sancti in cœlo. Neutri tamen derogant aut obscurant officium Christi, qui est principalis mediator. Nam quidquid faciunt, hoc virtute meritorum Christi faciunt; ac proinde quidquid faciunt, cedit in maiorem ipsius laudem & excellentiam.

De Antichristo.

104. Euangelici conantur simplici populo persuadere, Papam esse Antichristum: Et hoc probant ex Apostolo, 2. Thessal. 2. 4., vbi de Anticheistro sic loquitur; *Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Quem locum Iconius Caluinista in duplice Elencho, sic interpretatur: *Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut sebasma, id est, supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicum. Ostendens se, tanquam sit Deus;* id est exhibet se pro visibili Ecclesiæ Catholicæ capite. Hinc conficit tale argumentum; Ille est verus Antichristus, qui extollitur supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicum, & exhibet se pro visibili capite Ecclesiæ: Hoc facit Papa: Igitur Papa est Antichristus.

105. Hoc argumentum, dupliciter peccat. Primo, quia retorqueri potest in Euangelicos, hoc modo: Ille est Antichristus, qui extollitur supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicum, & exhibet se pro visibili capite Ecclesiæ. Vtrumque facit Rex Angliæ, quem Euangelici suæ fidei defensorem appellant: Ergo Rex Angliæ est Antichristus. Maior ponitur ab aduersario. Minor nota est, quia Euangelici in Anglia disertè scri-

brpt, Regem in suo regno habere supremam gubernationem & potestatem supra omnes personas utriusque ordinis, tam Ecclesiastici, quam politici; & esse supremum caput ac Primate Ecclesiae Anglicanæ, ut alibi à me ostensum est.

106. Deinde, nititur noua & falsa interpretatione. Non enim Apostolus per *omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, intelligit omnem ordinem Ecclesiasticum & politicum; sed omnem Deum, siue verum, siue falsum, ut aperte constat ex Daniele, cap.ii. 36. vbi eandem Apostoli sententiam expressit his verbis; *Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica. Et Deum patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit.* Certè, aliud est, extolli supra omnem Deum, etiam Deum Deorum, aliud, extolli supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicum. Illud prius conuenit Antichristo: hoc posterius potest etiam bonis viris conuenire. An non Moses, antequam Aaron consecraretur, erat supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicū apud Iudæos? An non Constantinus Imperator (ex sententia Euangelicorum) erat supra omnem ordinem ecclesiasticum & politicum in generali Concilio Nicæno? An ideo Antichristus? Videant Euangelici.

107. Aequè noua & falsa explicatio est hæc; Ostendens se tanquam sit Deus, id est, Exhibens se pro visibili capite Ecclesiæ. Nam ostendere se, tanquam Deum ponitur ab Apostolo, tanquam nota quædam Antichristi, quæ sine dubio culpada est. Exhibere autem se pro visibili capite Ecclesiæ, non est nota Antichristi, sed privilegiū Petri & successorum eius. An non Petrus constitutus fuit visibilis Pastor ouium Ecclesiæ, quando dixit illi Christus, *Pasce oves meas?* Omnidè. At Pastor respectu sui gregis, non est brachium aut tibia, sed caput,

&

& quidem caput visibile: Ergo Petrus fuit visibile caput sui gregis, id est, omnium Christianorum, seu totius Ecclesiae Christi. An ideo Antichristus? Absit.

De Ecclesia.

108. Euangelici docent, Ecclesiam posse deficere & errare: immo iampridem defecisse & errasse: Et hoc predictum esse à Daniele, cap. 9. 27. *Deficiet hostia & sacrificium.* Mira res. Existant clarissima testimonia in contrarium, ut Matth. 16. 18. *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Et 1. Timoth. 3. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Et Psal. 47. 9. *Deus fundauit eam in æternum.* Et Dan. 2. 44. *Suscitat Deus regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Omitto reliqua.

109. Cur Euangelici tam multis & claris testimoniorum fidem non habent? Cur vnum illud ex Daniele, quod obscurum est, his omnibus anteponunt? Nimirum in hac re imitantur Donatistas, qui dicebât Ecclesiam in sola Africa remansisse: & citabant illud ex Canticis, cap. 1. 6. *Indica mihi, quæ diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vnde sic ratiocinabantur; Ecclesia cubat in meridie: sed Africa est in meridie: Ergo cubat in Africa: Igitur extra Africam non est. Quos refellit Augustinus in lib. de unitate Ecclesiae, cap. 16. hoc potissimum argumēto: Multa sunt clara Scripturæ testimonia, quæ docent Ecclesiam toto orbe diffusam esse: Ergo Donatistæ perperam faciunt, cum ex uno obscuero conantur probare, Ecclesiam in sola Africa remansisse.

110. Verba Augustini sunt hæc; Scrutamini scripturas canonicas, & eruite aliquid manifestum, quo demonstrabis Ecclesiam in sola Africa remansisse, &c. Aliquid proferte,

quod non egeat interprete, nec unde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Videris enim nunc illud unicum, quod proferre consueisti. Vbi pascis, vbi cubas in meridie, quemadmodum excussis omnibus eiusdem loci verbis, longè aliud indicat, quam vos putatis. Et si hoc sonaret, quod vultis, Maximianistæ vos in eo vincerent. Magis enim meridies provincia, Byzantium, Tripolis, ubi illi sunt, quicunque sunt, quam Numidia, ubi vos præpolletis. Ita ergo ipsi possunt germanius & distinctius gloriari de meridie, ut eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum & Catholicum teneatis. Aliquid ergo proferte, quod non contra vos verius interpretetur, sed quod interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete; Tu enim vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum, &c. Sicut non eget interprete; Commouebuntur & conuertentur ad Dominum uniuersi fines terræ, &c. Sicut non eget interprete; Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudea & Samaria, & usque in totam terram. Sicut non eget interprete; Prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe, &c.

III. Simili modo refellendi sunt Euangelici. Scrutentur Scripturas canonicas, & eruant aliquid manifestum, quo demonstrent Ecclesiæ errasse vel defecisse. Aliquid proferant, quod non egeat interprete. Sicut non eget interprete: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Sicut non eget interprete: Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, &c. Nam illud, quod proferunt ex Danièle, Desiciet hostia & sacrificium, nihil ipsis patrocinatur, nisi ipsi sint interpretes. Nam alij non interpretantur de defectione Ecclesiæ Christianæ, sicut ipsi, sed de defectione Synagogæ Iudæorum. Ex eo autem, quod Synagoga defecerit, non sequitur, Ecclesiam defecturam esse. Hæc enim promissionem habet de sua firmitate & stabilitate, quam illa non habuit. Hæc designatur per

per Sarah, quae semper misit cum Abraham: Illa per Agar, quae repudiata est. Deinde, et si daremus Danielē vaticinari de defectione Ecclesiæ, quomodo probarēt Euangelici, vaticinium iam impletum esse? Non enim sequitur; Daniel prædixit defecturā hostiam & sacrificium: Ergo iam defecit. Imò in Ecclesia non defecit. Adhuc quotidie offertur sacrificiū corporis & sanguinis Domini apud Catholicos. Tertiò, si hoc etiam demus, Ecclesiā defecisse, quid aliud sequitur, quām Euāgelicos nō esse in Ecclesia? Nam si Ecclesia non est, in Ecclesia esse non possunt. Igitur extra Ecclesiā sunt. At extra Ecclesiā non est salus, ut fatetur Caluinus lib. 4. Instit. c. i. §. 4. his verbis; *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorū remissio, nec ullā salus.* Loquitur autē de Ecclesia visibili, de qua hic agimus. Denique si Ecclesia potest deficere & errare (siue id iam factum sit, siue non sit) poterit etiam errare Ecclesia, in qua Euangelici fingunt se esse. Si potest errare, quomodo constabit non errasse? Aut quis fidem ei habebit, si dicat se non errare, sed tamen errare posse? Quid si erret, hoc afferendo? Nihil igitur certum apud Euangelicos.

De capite Ecclesiæ.

112. Euangelici rident nos, quod dicamus Pontificem, Petri successorē esse caput Ecclesiæ. Et obiciunt nobis Apostolum, Eph. 1. 22. afferentem, *Ecclesiam esse corpus Christi.* Vnde sic ratiocinantur; Vnum corpus, nisi monstrorum sit, habet vnum tantum caput: At Ecclesia est vnum corpus: Ergo, nisi monstrorum sit, habet vnum tantum caput. At caput illius est Christus (Ephes. 4. 15.) Ergo Papa non potest esse illius caput; alioqui haberet duo capita, & sic esset monstrorum.

113. Sed ipsi potius ridendi sunt. Primò, quia sicut nos dicimus, Pontificem esse caput Ecclesiæ Romanæ

seu vniuersitatis, ita ipsi dicunt, Regem Angliae esse caput Ecclesiæ Anglicanæ: Ergo argumentum, quo nos oppugnant, in ipsis retorqueri potest, hoc modo; Vnum corpus, nisi monstrorum sit, habet vnum tantum caput: At Ecclesia Anglicana est vnum corpus: Ergo, nisi monstrosa sit, habet vnum tantum caput. At caput illius est Christus: Ergo Rex Angliae non potest esse illius caput; alioqui haberet duo capita, & sic esset monstrosa. Quid hic dicent?

114. Secundò, non intelligunt distinctionem inter corpus naturale, & mysticum. Putant eandem esse utriusque rationem; ac proinde sicut in corpore naturali est vnum tantum caput, vna lingua, vnum pectus, vnu cor, vnius stomachus, duo oculi, duo brachia, duo pedes, & sic deinceps; ita putat fieri debere in corpore mystico, quod est Ecclesia. Sed valde errat. Nam tot sunt membra Ecclesiæ, quot veri Christiani: At plures sunt Christiani, quam membra humani corporis: Ergo etiam plura sunt membra Ecclesiæ, quam humani corporis. Non igitur est eadem utriusque ratio. Vnde nec valet haec consequentia; In corpore naturali est vnum tantum caput, duo pedes, duæ manus: Ergo similiter sit in corpore mystico, id est, in Ecclesia. Faciamus tamen valere, ut Euangelici stultè opinantur. Faciamus in Ecclesia ipsorum, esse vnum tantum caput, nempe Christum; duos tantum oculos, Paræum & Oecolampadum: duo brachia, Zuinglium & Bucerum: duas manus, Iunium & Tremellium; duos pedes Bezam & Smidelinum: vnum stomachū, Lutherum: vnum cor, Caluinum: vnam linguam, Melanchthonem. Quid fieri de reliquis prædicantibus? Nullus illorum poterit esse caput, aut lingua, aut cor, aut stomachus, aut oculus, aut brachium, aut manus? Quid de illorum uxoriibus & liberis? Quid de ciuibus, rusticis, militibus?

quid

quid de nobilibus, Baronibus, Comitibus, Principibus, Regibus? An erunt tantum capilli & excrementa illius corporis? Respondete Euangelici.

115. Nos Catholici aliter edocti sumus. Agnoscimus in corpore Ecclesiae tot oculos, quot Praelatos, qui vigilant pro grege sibi commisso: tot linguas, quot Prophetas & Cpcionatores: tot brachia, quot protectores: tot manus, quot dispensatores mysteriorum Dei: tot pedes, quot Apostolos discurrentes per urbem vniuersum, & Euangelium pacis annunciantes: tot stomachos, quot operarios, & sic deinceps. Igitur ex nostra sententia, sicut corpus Ecclesiae non est monstrosum, si habeat mille oculos, mille manus, mille brachia; sic monstrosum non est, si habeat duo capita: Vnum primarium in celo, quod est Christus; alterum secundarium seu vicarium in terra, quod est Pontifex. Et vicissim, sicut ex sententia Euangelicorum monstrosum est, si habeat duo capita; sic etiam monstrosum est, si habeat plures oculos, quam duos; plura brachia, quam duo; plures pedes, quam duos. Nullus ergo apud illos vigilat, nisi Paraeus & Oecolampadius: nullus protector Ecclesiae est, nisi Bucerus & Zuinglius: nullus annunciat orbi Euangelium, nisi Beza & Smidelinus. Quid ergo Osiander, Bibliander, Sneppius, Musculus, Capnius, Selneccerus, Pelicanus, Kemnitius, Ochinus, Brentius, Bullingerus, & similia propudia? An tantum feces & excrementa sunt Ecclesiae Euangelicorum? Doleo ad eam miseriam redactos esse.

De Primatu Ecclesiae Regio.

116. Euangelici in Anglia docent, Regem habere Primum Ecclesiae Anglicanæ. Id Sacellanus in Responsione ad Apologiam Cardinalis Bellarmini, conatur probare ex illis verbis Mosis, Num. 27. 16. Pronuntiat:

deat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oves sine pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. Ex quibus sic argumentatur: Qui à Deo spirituum præficiuntur aliis, sciunt ad se pertinere curam spirituum: At Iosue, & alij Reges ac Principes, à Deo spirituum præficiuntur aliis: Ergo sciunt ad se pertinere curam spirituum: Ergo habent Primum spiritualem seu Ecclesiasticum.

117. Mira subtilitas in hoc homine. Et quia spiritus, ubi vult, spirat, poterit hoc modo formare argumentum: Qui à Deo spirituum *omnis carnis*, præficiuntur aliis, sciunt ad se pertinere curam spirituum *omnis carnis*: At Rex Angliae, à Deo spirituum *omnis carnis* præficitur aliis: Ergo scit ad se pertinere curam spirituum *omnis carnis*. Non ergo debet se continere intra suam insulam, sed etiam ad exteris, præsertim ad Imperatorem, Reges, Principes, dirigere Monitorias præfationes, eosque in religione instruere. Scit enim ad se pertinere curam spirituum *omnis carnis*, id est, omnium hominum. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* (Genes. 6. 12.) Vel certe hoc modo: Qui à Deo cæli & terræ præficitur aliis, scit ad se pertinere curam cæli & terræ: Rex Angliae à Deo cæli & terræ præficitur aliis: Ergo scit ad se pertinere curam cæli & terræ. Nimirum, *magnus Dominus, & laudabilis nimis.*

118. Quis non videt hunc Euangelicum ineptire, nec ad Scripturæ sensum aduertere? Ineptiam iam ostendi. Et sensus verborū Mosis est alius, quam ipse putat. Est autem hic: Ego quidem iam morti vicinus sum, & alius in hoc officio temporali subrogādus mihi est, qui sit Dux exercitus: sed quis potissimum idoneus

neus sit, omni in dō me latet. *Dominus Deus spirituum omniscarnis*, id est, cognitor & inspector cogitationum omnium hominum, facile prouidebit virum bonum, qui ad gubernandum aptus sit.

119. Itaque, quod dixit Moses, *Dominus Deus spirituum omniscarnis*, hoc dixit Apostolus, *Hebr. 4.12.* *Discretor cogitationum & intentionum cordis.* Et similiter quod pleno sensu dictum est à Mose, *Dominus Deus spirituum omnisci carnis prouideat hominem, qui sit super hanc multitudinem;* hoc simili sententia dictum est à Petro, *Act. 1. 24.* *Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum.*

120. Eodem sensu intelligendum est illud. *Nu. 16.22.* *Deus spiritū uniuersa carnis, nū uno peccante, cōtra omnes ira tua defūiet?* id est, Domine Deus, qui es cognitor & inspector omniū, tu scis, quis peccauerit ex tāta multitudine, & qui innocētes sint. Puniatur ille, nō isti. Non enim æquum est, vt uno peccante, puniantur omnes.

121. Hinc apparet, quæ sit vis argumenti Sacellani. Est autem hæc; *Dominus Deus*, qui est inspector cordium, designat Reges & Principes: Ergo Reges & Principes habent Primatum Ecclesiæ. Itane verò? Cur non etiam sic? Dominus Deus, qui est inspector cordiū, designat Apostolos & Episcopos: Ergo Apostoli & Episcopi habent primatum Ecclesiæ. Vel sic denique: Dominus Deus, qui est inspector cordium, designauit Sacellano Episcopum Eliensem: Ergo Sacellanus habet Primatum Ecclesiasticum & sacerdotalem. Tam enim sacerdotalis, quām Ecclesiasticus Primatus deduci potest ex illo antecedente.

122. Sacellano similis est Tookerus, qui in Duello suo ad eundem scopum ita ratiocinatur: *Dicitum est de Tiberio, Date Cæsari, quæ Cæsarī sunt. Dicitū est de Herode. Dicite illi vulpecule. Dicilum est corā Pilato, Ego sum veri-*

tas. Quid infert? Nimirum, quod Sacellanus; Ergo Reges habent Primum Ecclesiæ. Ingeniosa connexio: sed quæ in Insula fortunata, non alibi, locum habet.

123. Iam facile credam, quod alias audiui, Euangelicos in Anglia, quidlibet ex quolibet probare posse. Nec opus est multis exemplis. Ex uno disce reliqua. Si quæras ex illis, quare Lutherus & Henricus V III. à raptu virginum & generationibus exorsi sint suum Euangelium? mox respondent, quia scriptum est; *Initium Euangeliij Iesu Christi: Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Iudam & fratres eius, &c. Omnes itaque generationes, &c.* De hac Euangelicorum subtilitate in Anglia, extat libellus cum hac inscriptione, *Prurit-anus.*

De fide paruolorum.

124. Euangelici cum Luthero docent, infantes habere actum fidei, cum baptizantur. Quod confirmant ex illo Lucæ 1.44. *Exultauit in gaudio infans in utero meo.* Vnde sic colligunt: Ioannes habuit actum fidei, cum adhuc infans in utero materno sanctificaretur: Ergo etiam reliqui infantes habent actum fidei, cum in baptismo sanctificantur. Perinde, ac si dicas; Asina Balæam locuta est, cùm à Domino suo percuteretur, (Nu. 22.28.) Ergo etiam reliquæ asinæ loquuntur, cùm vapulant, præsertim in Silesia.

125. Vel sic: Elisabetha repleta est Spiritu sancto, quando gestauit infantem in utero: Ergo omnes mulieres, replentur Spiritu sancto, quando uterum gestant. O igitur beatas vxores Prædicantium. Vel sic: Jacob in utero matris suæ supplantauit fratrem suum Esau (Gen. 25.26.) Ergo, quoties nascuntur gemelli, idem fit.

De Esu carnium.

126. Euangelici, quia non libenter agunt pænitentiam, conantur populo persuadere, licitum esse carnis vesci in quadragesima, & aliis diebus, quibus Ecclesia prohibet illarum usum. Et probant ex illo, Matt. 15.11. *Non quod intrat in os, coinquiat hominem.* At carnes, quando comeduntur, intrant in os: Ergo non coinquant hominem: Ergo licitum est, carnes comedere, non obstante Ecclesiæ prohibitione. Ineptissimè quidem; sed tamen, ut suo ventri & abdomini satisficiant, populariter.

127. Sanè, si Adam & Eva in paracliso sciuisserent hunc modum argumentandi, potuissent contra Deum sic disputare; *Quod intrat in os, non coinquiat hominem:* sed fructus arboris, à quo iussisti nos abstinere, intravit in os nostrum: Ergo non potuit nos coinquare. Cur igitur nobis irasceris? Cur, quasi reos, de Paradiso eiicis? Possent & ebriosi contra Apostolum similiter argumentari; *Quod intrat in os, nō coinquiat hominem.* Cur ergo scribis: 1. Cor. 6. 10. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt?*

128. Dicam, quod res est. In cibo & potu sumendo, duo spectari possunt. 1. Ipse cibus & potus secundum naturam & substantiam suam. 2. animus sumendi cibum & potum. Igitur cibus & potus, qui intrat in os, ex natura & substantia sua non coinquat hominem, cum sit creatura Dei. *Omnis enim creatura Dei bona est* (1. Tim. 4. 4.) At animus sumendi cibum & potum, potest coinquare hominem dupliciter. Primo, si sit animus intemperans, qui desiderat plus cibi & potus, quam ratio præscribit. Sic coinquuntur ebriosi. Secundo, si sit animus inobediens, qui contra Dei vel Ecclesiæ præceptum, desiderat cibum & potum. Sic

Adam

Adam & Eua coinqinati sunt in Paradiso, quia Deus præceperat illis, ut abstinerent à fructu arboris scientiæ boni & mali. Sic coinqinatur Euangelici, quia Ecclesia illis præcipit, ut certis anni temporibus abstineant ab esu carnium, & tamen non volunt obtemperare.

129. Dicent, Ecclesiam non posse prohibere cibos, qui natura boni sunt. At cur obsecro non possit? An non sanguis, & pullus columbinus suffocatus, natura sua, bonus est? Nemo dubitat. Et tamen Ecclesia, tempore Apostolorum, prohibuit illius usum, (Act. 15. 20.) An non caro, natura sua, bonus cibus est? An non vinum, bonus potus? Omnipotens. Et tamē medici, in certo morborum genere, prohibent illorum usum. Et nisi medicorum præcepto obsequaris, grauiter peccas, quia tibi ipsi causa mortis es. Liceat hoc medicis, & non liceat Prælatis Ecclesiæ? Liceat illis, pro sanitate corporis; non liceat his, pro sanitate animæ?

De Matrimonio.

130. Euangelici, sicut pugnant pro esu carnium, sic etiam pro vxoribus. Aiunt matrimonium singulis à Deo præceptum esse, illis verbis, Genes. 1. 28. *Crescite & multiplicamini.* Et quamvis afferant, alia Dei præcepta esse impossibia, hoc tamen accuratè seruandum esse censem. At ego nullum hic video præceptum. Nam illa verba, *Crescite & multiplicamini*, bis à Deo prolata sunt: semel primis paréntibus in Paradiso; & semel Noë & filiis eius post diluvium, cum ex arca egressi essent. At utrobique post matrimonium iam contractum prolata sunt. Non ergo continent præceptum matrimonij contrahendi, sed benedictionem pro matrimonio iam ante contracto.

131. Hoc constat ex ipso textu. Nam primo certum est, Noë & filios eius, antequam arcam ingrederentur,

habuisse suas vxores, Gen. 7. 7. *Ingressus est Noë & filij eius, uxore eius & uxores filiorum eius, cum eo in arcam, propter aquas diluuij.* Deinde, certum est, eundem Noë & filios eius cum suis vxoribus, peracto diluvio, egressos esse ex arca, Gen. 8. 18. *Egressus est ergo Noë & filij eius, uxori illius & uxores filiorum eius cū eo.* Tertiò certū est, postquam cū suis vxoribus egressi sunt ex arca, tunc illis dictum esse à Deo, *Crescite & multiplicamini.* Hoc enim disertè habet historia. Vnde euidenter sequitur, his verbis non contineri præceptum de matrimonio ineundo, quia iam ante erat initum, sed benedictionem in propaganda posteritate. Et hoc significat tex-tus, cum ait, *Benedixit Deus Noë & filii eius, & dixit ad eos, Crescite & multiplicamini, & replete terram,*

132. Idem dico de primis parētibus. Nam matrimonium inter illos tunc contractum est, quando Deus ex costa Adæ dormientis formauit Euam. Tūc enim Adā euigilans ex sopore dixit; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrē relinquet homo patrem & matrē, & adhærebit uxori sue. Quibus verbis tria indicat. 1. Euam esse vxorem suam. 2. maius esse vinculum inter virum & vxorem, quam inter parentes & filios. 3. coniunctionem coniugalem, quæ tunc inter ipsum & Euam erat facta, figuram fuisse futuræ coniunctionis Christi cum Ecclesia. Sic enim verba Adami interpretatur Apostolus Eph. 5. 32. cum ait; *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Igitur quod postea dīctū est primis parentibus, *Crescite & multiplicamini, non continet præceptum de cōtrahendo matrimonio quia iam erat contractum, sed solennem benedictionem ad propagandum genus humanum.*

Q V A E S T I O V I I I .

An Euangelici ex solo Euangelio possint suam doctrinam confirmare?

133. **H**oc quidem iactant se posse facere : sed frustra. De qua re audi , quod nuper contigit. Habitum fuit colloquium inter duos Principes de fide & religione : quorum alter erat Serenissimus Vaudimontius Catholicus ; alter Illustrissimus Marchio Durlacensis Euangelicus. Vaudimontius, ut exploraret, an Euangelici possint præstare, quod præ se ferunt , id est an ex sola, nuda, ac simplici Scriptura, reiectis Traditionibus & authoritate Patrum , possint suam doctrinam confirmare ; obtulit Marchioni quosdam articulos Euangelicorum in scripto , præsertim hos . 1. *Missam non esse sacrificium propitiatorium. 2. Matrimonium non esse Sacramentum. 3. Duo tantum esse Sacra menta 4. Non esse Purgatorium. 5. Nos sola fide iustificari. 6. Sanctos non esse inuocandos.* Hos,inquit, articulos vestri Prædicantes probent mihi ex sola, nuda, ac simplici scriptura: nihil addant de suo, nihil de alieno : solis scripturæ verbis vtantur. Si desperent posse se id consequi, ingenuè fateantur. Quid sit? Marchio, conuocatis sex Prædicantibus, rem totam illis exponit. Conferunt illi inter se capita; & tandem facta consultatione, respondent Peti à se rē impossibilem. Non posse se illos articulos ex solis scripturæ verbis confirmare , sed aliis etiam præsidiiis, præsertim interpretatione & consequentiis opus esse. Sic Christum fecisse, quando Saducæos refellebat. Nō nudis scripturæ verbis, in afferenda mortuorum resurrectione, sed argumentis & consequentiis usum esse.
134. Tum Vaudimontius; Si, inquit, non aliter quā vestra

vestra interpretatione, & vestris consequentiis pugnare vultis; quid futurum est, si vestrā interpretationem non admittamus? Et certè non admittimus. Quid si vestræ consequentiae sint dūbiæ ac incertæ? Quis tūc erit Iudex? An Plato, vel Aristoteles aliquis accersendus? Quid, si Catholici tam probi sint Dialectici, quām vos estis? Quid, si vim & natutam consequentiaſtū tam bene perspectam habeat, quām vos haberis? Quid si etiam ingenio, arte, subtilitate & exercitatione longē vos supererent, quod non raro fit? Certè, cum in Colloquio Ratisbonensi formam argumentandi virgeret, non ausi fuistis eam admittere, rati, quod res erat, longè vos illis in hac palæstra inferiores esse. Nec est quod ad Christi exemplum prouocetis. Ausim dicere, neminem inter vos esse, qui vim & efficaciam illius consequentiae, qua Christus contra Saducæos usus est, suo marte penetrare & explicare possit. Tentate, si vultis, Est autem hæc consequentia: *In libro Mosis scriptum est, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: Ergo mortui resurgent.* (Marth. 22. 31.) Huius vim explicate, si potestis; sed seclusa Traditione & expositione Patrum, quam contemnitis.

135. Hæc & his similia, non minus verè, quam ingeniōsè Vaudimontius. Cuius exemplo vt insistam, peto ab Euangelicis, vt ex sola & simplici Scriptura ostendant, duo tantum esse Sacraenta nouæ legis, Baptismum & Eucharistiam: reliqua, quæ Catholici adiiciunt, non esse Sacraenta. Vel, vt speciatim præstent tria. Primò, ostendant ex sola & simplici Scriptura, nomen Sacramenti tribui Baptismo & Eucharistiæ; non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Matrimonio, Extremæ unctioni. Secundò, ex eadem Scriptura definiat Sacramentum. Tertiò, demonstrent definitionem

conuenire Baptismo & Eucharistiae; non autem reliquis. Haec si praestiterint, salua res est. At nunquam praestabunt.

136. Ac primo, vbi inuenient locum Scripturæ, in quo nomen Sacramenti tribuitur Baptismo & Eucharistie? Nusquam. At ego inueniam, vbi tribuitur matrimonio. Sic enim scribit Apostolus, Eph. 5.31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam & adhæret bit uxori sua, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia, quasi dicat. Quod homo relinquit parentes suos, & adhæreat uxori, hoc est magnum Sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, id est, repræsentat coniugium Christi & Ecclesia.*

137. Secundò, vbi inuenient definitionem Sacramenti in Scriptura? Lutherus quidem in libr. de capt. Babylonica cap. vltimo, sic definit; *Sacramentum est promissio signo externo annexa.* Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, artic. 3. sic; *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio gratiæ & remissionis peccatorum.* Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 1. sic; *Sacramentum est symbolum externū, quo benevolentia erga nos suā promissionem conscientiis nostris Dominus obligat, ad sustinendam fidem nostram imbecillitatē: & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis, quam apud homines testamur.* Plessæus li. 4. de Eucharistia, cap. 1. pag. 648. sic; *Sacramentum est sacer ritus à Deo institutus, promissioni gratiæ in Christo factæ adiunctus, quo tanquam arrhabone & testimonio, fidelis quisque certus sit, promissionem illam gratiæ, quæ in verbo diuino explicatur, sibi particulatim exhiberi, ratificari applicari.*

138. At hæ definitiones non habentur in Scriptura. Imo, nec inter se conueniunt: Nam Lutherus in sua definitione supponit, promissionem esse de essentia

Sacra

Sacramenti: Melanchthon, annexam esse Sacramento: Caluinus & Plessæus, non esse annexam Sacramento, sed potius , Sacmentum annexum seu additum est promissioni. Non enim esse promissionem de effectu & efficacia Sacramenti , sed de effectu & efficacia diuinæ erga nos benevolentia, & meritorum Christi. Itaque secundum Melanchthonem , sic exprimenda esset promissio ; Si quis Sacmentum Baptismi aut Eucharistiæ suscepere, promitto illi remissionem peccatorum. At secundum Caluinum & Plessæum , hoc modo; Promisi vobis remissionem peccatorum & vitam æternam ; & hanc ipsam promissionem declaro & obsigno per Sacraenta.

139. Tertio, quidquid sit de definitionibus iam allatis, quas Euangelici commenti sunt, quomodo ex sola & simplici Scriptura poterunt demonstrare, eas conuenire Baptismo & Eucharistiæ ? Non video. Experi-
mūr tamen. Una definitio est hæc; *Sacmentū est ritus, qui habet mandatū Dei, & cui addita est promissio remissionis peccatorum.* Probent Euangelici ex Euangeliō, hanc definitionē conuenire Eucharistiæ. Probent, inquam, ex Euangeliō, Eucharistiam habere annexam promissionem remissionis peccatorum. Vel, quod idem est, Euāgelium promittere nobis remissionem peccatorū, si ad hoc Sacmentū accedamus. Nunquam poterūt. Non enim hoc Sacmentum à Deo institutum est, vt homini remittat peccata, vel vt ex impio & peccatore faciat iustum & sanctum; sed vt iustitiam & sanctitatem, quæ in illo est, foueat, conseruet & augeat. Imò, tantum abest, vt remittat peccata , vt etiam ob sit peccatori, si cum conscientia peccati accedat. Hinc Apostolus 1. Corinth.11.28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Et Chri-

stus in vltima cœna nō voluit Apostolis porrigere Eucharistiam nisi præmissa pedum lotione. Nimirum, ut significaret, neminem, nisi lotum, purum & immaculatum, ad mensam Christi admittendum esse. Et ratio sumitur ex ipsa natura huius Sacramenti. Quid enim aliud est Eucharistia, quam cibus & potus spiritualis, quo anima reficitur, & vegetatur? (Ioan. 6.55.) Sicut ergo cibus & potus corporalis non prodest corpori mortuo, sed vitam habenti; sic etiam seruata proportione de Eucharistia dicendum est.

140. Non dicam hic plura de Sacraementis. Sufficiat insinuasse, Euangelicos non posse ex sola & simplici Scriptura probare, duo tantum esse Sacramenta. An aliunde possint, ipsis videant. Nunc pergerem ad alios ipsorum articulos, quos similiter ex Scriptura probare non possunt: sed vereor, ne nimia prolixitate, lectoti molestus sim. Hoc solūm addo, in aliis articulis eodem ferè modo procedendum esse, quo in isto de Sacraementis processimus.

Q V A E S T I O I X.

*An Evangelici ex solo Euangelio possint suas
controversias dirimere?*

141. Evangelici habent varias controversias de rebus ad fidem & religionem pertinentibus: alias inter se; alias cum Anabaptistis; alias cum Catholice. Nullas ex sola & simplici Scriptura finire possunt. Hoc uno aut altero exemplo ostendam. Est inter ipsos controversia de sensu verborum Christi; *Hoc est corpus meum.* Lutherani dicunt propriè; Caluinistæ, figuratè intelligenda esse. Vtrique prouocant ad solam Scripturam. Lis tamen finiri non potest. Quid causæ? quia Scri

Scriptura nihil aliud pronunciat, quām hæc nuda & simplicia verba, *Hoc est corpus meum*. An autem hæc verba propriè, an figuratè intelligi debeant, non definit Scriptura. Vnde ergo probant Caluinistæ figuratè intelligi oportere? An ex antecedentibus & consequentibus? Sed Lutherani dicunt, se ex antecedentibus & consequentibus contrarium colligere. An ex collatione aliorum Scripturæ locorum? Sed Lutherani pro se vrgent hanc collationem. An ex interno & priuato spiritu? Sed & hunc Lutherani non minus sibi arrogant, quām Caluinistæ. Quomodo ergo finiri hæc lis poterit? Non aliter, quām si utriusque prouocent ad traditionem & autoritatem Ecclesiæ. Hoc olim Augustinus in disputatione contra Donatistas & Pelagianos facere solitus est. Nam quando non poterat eos ex simplici & nuda Scriptura confutare, ad Patrum & Ecclesiæ autoritatem confugiebat. Nos Catholici idem facimus.

142. Est & alia inter Euangelicos controuersia de exorcismo & similibus ceremoniis, quæ in Baptismo adhiberi solent. Lutherani eas admittunt; Caluinistæ reiiciunt. Neutri tamen ex sola Scriptura suam sententiam possunt confirmare. Non quidem Lutherani, quia Scriptura nusquam dicit eiusmodi ceremonias usurpandas esse; sed ex sola traditione Ecclesiæ id habemus. Nec Caluinistæ, quia ipsi non alio argumento eas oppugnant, quām quod ex Scripturis probari non possint. At hoc argumentum contra ipsos est. Nam & ipsi præscribunt varios titus in Baptismo, quos ex Scriptura probare non possunt. Sunt autem hi. 1. vt infans in Ecclesia coram vniuerso populo baptizetur, idque vel die dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire solitus est. 2. vt illi, qui adferunt infantem ad Baptismum, interrogentur,

an spondeant, se infantem, cum adoleuerit, in fide & moribus instructuros. 3. vt nomen imponatur infanti baptizando. 4. vt formula Baptismi pronuncietur lingua patria. 5. vt recitetur symbolum, oratio Dominica, & aliæ preces. Hos ritus præscribit Caluinus in libello *de formula Sacramentorum ministrandorum*. At quomodo hi titus ex Scriptura probari possunt? Si ergo Caluinistæ reiiciunt omnes ceremonias, quæ ex Scriptura probari non possunt, has etiam reiici necesse est, propter eandem rationem.

143. Iam verò inter Euangelicos & Anabaptistas, non de ritibus & ceremoniis, quibus infantes baptizantur, sed de ipso Baptismo controuersia est. Anabaptistæ negant infantes baptizandos esse: Lutherani & Caluinistæ affirmant. Nec tamen ex Scriptura possunt conuincere Anabaptistas, sed ex sola traditione & præxi Ecclesiæ. Hanc enim prætendit Melanchthon in locis, titulo *de Baptismo parvulorum*. Sed meritò rideatur ab Anabaptistis. Nam si in aliis controuersiis reicit traditionem, & ad solam Scripturam prouocat, cur hic contrarium facit? Omitto similes controuersias, quæ hoc tempore apud ipsos vigent. Nulla haec tenus finiri potuit. Quid deinceps futurum sit, ne scio. Hoc ausim polliceri, quamdiu relicta traditione & authoritate Ecclesiæ, solam Scripturam pro se vident, nullam concordiam sperari posse. Nam apud ipsos, quisque pro suo cerebro interpretabitur Scripturam, ut volet: Et cum omnes superbi & arrogantes sint, nullus alteri, vel in minimo, cessarius est.

Q V A E S T I O X.

*An Euangelici in vita & moribus sint
conformes Euangelio?*

144. EX triplici capite ostendam, non esse. 1. ex propria ipsorum confessione. 2. ex propriis illorum factis. 3. ex propria doctrina. Et ex hoc tertio capite patebit, magnum esse discrimen inter Euangelicos & Catholicos. Nam Euangelici, secundum suam doctrinam non possunt benè vivere; Catholici, secundum suam, non possunt male.

145. Quod ergo ad primum caput attinet, ipsi Euangelici, tam Lutherani, quam Calvinistæ, ingenuè farentur, quod res est. Et quidem Lutherus in Postilla domestica Ienæ impressa, conc. 2. primæ Dominicæ aduentus, sic scribit; *Mundus ex hac doctrina (Euangelicorum) quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cum antea (in Papatu) unico tantum diabolo obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatum in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida Euagelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteriores, multò denique deteriores, quam prius in Papatu fuerat.*

146. Calvinus verò in cap. 11. Daniel. v. 34. In exiguo illorum numero, qui sese ab idolatriis Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis. Praclarū quidem Zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus. Et in commentario 2. Pet. 1. 2. *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euagelio nomen dederit, quam ut solutiū in omnem lasciviam diffueret.*

147. Et Andreas Musculus in lib. de nouissimo die; *Quod si fateri veritatem velimus, tum hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis quam nos, scortationibus, usurris, circumventionibus fraudibusque deditos, in toto iam*

mundo nusquam inueniri. Et infra ibidem; Res ipsa loquitur, & nobis licet inuitis confessionem veritas extorquet, quod iam peiores, irreligiosiores, ingratiiores, infideliores, pertulantiores homines, maioraque scelera & peccata in universo orbe, ne inter Turcas quidem, aut Iudeos, aut Paganos inueniantur, quam in iis locis, ubi verbum Dei quam diligentissime prædicatur.

148. Idem author in lib. de Prophetia Christi; Iterum cogor dicere, quia verum est, cötumaciōes homines, in quorum animis, omnes omnis virtutis & honestatis scintillae sunt extinctae, & apud quos nihil iam pro peccato habetur, nusquam nec apud Ethnicos, Iudeos, Turcas inueniri, quam inter Euangelicos, apud quos omnino vinculis solutus ac liber viget diabolus. Utque paucis rem omnē eloquar, illud nunc est, eoque nostra Lutheranorum res rediit, ut si quis videre cupiat magnam turbam nebulae, atheorum, usuriariorum & deceptorum, ei adeunda sit ciuitas aliqua, in qua Euangeliū prædicatur. Ibi cateruatum id genus hominum inueniet.

149. Porro serenissimus Britanniæ Rex Iacobus, in sua præfatione monitoria ad Imperatorem, Reges & Principes, de suis Euangelicis, præsertim Puritanis seu Caluinistis, ita sentit. Primo, esse homines furiosos & incendiarios. 2. plus se fidei reperiisse in effeis latronibus, quam in Caluinistis. 3. se non solum à nativitate continuò vexatum fuisse à Caluinistis, sed etiam in utero materno propemodum extinctum, antequam nasceretur. 4. se in suo libro ad filium, multò acrius in Caluinistas, quam in Pontificios inuectum esse. 5. se eidem libro prolixam in odium Caluinistarum præfationem Apologeticam præfixisse.

150. Hæc de primo capite. Sequitur alterum, in quo facta Euangelicorum expendenda sunt. Ex quibus constabit. 1. Euangelicos esse superbos & arrogantes. 2. impudicos. 3. mendaces. 4. calumniatores. 5. cœnitatores.

6. perfidi

6. perfidos. Quæ omnia Euangeliō contraria sunt. Superbia eorum in eo maximè elucet, quòd omnes alios præ se contemnunt. Lutherus in libro cōtra Henticum VIII. Regem Angliæ, scribit indignos esse Principes, Reges & Pontifices, qui sibi in detrahendis calceis ministerum exhibeant. Et, *se nihil curare, si mille Augustini, & mille Cypriani contra se stent.* Et Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 38. Parium me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactiōne passim occurrunt. *V*ideo omnes ferē, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperē ac dure locutos. Et Franciscus Iunius in suis animaduerſionibus circa tertium librum Bellarmini de Pontifice; Patres à vero ut plurimum aberrarunt.

151. De impudicitia & scurrilitate, quid necesse est dicere? Habemus viua exempla in Luthero, Beza, Battauo & similibus. Pudet referre, quæ impurissimè ab illis facta & scripta sunt. Legantur colloquia mensalia Lutheri, versiculi Bezæ, Apologia pro Christiano Battauo, Flores Caluinistici. Nihil aliud penè occurret, quam Lupanaria, lenones, meretrices, scortatores, spurijs, stupra, adulteria, incest⁹. Rectè de illis scripsit Erasmus in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ: *Quis nō iure admiretur, hos nouos Euangelistas non posse vivere sine uxoribus?* Et infra: *Quæ malū est ista salacitas? Vnde tanta carnis rebellio in iis, qui se iactant agi spiritu Christi?*

152. Mendacia passim obuia sunt. In quibus maximè excelluit Caluinus, qui lib. 4. Instit. c. 7. §. 27. scribit, Pontifices cum Cardinalibus docere, nullum esse Deum, nullū Christum, nullam resurrectionem. Quid hoc mendacio potest esse mendacius? Præceptorem imitantur discipuli. Gabriel Pouellus in libro de Antichristo, scribit Catholicos docere hæc puncta. 1. quòd Papa possit disp̄sare cōtra vetus ac nouū Testamentum. 2. quòd possit creare, seu aliquid ex nihilo producere.

cere. 3. quod possit Sacra menta à Christo instituta mutare quoad eorum substantiam. 4. quod maius peccatum sit, comedere carnes die prohibito, quam adulterium committere. Quis non stupeat ad hæc portenta? Et tamen Calvinistis familiaria sunt.

153. Audiamus calumnias, Sparserunt Euangelici annis superioribus, Iesuitas in Belgio machibatos esse mortem Mauricio Comiti Nassouio. Calumnia hæc, publica Magistratum ac Rerum publicarum auctoritate, refutata est. Sparserunt, Antuerpiæ infami supplicio affectum fuisse Iesuitam propter enorme crimen. Vniuersa Antuerpia reclamauit. Sparserunt, Iesuitas Monachienses in Bauaria, non modo stuprum virginis obtulisse, sed atrox etiam homicidium patrassæ. Serenissimi Ducis imperio, calumnia hæc solenni diplomate detecta & dissipata est. Sparserunt, quatuor Iesuitas, propter enormia facinora, Cracoviæ in Polonia, mandato Serenissimi Regis Stephani, morti destinatos esse. Hanc fabulam ipse met Stephanus Rex, virgente Reuerendissimo & Illustrissimo Principe Wolfgango, Archiepiscopo Moguntino, regiis litteris ac sigillo confutauit. Sparserunt non ita pridem, Christianissimum Galliæ ac Nauarræ Regem Henricum, instinctu ac concilio Iesuitarum, à sicario occisum esse. Sed fatentur ipsi, calumniam esse. Et quid dicam cætera: Vno verbo, Euangelici Predicantes, renidente etiam conscientia, passim clamant, in suis cathedris, Iesuitas omnium fraudum ac malorum, quæ in mundo fiunt, authores & architectos esse. Nec dubito, si ita pergant, breui futurum, ut ausint populo persuadere, Iesuitas peccatum originale in hunc mundum induxisse: Et in auriculari confessione consilium deditse Caino, ut fratrem Abelem interficeret; & Absaloni, ut Dauidem parentem suum bello persequeretur.

154. Venio ad conuitia & maledicta, quibus non modo Catholicos, sed etiam se mutuo infectantur Euangelici. Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini. Catholicos passim vocat *stupidos, quisquilias, asinos, porcos, pecudes, crassos boues, otiosos vétres, mendicabula, putrida caduera, silicernia, blaterones, Patres cornutos, Tridentinam colluuiem, exitialia monstra, spurios, degeneres, meretricis filios, Christi hostes: Antichristi legatos, & quæ similia sunt.*
155. Gabriel Pouellus in libro de Antichristo, ait Pontificem Romanum esse *Dei hostem, Christi perduellem, religionis aduersarium, hæreseos antistitem, Ecclesie parricidam, pacis turbatorem, sentinam impietatis, mancipium diaboli. Cardinales esse locustas vastatrices: Canonicos, mendaces & homicidas: Catholicos omnes, quotquot sunt, Satanae mancipia, & Antichristi satellites.*
156. Batauus Caluinista in tertia Defensione Fæderatorum inferioris Germaniæ, Regem Hispaniæ Philippū vocat *Raptorem & notoriū hæreticū, Archiduces Austriae, perfidos: Ducem Sabaudiæ, crudelē & perfidum: Sigismundum Poloniæ Regem, non dissimilem: Serenissimos Principes, Albertum & Claram Eugeniam, vere pacis impedimentum: Catholicos omnes, Turcis deteriores.*
157. Iosephus Scaliger in quadā Præfatione ad Ioannem Drusium, appellat Martinum Delrium, *lutum stercore maceratum, demoniacum, retrimentum inscitio, sterquilinium, stercus diaboli, scarabeum, larum, Antichristum, pecus, postremam bestiarum, infame propodium, asinum; nādāpuz.*
158. Nec benigniores sunt in suos fratres. Nam idem Scaliger, quem Caluinistæ tanquam Deum quendam terrestrem venerantur, in Elencho utriusq; Orationis chronologicæ, pulcherrimis epithetis ornat Dauidem Paræum, eiusdem sectæ Caluinisticæ professorem Heidelbergensem. Ait esse hominem *insanum, arrogantem, idio*

idiotam stercore colligentem, prophanitatum buccinatorem, asininum, sycophantam, helleborismo egentem, mandacem, communi sensu destitutum.

159. Sed neque Paræus illi parcit. Nam in quadam Epistola ad amicum anonymum, *De Iosephi Scaligeri chronologicis*, asserit Elenchos illos esse *infanos, Verrinos, maledicos futilis, dicaces, impios, vanos, ridiculos, spurcos; ole-ris, stercoribus sterquilliniis, latrinis, cloacis, lutulentis, gleta-tos; plenos dipterorum, probrorum, sarcasmorum scomma-tum, aculeorum, corybantiasmorum, helleborismorum, & si-milium gryphorum*. Sic mulus mulum scabit.

160. De perfidia, verum est illud Caluini testimonium, quod supra citaui; *Maior pars Caluinistarum plena est perfidia & dolis. Praclarum quidem Zelum simulant, si ta-men intus excutias, reperies plenos esse fraudibus.* Eius rei multa extant exempla, quæ partiim in Examine con-cordiae Anglicanæ partim alibi à me proposita sunt. Summa ferè hæc est; Caluinistas in Hollandia fide pu-blica interposita, promisso multis ciuitatibus liberum Catholicæ religionis exercitium; & tamen postea, contra fidem datam, idem exercitium prohibuisse & exterminasse. Ut meritò dicant Catholici; *En hec pro-missa fides est.*

161. Superest tertium caput, in quo demonstrandum est, Euangelicos, si suam doctrinam sequantur, bonos viros esse non posse; Catholicos autem, si suæ doctrinæ conformes sint, malos esse non posse. Nam doctrina Euangelicorum nititur his principiis, 1. præcepta Deca logi esse impossibilia. 2. Bonâ opera nullius esse meriti aut valoris apud Deum. Imò, nihil aliud esse, quam frides, inquinamenta, meram iniquitatem. 3. Electos necessariò saluari, quidquid agant: reprobos necessariò perire, quocunque se vertant. 4. Elec̄tis nec imputari, nec obesse fuita, homicidia, adulteria: reprobis nihil

prōdēsse bona opera aut desideria. Quid hinc aliud sequitur , quām vt nemini curæ sit , aut benē agere , aut peccata vitare? Nam 1. si præcepta Decalogi impossibilia sunt, quis potest euitare furtā, homicidia, adulteria? 2. Si bona opera nullius valoris ac meriti sunt apud Deum, quid necesse est, de iis sollicitos nos esse? Imò, si nihil aliud, quām sordes & inquinamenta ; vitanda potius, quām accumulanda sunt. 3. Si electi necessariò salvātur, quidquid agāt, cur non liberrimè indulgeāt suis cupiditatibus ? cur ventri & veneri impunè non seruant? Et è contrario , si reprobis bona opera non profundunt, quorsum iis præstandis operam dent? Longè aliter sentiunt Catholici. Longè alia habent principia, quæ si sequantur , mali esse non possunt. Sed de his alibi.

162. Concludo, Euangelicos in vita & moribus, non Euangelio, sed suæ sectæ conformes esse; nec, quamdiu Euangelici sunt, quales nunc sunt, Euangelio conformes esse posse. Quod tamen limitandum est. Nam, quando legunt in Euangelio, Christum iuisse ad nuptias, & bibisse vinum ; Iudam habuisse loculos, & Dominum suum prodidisse ; mulierem in adulterio deprehensam, impunè dimissam esse ; Herodis filiam saltasse in conuiuio ; filium prodigum cum meretricibus luxuriosè vixisse , & nihilominus lauto prandio à parente exceptum esse: tunc omni modo Euangelici sunt. At contra, cum legunt in Euangelio, Christum ieunans se 40. diebus ; lauisse pedes Apostolorum ; pernoctasse in oratione ; flexis genibus precatum esse ; crucem & passionem sustinuisse: tunc non Euangelici, sed Libertini sunt.



SECVNDVS TITVLVS. REFORMATI.

HVNC Titulum duplici sensu usurpant sibi Caluinistæ. 1. quia ipsi Ecclesiam reformarunt. 2. quia sunt membra Ecclesiæ reformatæ. Priori sensu, Reformatores potius appellandi sunt: posteriori, Reformati. Porro, circa priorem sensum, ex quo posterior dependet, multa disputari possunt. 1. an Caluinistæ reuera reformatint Ecclesiam. 2. qua authoritate id fecerint, sacerdotali, an Ecclesiastica. 3. iuxta quam normam & regulam fecerint. 4. quid potissimum in Ecclesia reformauerint, & quomodo. Vbi speciatim disquiri potest, quomodo reformatuerint Euangelium, Symbolum fidei, Doctrinam Patrum, Sacra menta, Ceremonias Sacramentorum, Ministros Ecclesiæ, Templa & Monasteria, Festa & ieiunia. De singulis dicam ordine.

Q V A E S T I O I.

An Caluinistæ reformatint Ecclesiam?

- i. **C**aluinistæ cum suo Præceptore, lib. 4. Inst. c. 1. C agnoscunt duplēm Ecclesiā: vnam occultam & inuisibilem, quæ soli Deo cognita est: Alteram perspicuam & visibilem, quæ etiam hominibus cognita est. Prior, sicut soli Deo cognita est, ita à solo Deo reformatri potest. Igitur de posteriori quæstio est, an Caluinistæ

uinistæ ~~vñ~~sibilem Christi Ecclesiam reformatarint, nec ne? Aiunt se reformasse. Ego tamē non satis assequor, quid velint. Quę enim est illa visibilis Christi Ecclesia, quā ipsi reformarunt? An non Catholica, quā Papisticā vocant? an aliqua alia distincta? Certè nostra non est. 1. quia ipsi negant nostram esse reformatam. 2. negāt se esse in nostra Ecclesia, cùm tamen non negent se esse in reformata. 3. hortantur alios, vt nostram deserant, & ad suam transeant, inculcantes identidem illud Isaiæ 52. 11. *Recedite, recedite: exite inde: exite de medio eius.* 4. nostrā vocāt Ecclesiam idololatricam & Antichristianam. Denique contra nostram libellū sparserunt cum hac inscriptione, *oecitas Ecclesiæ.* Nostram igitur non reformatunt. Quam ergo? Aut nullam, aut aliquam distinctam à nostra. Si nullam, cur v̄surpant titulum sine re? Si distinctam, quānam illa est?

2. Fortè hunc scrupulū eximet nobis Caluinus ipse. Nam in libro *de necessitate reformandæ Ecclesiæ*, quem anno 1544. obtulit Carolo V. Imperatori in Comitiis Sp̄tensibus, duas habet propositiones, ex quibus res tota perspici potest. Vna est, Catholicā seu Romanam Ecclesiam, propter varios abusus, qui in eam irrepererunt, necessariō reformandam esse. Altera, se nihil melius posse præstare, qnām si vrgeat hāc reformationem, eò quod sit Ecclesia Christi, de qua reformāda agitur. *Vbi, inquit, melius aut honestius, vbi etiam hoc quidem tempore, in re magis necessaria, operam mihi collocare liceat, quā si Christi Ecclesiæ, laboranti nunc grauiter, & extremo in discrimine agenti pro mea virili adesse coner?* Hinc tria infero. 1. Catholicam seu Romanam Ecclesiam, quam Caluinus ait grauiter laborare, esse Christi Ecclesiā. 2. Caluinum & alios Nouatores, qui deseruerunt Catholicā seu Romanam Ecclesiam, deseruisse Christi Ecclesiam, & formasse sibi nouam, quæ Christi esse non potest.

Itaque non posse vocari Reformatores , sed Formatores; nec ipsorum Ecclesiam esse Reformatam, sed recēs Formatam & fictam. 3. Caluinum & alios nouatores, in hac quidem re, eo modo se habere respectu Catholico- rum, quo olim Samaritani se habebāt respectu Iudæo- rum. Nam illi, sub Rege Ieroboam , non reformabant Ecclesiam Iudæorum, sed nouam formabant, erigen- tes altare contra altare, & constituentes nouos Sacerdotes, qui non erant de filiis Leui (3. Reg. 12. 31.) Planè sic fa- ciunt Caluinistæ.

3. An igitur, inquies, nullo modo Ecclesiam Christi reformasse censendi sunt? Facilis responsio. Suam, quæ Christi non est, propriè formarunt nostram, quæ Christi est, impropriè reformarunt. Et quidem dupli sensu. Primò, quia cùm ipsi fuerint aliquādo in nostra Ec- clesia , tanquam paleæ inter triticum , aut lolia inter herbas; & postea eandem egressi sint, sanè suo egressu, à multis paleis & loliis eam liberarunt : quæ non parua reformatio est. Secundò, quia nobis , qui manemus in Ecclesia Catholica, dederunt occasionem reformādi nos ipsos in bonis moribus, & tollendi omnes abu- sus ac scandala, quantum in nobis est. Hinc in Conci- lio Tridētino, tot canones, tot decreta, tot reformatio- nes. Quæ omnia eò spectant , vt Ecclesia nostra in pu- tiorē statum restituatur; nec Aduersarij habeant, quod meritò calumniari possint. Hoc modo omnes hæreti- ci quotquot vñquam extiterunt , Ecclesiam reformas- se censendi sunt. De qua re videri potest Augustinus in libro de vera religione.

Q V A E S T I O II.

*Qua authoritate Caluinistæ reformarint
Ecclesiam?*

4. **D**E hac ipsa re contendunt inter se Caluinistæ. Aliqui volūt ius ac potestatē reformādi pertinere ad Consistoriū & Ministros Ecclesiæ: alij ad Reges & Principes sacerdotes: Et quidē Genevæ in Gallia. Tiguri in Heluetia, Basileę in Germania, Ministri cū Consistorio usurpant sibi hoc ius: At in Anglia, Hollādia, Zelandia, Frisia, Reges & Magistratus sacerdotes.

5. Priorem sententiam tuetur Caluinus lib.4. Inst. c. 11. §. 15. vbi expressè ait, causas ecclesiasticas olim in Ecclesia non spectasse ad Reges & sacerdotes tribunalia, sed ad Episcopos & Ministros Ecclesiæ. Verba eius sunt hæc: *Ecclesiasticae cause ad Episcopale iudicium referebantur. Qemadmodū, si quis Clericus nihil in leges deliquerisset, canonibus tantū reus agebatur, non citabatur ad cōmune tribunal, sed Episcopū habebat in ea causa Iudicē.* Similiter, si fidei quæstio agitabatur, aut quæ ad Ecclesiam propriè pertineret, cognitio deferebatur Ecclesiæ. In eandem sententiam citat ex Ambrosio hæc verba, *Si Scripturas aut vetera exempla intuemur, quis est, qui abnuat, in causa fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?*

6. Posteriorem defendit Serenissimus Angliæ Rex Iacobus, in Apologia pro Iuramento fidelitatis, vbi eā confirmat hoc argumento; *Quidquid iuris ac potestatis habuerunt Reges in veteri Testamento, hoc etiam habent in nouo: At Reges in veteri Testamento, corruptelas purgauere, abusus sustulere, reformationes publicas instituere, & cuncta moderati sunt, quæ ad ecclesiasticū regimē quoquo modo pertinuerunt.* Ergo eadem potestas cōcessa est Regibus in nouo Testamento. Hoc sensu affirmat se habere primatum Ecclesiæ Anglicanæ, quem etiā subditi ipsius tenentur iuramento confirmare sub hac formula; *Ego A.B. palam testor, & ex conscientia mea declaro, quod maiestas Regia, unicus est supremus Gubernator huīus regni,*

regni, tā in omnibus spiritualibus sive Ecclesiasticis rebus & causis quam in temporalibus, &c. Et hoc iuramentum præstant Caluinistæ in Anglia. Seriò, an fictè, ipsi viderint.

7. Exemplum huius Regin imitantur nobiles ac potentes DD. Status in Hollandia, qui & ipsi arrogant sibi ius reformandi Ecclesiam, conuocandi Synodos, præscribendi leges ecclesiasticas, ut nuper visum est in Synodo Ultraiectina, cuius decreta in lucem edita sunt ab ipsis DD. Statibus, sub hoc titulo; *Christianæ Ecclesiæ Ordinationes ciuitatis, oppidorū, & Provinciæ Ultraiectinae, conclusæ Ultraiecti, die 24. Augusti, Anno 1612.* & editæ à Nobilibus & Potentibus DD. Statibus eiusdem Provinciæ. Porro, capita Reformationū seu ordinationum, quæ in hac Synodo Præsidētibus DD. Statibus tractata sunt, recensentur hoc ordine. 1. de vocatione Prædicantium. 2. de officio eorundem. 3. de publicis precibus. 4. de Baptismo. 5. de cœna. 6. de feriis & festis. 7. de iejuniis & diebus Rogationum. 8. de cantu Ecclesiastico. 9. de Senioribus. 10. de Diaconis seu Eleemosynariis. 11. de ecclesiasticis congregationibus. 12. de disciplina cleri. 13. de disciplina plebis. 14. de scholis, Ludimagistris & custodibus.

8. Hinc patet, controversum adhuc esse apud Caluinistas, quinam debeant Ecclesiam reformare, laici an Ecclesiastici? Principes, an Prædicantes? Vtrique si bi vendicant hoc ius. Vtrique pro se Caluinum habet, qui in hac re varius est. Nam loco supra citato, satis significat, ad Episcopos hanc curam pertinere. At alibi contrarium sentit. Nam in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ, expressè vult, Imperatoris ac Principum officium esse, Ecclesiam purgare & reformare. Similiter in epist. 87. valde commendat Protectorem Angliæ, quod Ecclesiam Anglicanam reformare aggressus sit. Sic enim scribit; *Est sane de quo gratias*

tias agamus Deo & Patri nostro, quod opera tua uti voluerit ad tantum opus, ut per te imprimis purum & sincerū suum cultum in regno Angliae restitueret. Et ibidem hortatur illum, ut Catholicos, qui reformationem non admittat, gladio coērceat. *Hi, inquit, merentur gladio vltore coērce-ri, quem tibi tradidit Dominus.* Et paulò post, *Vt illud as-sequaris, nunquam manum remittas ab incepta plena & in-tegra Ecclesiae reformatione prosequenda.* Et iterum ; *Da operam obsecro, ut veri Templi ipsius Reformatoris nomē re-feras.* Et circa finem; *Tu igitur amplissime Domine, vt i fe-liciter illam Christianismi restitutionem integrā in regno Angliae instituisti, sic pergendum tibi esse existima.*

9. Rursum in Epistola 286. ex professo disputat cum quodam Comite vel Principe Poloniæ, quis ex officio debeat Ecclesiam Polonicam reformare. Caluinus contendit Comiti & aliis Principibus hanc curam in-cumbere. Comes reiicit eam à se, & ad Episcopos spe-ctare afferit. Verba Caluini, Comitem alloquētis, sunt hæc; *In hoc porro cardine vertitur, quidquid mihi est cū tua Excellentia disceptationis, quod partium tuarū non esse exi-stimas, quicquam tentare vel aggredi, ut repurgetur à sordi-bus Papatus Ecclesia Polonica, &c.*

10. Igitur Caluinus, ut in plerisque aliis, sic etiam in hoc puncto bilinguis est. Nam aliquando Regibus & Principibus sacerdotalibus, aliquando Episcopis Eccle-siae curam & reformationem commissam esse dispu-tat. Hinc sit, vt eandem litem inter se agitent Calui-nistæ. Miror autem litem istam apud eos non finiri. præsertim cùm alias iactare soliti sint, omnes omnino-lites, quotquot in Ecclesia excitantur, ex solo Dei Ver-bo decidi ac finiri posse. Consulant verbum Dei, & li-tigare desinant.

Q V A E S T I O I I I .

Quam regulam seruent Calvinistæ in reformatione Ecclesiæ?

II. **C**alvinus præscribit hanc regulam , vt nulla fiat reformatio in Ecclesia,nisi iuxta expressum Dei verbum. Itaque vult hoc solūm credendum aut faciendum esse, quòd expressè credi aut fieri præcipitur in Scriptura. Cætera omnia,quæ vel traditio-ne,vel authoritate hominum introducta sunt, penitus esse respuenda. Sic enim scribit in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ ; *Porro, vniuersalis est regula, qua purum Dei cultum à vitioso discernit , ne comminiscamur ipsi, quod nobis visum fuerit, sed quid præscribat is, qui solus iubendi potestatem habet, spectemus.* Et ibidem ; *Deus non modo irritum habet, quidquid colendi sui studio, præter mandatum suum suscipimus, sed palam quoque abominatur.* Et infra ; *Cum verbum Dei notam esse dixerimus, qua verum eius cultum à vitioso prauoque discernat, inde colligere promptum est, totam colendi Dei formam, quæ hodie mundo est visitata, nihil qu' in meram esse corruptionē.* Et rursus ; *Satis hoc valere debet ad repudiandū quemcunque cultum, si nullo Dei mandato approbetur.* Et epist.87. ad Protec-torem Angliæ ; *Cum de legitima reformatione , & quæ Deo accepta sit , agitur, ad ipsum purum Dei verbum redendum nobis est.* Et epist.193. *Simul etiam euincimus, controuersias omnes de Dei cultu, ex verbo ipsius esse dirimendas : Et cultum Dei ex mandato ipsius instituendum.* Et epist.395.ad quendam Curatum ; *Palam est, nostram à nobis Ecclesiam reformatam esse ex mero ipsius verbo, quod unum est pro regula, ad quam & instituenda illa sit & tuenda legitime.* Et lib.4. Instit. cap.1. §.19. *Respuere mihi & piis omnibus fas est , quidquid ad Christi institu-tionem*

tionem addere ausi sunt homines.

12. Eādem regulam tradit Sacellanus Regis Angliæ in responsione ad Apologiam Cardinalis Bellarmini, pag.37. his verbis; *Non audemus vota nostra precesque ad Sanctos dirigere, cum præceptum ea de re nullum acceperimus. Præceptum autem acceperimus in lege, disertis verbis; Quod tibi præcepero, hoc tantum facies, (Deuteronom.12.39.) Inde, id tantum audemus, de quo præceptum habemus.*

13. Et DD. Status Hollandiæ, in Synodo Ultraiectina, in prologo suarum ordinationum, §.2. Obstrinimus nos in forma iuramenti & obligationis, quod in hac prouincia non aliam velimus amplecti & sequi doctrinam, regulam, Mensuram & amissim fidei & vite Christianæ, quam solum verbum Dei, quod in libris veteris ac noui Testamenti expressum est.

14. Nullus tamen illorum seruat hanc regulā, quod dupliciter ostendi potest. Primo, quia nusquam in verbo Dei præceptum est, quod sæculares in Anglia & Hollandia; Prædicantes in Gallia & Heluetia debeat reformatre Ecclesiam. Hoc tamen sit in praxi. Igitur contra assignatam regulam fit. Secundo, quia, utrique, tam sæculares in Anglia & Hollandia, quam Prædicantes in Gallia & Heluetia, multas leges pro reformatione condiderunt, quæ in verbo Dei scriptæ non sunt, sed ab ipsis excogitatæ. Quod variis exemplis in progressu demonstrabitur.

Q V A E S T I O I V .

*Quomodo Calvinistæ reformatrint sacram
Scripturam?*

15. **M**ultis modis illam reformarunt, vel ut verius dicam, deformati. Primo, quia spoliarunt illam traditione, quae germana illi soror est. Nam sicut Scriptura est verbū Dei scriptum; ita traditio est verbum Dei nō scriptum, sed traditum. Secundo, aliquot partibus seu mēbris illam mutilarunt; non secus, quam si alicui nares & aures abscidissent. Tertio, reliquum corpus tot versionibus & sectionibus transmutarunt, ut vix amplius sibi ipsi sit simile. Hæc tria superius explicata sunt. Quartò, cùm antea esset norma seu regula, non solum fidei, sed etiā vitae ac morum; hoc posteriorius officiū illi suffurati sunt. Non amplius agnoscunt illam, ut regulam præticā, quae dirigat ipsos in agendo; sed tantum, ut speculatiuam, quae dirigat in credendo.
16. Quæres; Quam ergo regulam & normam sequuntur Caluinistæ in vita & moribus? Respondeo. Non verbum Dei, sed Lutheri & Caluini. Itaque respuunt illud Christi, Matth. 19.17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mādata: Et in eius locum substituunt, quod Caluinus ait; Si vis ad vitam ingredi, ne serues mandata;* quia nec necesse, nec possibile est ea seruare: *Tantum crede, & sufficit.* Similiter respuunt illud, Matth. 19.29. *Omnis, qui reliquerit uxorem propter nomen meum, vitam aeternam possidebit:* & arripiunt illud Lutheri; *Si non vult uxor, veniat ancilla.*

Q V A E S T I O V.

*Quomodo Caluinistæ reformat
Symbolum fidei?*

17. **S**ymbolum fidei duobus modis reformati, explicatione & additione. Nam primo, aliter explicant articulos Symboli, quam hactenus fuerint expli

explicati. Hoc pridem multis exéplis à nostris ostendum est: Ego vnico ostendam. Decimus Symboli articulus habet; *Descendit ad inferos.* Nos Catholici interpretamur, Christum verē descendisse ad inferiores terrae partes, ut loquitur Apostolus, (ad Ephes. 4.9.) Et ita nobiscum interpretati sunt sancti Patres, tam Latini, quam Græci, apud Bellarminū lib. 4 de Christo cap. 14. Caluinistæ, reiecta hac interpretatione, nouam commenti sunt, hoc sensu; *Christus descendit ad inferos*, id est, pertulit in cruce diros cruciatus damnatis ac perditis hominibus, ut coactus fuerit, urgente angustia exclamare, *Deus meus, vt quid dereliquisti?* (Verba sunt Caluini lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10. & 11.) Et hanc expofitionem confirmat Catechismus Heidelbergensis, qui apud plerosque Caluinistas parem cum Scriptura authoritatem habet. Nam quæst. 44 dicit Christum descendisse ad inferos, id est, *inenarrabilibus animi angustiis, cruciatibus & terroribus in cruce demersum fuisse.* Itaque secundum Caluinistas, hæc est connexio Symboli; *Crucifixus, mortuus & sepultus est; descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis,* id est, primò cruci affixus est: deinde, mortuus in cruce: mox positus in sepulchro: postea rediens ad crucem, diros cruciatus passus est: denique resurrexit à mortuis. Ordo p̄æposterus.

18. Altera pars reformationis consistit in additione. Nam Caluinistæ addiderunt vnum articulū ad Symbolum fidei, nempe hunc, *Credo Papam esse Antichristum:* quem tanta firmitate credunt, quanta istum: *Credo in Deum Patrem omnipotentē, creatorem celi & terre.* Sic enim Ponellus Caluinista, in p̄afatione libri de Antichristo scribit; *Deum sanctè testor, metum certè scire, Pontificem Romanum esse magnum illum Antichristum,* quam Deum esse in celo, creatorem visibilium & inuisibili-

lum, & Iesum Christum esse verum Messiam.

19. Itaque apud Caluinistas sunt tredecim articuli fidei: & de decimoquarto adiiciendo, nunc serio agitur, qui est huiusmodi: *Credo Regem Angliae habere Primatum Ecclesiae.* Nam hunc articulum iuramento confirmant Caluinistæ in Anglia: Et quāuis in Catechismo Heidelbergensi aut confessione Belgica, nondum definitum sit, an debeat censeri articulus fidei: tamen Sacellanus Regis valdè inclinat in partē affirmantem. Nam in respōsione ad Apologiam Cardinalis Bellarmini, pag. 25. ponit hāc quæstionem Bellarmini: *Quomodo fides Anglorum de Primatu Regis, potest dici Catholica, id est, semper credita, cum ante Henricum VIII. audit a non sit?* Cui respondet his verbis: *Respondeo, creditam eam semper, vel ante annum ter millesimum.* Et paulò post: *Quomodo ergo Catholica non est?* Vnde sic concludo: *Quidquid creditur fide Catholica, vocari potest articulus fidei: At Primatus Regis Angliæ creditur fide Catholica, iuxta Sacellanum: Ergo vocari potest articulus fidei.* Sed præstat hanc litem suspendere, donec Catechismus Heidelbergensis aut confessio Belgica (quæ est norma & regula Christianæ fidei in Batavia) suam sententiam interponat. Cui fortè acquiescat Sacellanus.

Q V A E S T I O V I .

*Quomodo Caluinistæ reformatrint doctrinam
Sanctissimorum Patrum?*

20. **C**aluinistæ post reformationem Scripturæ ac Symboli, ad reformandos Sanctissimos Patres animum adiecerunt, quos in plerisque punctis errasse & hallucinatos esse contendunt. Et quidem Caluinus in sequentibus punctis, de illis sic loquitur.

21. Primò, De libero arbitrio.lib. 2. de Inst. cap. 2. §. 4. Certè , quas retulimus Patrum sententias esse falsissimas paulò post constabit. Et infra: Tametsi Graci prae aliis in extollenda humane voluntatis facultate modum excesserunt, veteres tamen omnes, excepto Augustino, in hacre vacillant. Et iterum: Qui postea secuti sunt , sensim alij post alios in deterius continuo delapsi sunt.
23. Secundò , De cooperatione liberi arbitrij cum gratia.lib.2. Inst.c.3.§.7. Non rectè à Chrysostomo scriptum est , nec gratiam sine voluntate , nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari. Et infra §. 10. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est. Quem trahit, violentem trahit.
23. Tertiò, De persona mediatoris,lib. 2. cap. 14. §. 3. Atque hic excusari non potest veterum error , qui dum ad mediatoris personam non attēdunt, totius ferè doctrinæ, que in Euangelio Ioannis legitur , genuinum obscurant sensum, seque implicant multis laqueis.
24. Quartò , De Iustificatione.lib.3. capite 11. §. 15. Quod ad vulgares Papistas pertinet vel Scholasticos, dupl̄citer hic falluntur. Et paulò infra; At nec Augustini quidem sententia per omnia recipienda est. Tametsi enim egregiè hominem omni iustitia laude spoliat ; ac totam Dei gratiæ transcritbit, gratiam tamen ad sanctificationem refert, qua in vita nouitatem per Spiritum regeneramur.
25. Quintò, De satisfactione,lib 3.c.4.§.38. Parum autem me mouent, que in veterum scriptis de satisfactione pas- sim occurrunt. Video omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè ac dure locutos.
26. Sextò De oratione pro defunctis lib.3.cap. 5. §. 10. Cum ergo mihi obiciunt aduersarij , ante mille & trecentos annos visu receptum fuisse , ut precationes fierent pro defunctis eos vicissim interrogo, quo Dei verbo , qua reuelatione, quo exemplo factum sit. Et infra; Ipsietiam veteres,

qui

qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hic se destitui videbant. Cur ergo audebat? In eo dico aliquid humani passos esse; ideoque ad imitationem trahendum non esse contendō, quod fecerunt.

27. Septimò, De merito, lib 3. cap. 15. §. 2. Primum de meriti nomine id mihi prefari necesse est, quicunque primus illud operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptauit, eum fidei sinceritati pessimè consuluisse. Et paulò post; Vsi sunt fateor, passim vetusti Ecclesiæ Scriptores hoc nomine, atque utinam voculæ unius abusu, erroris materiam posteris non præbuissent.

28. Octauò, de solenni pœnitentia, lib. 4. cap. 12. §. 8. Quia in parte excusari nullo modo potest immoda veterum austeras, quæ & prorsus à Domini prescripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa. Et mox ibidem; Qui cuncte igitur sano iudicio rem estimabat, desiderabit hic eorum prudentiam.

29. Nonò, De quadragesima, libro 4 capite 12. §. 20. Tunc passim inualuerat superstitione Quadragesime observatione, quia & vulgus eximiū aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabat, & Pastores eam commendabunt, &c. Ac mirum est, tam crassam hallucinationem hominibus acuti iudicij obrepere potuisse.

30. Decimò, de laicis baptizantibus in necessitate, lib. 4. c. 15. §. 20. Quod autem multis ab hinc saeculis adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio, usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, non video, quam firmitate defendi queat.

31. Hæc Caluinus contra venerandam Ecclesiæ & Patrum antiquitatem. Caluinum sequuntur Caluinistæ. Ut alios omittam, Franciscus Iunius in suis animaduersionibus circa 3. librum Cardinalis Bellarmini de Pontifice, sic passim loquitur. 1. Patres à vero ut plurimum aberrarunt. 2. Hæc non testimonia sunt veritatis, sed si

suspiciones vanæ, quibus boni Patres plus satis indulserunt.
 3. In hoc argumento communem errorem minimè stabilit
 Sanctorum Patrum authoritas. 4. Hæc non diuinorum Pro-
 phetarum effata sunt, sed diuinationes falsæ errantium. 5.
 Patrum testimonia in hoc casu fidem non obligant. 6. Neg-
 amus horum authoritatem in hoc genere magnam esse cū bona
 Patrum ipsorum venia. 7. Quam infirma sit Patrum autho-
 ritas, aliquoties ostēdimus. 8. De interpretationibus Patrum
 in obscuro hic palpantium, iam satis dictum. 9. Nos autho-
 ritati diuina, ac non opinionibus humanis credimus, &c.

32. Eodem modo loquuntur alij Caluinistæ. Omnes
 in eadem schola edocti sunt. Omnes contépta Patrum
 antiquorum autoritate, suo iudicio stare & sapere
 volunt: immemores illius Ecclesiast. 8. 11. Non te præ-
 tereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus
 suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore ne-
 cessitatis dabis responsum.

QVÆSTIO VII.

Quomodo Caluinistæ reformarint Sacra menta?

33. **T**ribus potissimum modis. Nam primo, sustule-
 runt quinque Sacra menta, & duo tantum re-
 tinuerunt, Baptismum & Eucharistiam. Secundò, di-
 cunt Baptismum non esse necessarium ad salutem, sed
 infantes sine baptismo saluari posse. Tertiò, negant
 Christum in Eucharistia realiter præsentem esse. In
 hac tamen triplici reformatione, nec cum antiquis Pa-
 tribus, nec inter se conueniunt: adeò ut opus sit noua
 reformatione, qua ad concordiam reuocentur. **Quod**
 facile ostendam.

34. Primò ergo dicunt, duo tantum esse Sacra men-
 ta, Baptismum & Eucharistiam; & Augustinum illa
 duo

duo tantum agnoscere. Ita Plessæus lib. 4. de Eucharistia, c. i. p. 648. & 654. De August. falsum est. Nam præter illa duo, agnoscit etiam Confirmationem, lib. 2. contra litteras Petiliani, c. 104. cum ait; *Sacramentum Christi matis in genere visibilium signorum: Sacramentum est sacro-sanctum, sicut ipse Baptismus. Agnoscit Ordinem, lib. 2. cōtra Epistolam Parmeniani, c. 13. vbi cōfert illum cum Baptismo, his verbis; Vtrunque Sacramentum est, & quā-dam consecratione vtrunque homini datur: illud, cum bapti-zatur: istud, cum ordinatur; ideoque in Ecclesia Catholica vtrunque non licet iterare. Agnoscit Pœnitentiam, lib. 1. de adulterinis coniugiis, ca. 26. & 28. Eadem est, inquit, causa Baptismi & reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore. Agnoscit matrimonium, lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis, cap. 10. Huius Sacramentis res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseveret. Agnoscit extremamunctionem, serm. 215. de tempore; *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi, ille, qui egrotat, accipiat; Et inde, corpusculum suum vngat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo; Infirmitatur quis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo, &c.**

25. Hinc iam apparet, Plessæum Augustino iniuriam facere, & ab illo plurimum dissentire. Sed etiam à suis Euangelicis dissentit. Et primò quidem à Caluino, qui agnoscit tria Sacraenta, Baptismum, Cœnam & Ordinationem. Secundò, à Zuinglio, qui etiam agnoscit tria, Baptismum, Cœnam, Matrimonium. Tertiò, à multis Lutheranis, qui & ipsi agnoscent tria, Baptismum, Cœnam, & Pœnitentiam. Quartò, à communi Regula Caluinistarum, superius assignata. Non enim potest Plessæus ex verbo Dei scripto, quæ est vnica reformationis regula, planum facere, duo

tantum esse Sacra menta. Potest tamen ex Catechismo Heidelbergensi (quem alij volunt esse regulam & mensuram fidei, morum, ac reformationis) cui vel maior, vel certè par authoriras debeatur cum verbo Dei scripto, ut supra visum est. Nam Catechismus, sicut & Plessæus, agnoscit duo tantum Sacra menta, Baptismum & Cœnam. Et hic iubet Plato quiescere.

36. Secundò dicunt, Baptismum non esse necessarium ad salutem, sed infantes sine Baptismo saluari posse. Ita Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. c. 5. & libro 4. Inst. c. 16. §. 24. & alij. Hic etiam dissentiant ab Augustino, & inter se. Nam Augustinus libro 3. de anima & eius origine, c. 9. ait; *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et epist. 28. ad Hieronymum; *Quisquis dixerit, quod in Christo viuiscabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita ex eunt, hic profectò, & contra Apostolicam prædicacionem venit, & totam cōdemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo viuiscari non posse.*

37. Quod etiam inter se dissentiant, certum est. Nam Caluinus lib. 4. Inst. cap. 16. §. 24. sic loquitur; *Infans hereditario iure, secundum promissionis formulam, iam à matris utero in fædere continetur.* Et in Antidoto, loco citato; *Quasi vero de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Imò quo iure ad Baptismum eos admittimus, nisi quad promissionis sint heredes?* Nisi enim iam ante ad eos pertineret vita promissio, Baptismum prophanaret, quisquis illis daret. Et infra; *Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat, ob signatur.*

38. Contrarium scribit Plessæus lib. 4. de Eucharistiā

stia c. i. pag. 648. his verbis; *Baptismus circumcisionis vicarius, nos in Dei fædus admittit: sacra Cœna, quæ Paschati successit, nos in eodem confouet & confirmat.* Vnde illi propriè *Regeneratio nomen, huic communio corporis & sanguinis Domini.* Quis non aduertat dissidium? Plessæus dicit, per baptismum nos admitti in fædus Dei. Caluinus contra, non admitti per baptismum, sed iam ante, ex utero matris admissos & comprehensos esse.

39. Sed & Plessæus secum ipse pugnat. Cum enim loco citato scripsisset hæc verba; *Baptismus admittit nos in fædus Dei: Cœna in eodem cōfouet & conseruat;* post aliquot pagellas sic scribit; *Sacramenta sunt fidelibus data, non ut in fædere cōprehendantur, sed ut eo signo cōprehēsi significantur.* Hinc colligo has duas contradictorias. 1. Baptismus admittit nos in fædus Dei. 2. Baptismus non admittit nos in fædus Dei, sed tantum significat nos iam ante admissos & comprehensos esse. Item has duas. 1. Baptismus & Cœna differunt, quod Baptismus admittat nos in fædus Dei; Cœna in eodem foueat & conseruet. 2. Non differunt in eo, quia nec Baptismus nec Cœna admittit nos in fædus, sed admissos esse significat.

40. Tertiò dicunt, Christum in Eucharistia non esse realiter præsentem. Vbi rursum inter se dissentiant. Nam Plessæus l. 4. cap. 3. pag. 675. disertè scribit, hæc duo aduerbia, *Verè, & Realiter,* distingui: hæc autem duo, *Verè, & Spiritualiter,* simul posse consistere. Denique hæc duo, *Realiter, & Carnaliter,* pro eodem usurpari. Itaque Christum in Eucharistia verè & spiritualiter, non tamen realiter aut carnaliter à fidelibus accipi. At contrarium asserit c. 2. pag. 660. his verbis; *Dum sacra cœna ex prescripto Christi celebratur, Christū realiter & substantialiter accipimus.* Manifesta cōtradic̄tio. Priori loco negat, posteriori affirmat Christum in sacra Cœna

Cæna realiter accipi. Priori admittit, verè quidem & spiritualiter, non tamen realiter; posteriori, etiam realiter & substantialiter.

41. In hac re Caluinum imitatus est, qui & ipse nunc asserit, nunc negat realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam. Afferit in c. 11. prioris ad Corinthios, cum ait; *Concludo realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cæna dari corpus Christi.* Negat in confensione de re Sacramentaria, prope finem; *Christus*, inquit, *quatenus homo, non alibi, quam in cælo quærendus est.* Et ibidem; *Quia tamen corpus Christi finitum est, & cælo, ut loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanta cælum abest à terra.*

42. Hinc duo colligimus. Vnum Catholicos meritò confirmari posse ac debere in sua sententia, cum in Concilio Trident. sess. 13. can. 1. definiunt, Christum in Eucharistia, verè, realiter & substantialiter contineri. Nam etiam ab aduersariis suffragium habent. Ipsi enim easdem particulas, verè, realiter & substantialiter, vi veritatis coacti admittunt & usurpant, vt iam ostensum est. Alterum, Caluinistas in hoc puncto dubios & perplexos esse; quia nunc cum Catholicis fatentur veram realem & substantialiem Christi præsentiam in Eucharistia; nunc cum Zuinglianis eandem negant ac respuunt. Desinant esse dubij & perplexi. Nam Catholici habent suam doctrinam à Christo, qui planissimis verbis dixit, *Hoc est corpus meum.* Zuinglius à nocturno Spiritu aliter persuasus est. Qui quidem Spiritus albus an ater fuerit, ipsi Zuinglio non constat. Nobis autem constat Christum esse lucem, viam, veritatem & vitam.

Q V A E S T I O V I I I .

*Quomodo Caluinistæ reformatrunt ceremonias
Sacramentorum.*

43. **I**Ncipiam à cæremoniis Baptismi. Ac primò, Caluinistæ reiiciunt Exorcismum, & alias ceremonias, quas Catholici adhibent in hoc Sacraméto. Ratio ipsorum est, quia nullæ ceremoniæ usurpandæ sunt, nisi de quibus extat expressum mandatum in Euangeliō: At nullum extat mandatum de ceremoniis, quas Catholici usurpant in Baptismo: Ergo tales ceremoniæ nullo modo sunt usurpandæ. Hæc ratio fundatur in regula superius assignata.

44. Igitur his ceremoniis relictis, Caluinistæ alias præscribunt. Et quidem DD. Status in Synodo Ultradiectina præscribunt has. 1. vt Baptismus publicè conferratur in Ecclesia, quando fit concio, præsente populo. 2. vt in iis locis, ubi raro fit concio, designentur duo alij dies per septimanam, quibus Baptismus conferri possit. 3. vt infantes, qui propter infirmitatem ad Ecclesiam sine periculo portari non possunt, domi quounque tempore baptizari liceat. 4. vt ipsimet parentes offerant suos infantes ad Baptismum, & pro iis respondeant. 5. vt nomina infantium baptizatorum, & similiter parentum, ac præterea tempus accepti Baptismi ab Ædituo in quodam registro consignentur.

45. At hi boni viri, quod pace ipsorum dixerim, parum sui memores sunt: Primò, quia violant regulam à se assignatam, & faciunt contra iuramentum ac obligationem, qua se obstrinxerunt. Nam, vt supra vixum est, obstrinxerunt se in forma iuramenti & obligationis, quod in sua Prouincia, non aliā velint amplecti.

cti & sequi regulam, normā, & mensuram cultus diuini & ceremoniarum Ecclesiasticarū, quām solum verbum Deiscriptum. At in verbo Dei scripto non habetur quod infantes debeant publicē baptizari in Ecclesia, quando fit concio; aut quod in iis locis, vbi raro fit concio debeat assignari duo dies, quib. baptizetur; aut quod parentes debeat eos portare ad Baptismum, &c. Ergo DD. Status non præstant suum iuramentum.

46. Secundò, repugnant etiam Caluino, qui tametsi aliqua eorum proberet, quæ à DD. Statibus præscripta sunt, non tamen omnia. Non enim permittit, ut infantes domi, seu priuatim baptizentur, etiamsi adsit periculum vitæ. Vult potius omitti Baptismum, & infantes sine Baptismo decidere. Sic enim scribit Epist. 185. *Fas nō est administrare Baptismum, nisi in cœtu fidelium.* Et paulò post; *Si enim infans clam baptizetur, & nullis exhibitis testibus, illud neque respondet ordini à Domino posito, neque Apostolorum exemplo.* Et epist. 302. *Infantes non baptizamus, nisi pro publica concione, quia absurdum videatur, ut solennis illa receptio paucos tantum habeat testes.* Et Epist. 326. *Adulterinum ergo Baptismum cēsemus, qui administratus est à priuato homine.* Et lib. 4. Instit. c. 15. §. 20. sic obiicit; *At periculum est, ne is, qui agrotat, si absque Baptismo decesserit, regenerationis gratia priuetur.* Et mox respondet; *Minime verò. Infantes nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus.*

47. Tertiò, repugnant Augustino & aliis antiquis Patribus, qui Exorcismum & alias Catholicorum ceremonias approbarunt. Sic enim scribit Augustinus in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 31. *Illud etiā, quod circa baptizādos in uniuerso mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplatur intuitu.* Cum siue parvuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quām exorcismis

& exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immūdus abigatur: ut tunc verè appareat, quomodo Princeps huius mūdi mittatur foras, & quomodo prius alligeretur fortis, & deinceps vasa eius diripientur, in possessionem translata victoris, qui captiuam dicit captiuitatem & dat dona hominibus. Et lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali, contra Pelagium, c. 40. Ipsa Sancta Ecclesia Sacra menta satis indicat, parulos à partu etiam recentissimos, per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari. Excepto enim, quod in peccatorum remissionē non fallaci, sed fidi mysteria baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorū, à quibus portantur, se renunciare respondent. Et lib. 2. de nuptiis & concupiscentiis c. 18. In Ecclesia toto orbe diffusa, ubiq^z, omnes baptizandi infantuli nō ob aliud exsufflantur nisi ut ab eis Princeps mundi mittatur foras. Et infra c. 29. Antiquissima Ecclesiæ Traditione, exorcizantur, & exsufflantur paruuli, ut in regnum Christi à potestate tenebrarum transferantur. Nos paratores sumus cū Ecclesia Christi in huius fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cuiuslibet eloquij prædicatione laudari. Similia habēt alij Patres, 48. Venio ad ceremonias Sacramenti Eucharistiae, Idem DD. Status in Synodo Ultraiectina præscribūt tria puncta circa usum Eucharistiae, his verbis, 1. Cœna Domini, iuxta institutionem Christi, saltem quater per annum in urbibus, nempe die Nativitatis Christi, Paschatis, Pentecostes, & semel in mense Septembri celebrabitur. In pagis vero, saltem bis, in Natali scilicet & Paschate. 2. Auditores serio ad illam inuitabuntur, ut q^z, se bene probent, admonebuntur: & qui omnium primum ad mensam Domini sunt accessuri, alicui suorum Prædicantium, cui confessionem fidei sua edent, se insinuabunt. 3. Qui veniunt ex locis peregrinis, cupientes de mensa Domini participarc, ante omnia testimoniales prioris conuersationis sua literas Prædicanti- bus

bus locorum, vbi admitti petunt, exhibebunt.

49. Etiam hic parum sui memores sunt DD. Reformatores. Violant iterum Regulam à se assignatam, & contra iuramentum ac obligationem suam, præscribunt ordinationes, quæ expressè in scriptura non habentur. Vbi enim in Euangelio scriptum est, quod Cœna Domini, singulis annis quater in vrbibus, & bis in pagis celebrari debeat? Aut ex qua parte Euangeli demonstrari potest, Rusticos ad hoc Sacramentum rariùs quam ciues obligari? An non legerunt apud Apostolum, Rom. 10. 12. *Non est distinctio Iudei & Graeci: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui inuocant illum?* Cur ergo introducunt distinctionem rusticorum & ciuium? Rursus vbi in Euangelio scriptum est, quod fideles debeant se insinuare prædicanti, & fidem suam coram illo profiteri? aut, quod peregrini debeant prioris suæ conuersationis literas testimoniales exhibere? Nusquam.

50. Si DD. Status volebant ex sola Scriptura Reformationem instituere, cur non præscriperunt suis Prædicantibus ac subditis, ut ea seruarent ad amissim, quæ in scriptura expressa sunt? Ibi legimus 1. Christum lauisse pedes Apostolorum, & sic Eucharistiam illis distribuisse. 2. Monuisse Apostolos, ut ipsi deinceps idem facerent. *Si ego, inquit, laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius pedes lauare.* 3. Non solum alios Apostolos, sed etiam Iudam proditorem ad hoc mysterium fuisse admissum. 4. Hæc omnia vesperi post Cœnam legalem contigisse. Cur hæc negliguntur à Reformatoribus? Cur mane, & non potius vesperi, sumunt Eucharistiam? Cur illotis pedibus accedunt? Cur non promiscue bonos & malos admittunt? Nec est quod vicissim hæc nobis obiiciantur. Non obstrinximus nos iuramento ad nudam solius scripturæ litteram. Etiam Traditio

& authoritas Ecclesiæ apud nos valet. Illam sequimur:
Ex illa, Scripturæ sensum ac mentem accipimus.

51. Relinquamus Scripturam. Cur saltem DD. Statutus Caluinum suum non audiunt? Is in libello de formula Sacramentorum administrâdorum, ponit etiam has duas ordinationes. 1. *Vt ministri verbi, panem; Seniores vero calicē populo distribuant,* 2. *vt canatur Psalmus aliquis aut locus Scripturæ, rei, quæ Sacramento designatur, cōgruens atque cōueniens, clara & magna voce recitetur.* Cur has nō præscribunt & usurpant Reformatores Ultraiectini? An ideo, quia in Euangeliō præscriptæ nō sunt? & quia iuramento se obstrinxerunt, nihil, nisi quod in Euangeliō expressum est, se præscripturos? Sed iam pridem, violato hoc iuramento transgressores sunt.

52. Vnum hic occurrit admiratione dignum Caluinus, tametsi duo tantum, vel ut summum tria sacramenta agnoscat, Baptismum, Cœnam & Ordinationem; tamen cum agit de cæremoniis & ritibus, quibus Sacra menta administranda sunt, simul agit de rito, quo Matrimonium celebrari debet. Quorsum hoc, si Matrimonium Sacramentum non est: Tria autē prescribit, quæ seruari vult. 1. *Vt palam in Ecclesia, tribus diebus dominicis continuis publicetur Matrimonium, antequam contrahatur.* 2. *vt post trinam publicationem, in exorsu concionis sponsus ac sponsa sistant se in Ecclesia;* 3. *vt Minister publicus initium dicendi sic faciat; Auxilium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Amen, &c.* Quid his opus est, si Matrimonium, non Sacramentum, sed contraetus tantum ciuilis est? Certè, contraetus merè ciuiles ad curiam potius, quam ad Ecclesiam pertinent: & à sacerdotali Magistratu, non à Ministro verbi Dei, promulgandi & confirmandi sunt. Sed latet mysterium. Nam ad ministros verbi spectat, Euangeliū Christi prædicare. Euangeliū autem

autem Christi incipit à matrimonio & generacione.
Sic enim legimus, *Abraham genuit Isaac: Isaac autem
genuit Jacob, &c.*

Q V A E S T I O I X.

*Quomodo Caluinistæ reformarint ministros
Ecclesiæ?*

53. **T**ribus potissimum modis. 1. tollendo ordinem & hierarchiam Ecclesiasticam, quæ vigeat apud Catholicos inter ministros Ecclesiæ. 2. liberando eos à cœlibatu, & vxores concedendo. 3. nouas leges Ecclesiasticas præscribendo. De singulis dicam aliquid.

54. Primò igitur Caluinistæ in sua reformatione, sustulerunt ordinem & hierarchiam Ecclesiasticam, quæ apud nos est. Hæc autem in eo consistit, ut supremus omnium sit Pontifex: hunc proximè sequantur Episcopi: Episcopis inferiores sint Presbyteri; Presbyteris Diaconi; Diaconis Subdiaconi, & sic deinceps. Hanc hierarchiam ex parte retinent Caluinistæ in Anglia, in gratiam sui Regis: extra Angliam, penitus reiiciunt. Quo nomine malè audiunt ab eodem Rege, qui in Monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges & Principes, de hac re ita scribit; *Quo studio in Episcoporum & Ecclesiastico Hierarchia defensionem semper incubui, eodem in confusam illam Anarchiam & parilitatem Puritanorum inuenctus sum.* Et infra; *Mibi præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare.* Et rationem addit, quia cum in cæteris rebus ordo quidam ac dispositio sit, etiam in Ecclesia esse necesse est.

55. Secundò, liberarunt ministros à cœlibatu, & singulari priuilegio cum illis dispensarunt, vt possint vxores

ducere. Quæ quidem dispensatio sortitur apud illos effectum. Nam omnes passim, tam Superintendentes, quam simplices Prædicantes, vxoribus associati sunt. Huic dispensatione occasione dedit Lutherus, de quo Erasmus in epistola ad Danielem Mauchiū Ulmanū, ita scribit; *Montini lepidissimis literis, nescio, an vacet nūc respondere. Nunciabis illi rem letam.* Lutherus, quod felix faustumq; sit, deposito Philosophi pallio, duxit uxorem, ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natam annos 26. sed indotatam, & quæ pridem desierat esse vestalis. Atque ut scias, auctoritas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatu hymeneum, noua nupta peperit. Huic affine est, quod scribit Iustus Baronius in suo opere de præscriptionibus; *Lutherus, inquit, heri Monachus, hodie sponsus, cras maritus, perendie pater.* Ab eo tempore, omnes Ministri, apud Lutheranos & Caluinistas, sponsi, mari- ti & patres esse cœperunt. Et tametsi dicant se Euangelicos, & spiritu Christi afflatos esse, tamen ira procliues sunt ad carnis voluptates, quasi spiritus Christi nihil aliud sit, quam spiritus carnis. Quam rem vehementer admiratur idē Erasmus in epistola ad fratres inferioris Germania, cùm ait; *Quis non iure admiretur hos nouos Euangelistas non posse vivere sine vxoribus?* Et infra; *Quæ malum, est ista tanta salacitas? Vnde tanta carnis rebellio in iis, qui se iactant agi spiritu Christi?*

56. Quanquam, si ipsis prædicantibus credendum est, aliquo modo excusandi sunt. Aiunt enim se vxores accipere, non solum eo fine, ut lasciuiae & libidini satisfaciant (qui tamen præcipuus est) sed etiam, ut in administrandis Ecclesiæ Sacramentis habeant aliquid subsidij à Prædicantissimis, ne si soli sint, oneri succumbant. Huius rei luculenta extant exempla. Vnum referam, quod hoc anno 1613. contigit in Paschate, & à viro fide digno, Constantia ad nos perscriptū est, his verbis;

verbis; Abest hinc horis quinque oppidum in Heluetia, ubi pauci Catholici, heretici vero plurimi. Hos cum vellet in festo Paschatis suam cœnam sumere Prædicans, promulgauit publicè, præmittendam esse ab omnibus confessionem, quod haec tenus non fuit in usu; ita tamen, ut non nummos, more Papistarum, sed oua secum ferrent. Venerunt illi diligenter: sed cum tantæ multitudini confitentium simul, & oua offerentium satisfacere nō posset, iubet adesse, & venire in partem laboris Prædicatissam. Venit illa, & confitentium peccata excepit, & ouorū oblationes. Verum & huic labor cum videatur nimius, ancillā vocat, quæ suā pariter operā, fideliter præstítit retro altare. Iam vide, quā huic Prædicanti necessaria fuerit, non modo Prædicantissa, sed etiam ancilla in tam sacro opere peragendo. Quod si anno sequenti, pro singulis ouis singulæ gallinæ à confitentibus exigerentur (iuxta illud, *Ibunt de virtute in virtutem*) non sufficeret hic Ternarius, sed etiam filij & filiæ illius Triadis in partem laboris vocandi essent.

57. Venio ad leges Ecclesiasticas, quæ à reformatoribus circa Ministrorum vocationem & officiū constitutæ sunt. Et quidem DD. Status in Synodo Ultraiectina, præter alias, quæ plurimæ sunt, etiam has considerunt.
 1. vt nullus eligatur Minister verbi, ante expletum 25. ætatis annum, nisi habeat dispensationem à DD. Statibus.
 2. vt non admittatur ad officium Ministerij, nisi prius examinatus ab iisdem Statibus.
 3. vt præstet iuramenti, quod velit solam Scripturam sequi, & politiæ subiectus esse.
 4. vt in officij sui introitu stipuletur, se omnes Ecclesiasticas ordinationes, quæ à DD. Statibus factæ sunt, gnauiter seruaturum.
 5. vt in concione abstineat à quibusdam subtilioribus materiis.
 6. vt post prandium explicet Catechismum Heidelbergensem.
 7. vt omnes controuersiæ, quæ à Prædicantibus aut Superintendentibus dirimi

non possunt, ad DD. Status deferantur. Hæ leges seorsim examinandæ sunt.

58. Igitur prima lex est, ut nullus eligatur minister Verbi ante expletum 25. ætatis annum, nisi graui vr gente necessitate, & cum dispensatione DD. Statuum (cap. i. de vocatione Prædicantium, §. 21.) Hanc legem, quod valde mirum est, videntur DD. Status desumptissæ ex Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 12. de Reformatione, vbi sic legimus; *Nullus in posterum ad presbyteratus ordinem, ante 25. etatis sue annum promovetur. Magis matum est, DD. Status reseruare sibi potestatem dispensandi in hac ætate. Vel enim hæc ætas iure diuino, vel tantum humano constituta est. Si diuino, quomodo DD. Status possunt in eo dispensare? Si tantum humano, quid opus est dispensatione? præsertim cum DD. Status non semel professi sint, se non admittete ullum ius aut constitutionem humanam, nec aliam in reformatione sequi velle regulam, quam solùm verbum Dei. Si ergo in verbo Dei non præscribitur ætas 25. annorum, cur eam vrgent DD. Status? Si autem præscribitur, cur in ea dispensant?*

59. Secunda lex est, ut nullus admittatur ad officium Ministerij, nisi prius examinatus à DD. Statibus (cap. 1. §. 7. & sequentibus.) Vbi etiam determinantur puncta, in quibus debeat fieri examen. Sunt autem hæc. 1. De Deo, essentia diuina, & attributis diuinis. 2. De Scriptura, eiisque perfectione, perspicuitate, autoritate & certitudine. 3. De mundi creatione & gubernatione. 4. De peccato; eiisque origine, & efficacia. 5. De lege & Euangeliō, necnon utriusque discrimine & usu. 6. de Christi persona, officio, & beneficiis. 7. De fide & pœnitentia. 8. De iustificatione. 9. De obediētia fidei, charitate, & bonis operibus, & eorum meritis. 10. De Ecclesia. 11. De officiis & ministerio à Christo

Christo in eadem instituto. 12. De administratione Euangeij. 13. De Baptismo & Cœna. Ad hæc puncta debet his, qui examini subiicitur, ex claris scripturæ testimoniis respondere, & suam responsonem confirmare, & aduersariorum obiectiones diluere.

60. Ex hac lege, duo colligimus. Vnum est, DD. Status vel eximiè doctos & exercitatos esse oportere, qui in his subtilissimis & difficillimis materiis possint præesse examini, & solidè iudicare, quid rectè aut perperam responsum sit: vel certè non satis prudentes, qui arrogant fibi officium examinandi in iis rebus, quas ipsi non intelligunt. Et quomodo intelligat, si verum est, quod audio, plerosque eorum, vel in mercatura, vel in re nautica, vel in coquēda ceruisia potius, quam in scholis, ætatem triuuisse. Alterum est, aut frustra hoc examen institui, aut vix illū admitti posse ad ministerium. Nam quotus quisque est inter Prædicantes, qui supra dicta pūcta ex claris Scripturæ testimoniis explicare, confirmare ac tueri possit? Rara auis in terris. Vel ergo paucissimi admittuntur ad ministerium: vel si promiscue admittuntur, quid isto examine opus est?

61. Addo, multa esse puncta ex iis, quæ posita sunt, in quibus inter se pugnant Caluinistæ. Ex quo alterutrum sequi necesse est, vel eiusmodi puncta non posse ex claris Scripturæ testimoniis confirmari; vel certè Caluinistas non acquiescere claris Scripturæ testimoniis. Si prius datur, cur DD. Status tam imprudenter agunt, ut velint ea confirmari ex claris Scripturæ testimonis, quæ ex iis confirmari non possunt? Si posterius, cur Caluinistæ tam pertinaces sunt, ut claris Scripturæ testimoniis non acquiescant? Cur in tot sectas distracti sunt? cur aliud Arminiani, aliud Gummaristæ sentiunt? Cur plerique opponunt se Vorstio? Cur alij Piscatorum, alij Venatorem insectantur? Sane D D. Status

Status, qui volunt ad se deferri controversias de fide & religione, deberent componere hæc dissidia, & manda-re singulis ac omnibus, ut vbi clara Scripturæ testimonia suppetunt, simpliciter acquiescant.

62. Tertia lex est, ut is, qui ad Ministerium exami-natus est, præstet iuramentum, quod velit solam Scri-pturam sequi (c. 1. §. 17.) Non satis intelligo, quid ve-lint DD. Status. Nam & ipsi iurant, se nihil velle ordi-nare, nisi cum verbo Dei scripto ; & cogunt alios iura-re, nihil docturos, nisi ex verbo Dei scripto. At vbi in verbo Dei scriptum est, quod magistratus politicus debet exigere huiusmodi iuramentum à Ministris Ec-clesiæ ? Nusquam vbi scriptum est, quod Ministri de-beant huiusmodi iuramentum præstare ? Nusquam. Contrarium inuenio apud Apostolum, 2. Thess. 2. 14. *Tenete Traditiones, quas didicistis, & non tantum verbum scriptum. Denique vbi scriptum est, quod liceat mul-ta iuramento promittere, & tamen nihil eorum præ-stare, quæ promiseris ? Nusquam, nisi in practica Cal-uinistarum.*

63. Accedit, legem hanc contrariam esse legi sextæ. Nam in lege sexta volunt DD. Status, ut ministri Ec-clesiæ post prandium explicitent Catechismum Hei-delbergensem. At in hac lege decernunt, ut solam Scripturam doceant ac sequantur. Hæc autem duo non cohærent. Nam multa sunt in Catechismo Hei-delbergensi, quæ non sunt in Scriptura. Si ergo so-lam Scripturam docere debent, non possunt Cate-chismum Heidelbergensem explicare. Aut si hunc etiam explicitant, certè solam Scripturam non docent.

64. Quarta lex est, ut Minister in officijs sui introitu stipuletur, se omnes Ecclesiasticas ordinationes, quæ à DD. Statibus factæ sunt, gnauiter seruaturum (c. 1. §. 16. cap. 9. §. 3.) Hæc lex destruit omnia ferè, quæ ha-
etenuit.

ctenus ædificata sunt. Ac primò destruit regulam, quæ in Reformatione seruanda est. Nam in illa regula obstringunt se DD. Status, in forma iuramenti & obligatio-
nis, quod in sua prouincia nō aliam velint amplecti & sequi
doctrinam, regulam, mensuram, & amissim fidei ac morum,
quam solum verbum Dei, quod in libris veteris ac noui Te-
stamenti expressum est. At ordinationes Ecclesiasticæ DD.
Statuum, non sunt verbum Dei, expressum in libris
veteris ac noui Testamenti: Ergo, si DD. Status velint
has ordinationes seruari, faciunt contra suum iuramé-
tum & obligationem. In eadem regula dicit Caluinus,
Deum non modo irritum habere, quidquid colendi sui studio,
prater mā datum suum suscipimus, sed palam quoque abomi-
nari. At hæ ordinationes Batauicæ sunt præter manda-
tum Dei: Ergo Deus non modo irritas habet, sed etiam
palam abominatur. Iterum dicit Caluinus, *Respuere piis*
omnibus fas esse, quidquid ad Christi institutionem addere
ausi sunt homines. At Bataui, (homines, sine dubio) ausi
sunt ad Christi institutionem addere nouas ordinatio-
nes Ecclesiasticæ: Ergo piis omnibus fas est, eas res-
puere. Quomodo ergo coguntur iurare miseri Prædi-
cantes, sc̄ eas gnauiter seruatuos?

65. Quinta lex est, vt Ministri in concionibus absti-
neant à quibusdam materiis: Et nominatim, vt nihil
dicant, ex quo sequi possit, *Deum quenquam ad condemna-*
tionem creasse, vel ad peccandum cogere; vel ad salutem vo-
care, cui eam absolute decreuerit non dare; vel quicquam fa-
cere, quod iniustitia speciem habeat. c. 2. §. 4. H̄c DD. Status
reformant suam, id est, Caluinianam Ecclesiam. Nam
Caluinus docuit hæc puncta. 1. quod Deus quosdam
homines prædestinauerit & creauerit ad æternam cō-
demnationem, sine vlla ipsorum culpa. 2. quod sit au-
thor peccati, & quotidie impellat homines ad peccan-
dum. 3. quod aliquos externo signo vocet ad salutem,
quos

quos tamen non vult saluos esse, sed perire. Hæc & similia docuit Caluinus, ut infra, Titulo quarto, ostendam. Igitur Caluini doctrina, iuxta hanc legem, non debet amplius, à Ministris Caluinianis pro concione promulgari. Est enim falsa & impia. Vtinam DD. Status ubique saperent, ut hic sapiunt.

66. Sexta lex est, ut Ministri diebus dominicis post prandium explicent Catechismum Heidelbergensem in iis locis, vbi ea consuetudo iam inualuit. (cap. 2. §. 6.) Hæc lex iam ante refutata est, quia repugnat legi tertiae, in qua præcipitur, ut Ministri iurēt, se in sua doctrina & concione, non aliud, quam solam Scripturam sequuturos. Nisi id fortè sic accipiendum sit, quod ante prandium, quando sobrij sunt, debeant explicare solam Scripturam: post prandium, quando lautè coniuncti, Catechismum Heidelbergensem. Non video alium modum conciliandi istas leges. Nam certum est, multa haberi in Catechismo, quæ non habentur in Scriptura.

67. Septima lex est, ut omnes controuersiæ de fide & religione, quæ à Prædicantibus & Superintendenti bus dirimi non possunt, deferantur ad DD. Status, & eorum iudicio dirimantur, (cap. 12. §. 20. & 21.) Et ut hoc commodiùs fiat, volunt DD. Status, ut Biblia semper in Synodis ad manus sint, ut omnes deliberationes, & resolutiones secundum ea dirigantur. (cap. 11. §. 16.) Hæc lex omnium ineptissima est. 1. quia homines laicos, quales sunt DD. Status, constituit supremos iudices controuersiarum fidei. 2. quia Prædicantes & Superintendentes, secundum hanc legem, debent esse subiecti laicis in controuersiis fidei: Et consequenter, Pastores debent esse subiecti omnibus, Episcopi subditis, Doctores discipulis. 3. Hæc lex destruit secundam. Nam in secunda decernitur, ut nullus admittatur ad officium

Ministri, nisi præmisso examine, ex claris Scripturæ testimoniis responderit ad omnia interrogata: At si omnes Ministri, quotquot post examen ad ministerium admissi sunt, id præstiterunt, iam nulla potest esse inter eos controværia. Nam omnes controværia ex claris Scripturæ testimoniis sublatæ sunt. Aut, si adhuc aliquæ restant, quæ à Ministris dirimi non possunt, iam Ministri non sunt legitimè examinati, ac proinde à Ministerio repellendi essent. Denique, si aliquæ sunt controværia, quæ ab ipsis dirimi non possunt, quomodo dirimi poterunt à militibus, mercatoribus, nautis & ceruisiæ coctoribus, qui nomine DD. Statuum intelliguntur? Aut quomodo verum erit, quod Ministri & Prædicantes iactare solent, Scripturam esse facilem, & ab omnibus intelligi posse? quomodo verum erit Calvinistas esse ~~Teodantæ~~: id est, immediate à Deo doceri, & non ab hominibus?

68. Sed, ut hæc omnia dissimulem, non video, quis effectus sit huius legis. Nam tantum abest, ut per hanc legem sopiantur controværia in Hollandia, quæ inter Prædicantes pridem excitatae sunt, ut etiam nouæ quotidie accumulentur. Nullus apud illos litium finis est. Quotidie volitæ libelli, quibus se mutuò lacerant Vorstiani, Arminiani, Gummaristæ, Venatoriani, Bertiani. Si viget lex, cur Scriptores hi non rediguntur ad concordiam? Si non viget, ut quid etiam chartam occupat?

69. Laudo nihilominus studium & industrias DD. Statutum, qui per suas leges & ordinationes hoc officere conati sunt, ut Ministri & Prædicantes, qui hactenus apud suos, mortalium omnium vilissimi & abiectissimi habitu sunt, deinceps aliquo saltem loco habeantur, si non summo. Quanquam difficile erit hoc obtinere. Nam ab initio Reformationis notatem est, tria potissimum genera ad ministerium fuisse admissa. 1. Monachos

chos libidinosos & apostatas. 2. circumforaneos, sartores, coriarios. 3. qui aliquâ publicâ infamiâ notati erant. Perhos, si Diis placet, Ecclesiæ Reformatio inchoata est. Quis horum velit esse successor, nisi qui simillimus sit? Plura de hac re dixi in Examine concordiæ Anglicanæ. Hoc solùm nunc addo, plerisque illorum accommodari posse, quod de vno per anagrammatissimum iocose scriptum est: *Nomine quem signas, IN RESTIM
vade Minister.*

Q V A E S T I O X.

Quomodo Calvinistæ reformarint Templa & Monasteria?

70. **T**emplorum & Monasteriorum reformatio, primùm à Luthero inchoata, deinde à Calvinistis perfecta est. Sunt autem multi effectus huius Reformationis. 1. quorundam Templorum ac Monasteriorum euersio. 2. aliorum profanatio. 3. direptio bonorum ecclesiasticorum. 4. incestæ nuptiæ Monachorum & Monialium. 5. stupra per vim oblata monialibus. 6. crucis Christi & aliarum imaginum contemptus & eliminatio. 7. defraudatio pauperum & peregrinorum. 8. Egestas & punitio eorum, qui templo Monasteria expilarunt.

71. Scribit Nicolaus Sanderus lib. 1. de Schismate Anglicano, in sola Anglia, intra vnius anni spacium (qui fuit Annus 1535.) trecenta septuaginta sex Monasteria à nouis Reformatoribus, sub Henrico octauo, occupata & vastata esse. Quam multa porrò in Gallia per Hugonotas, in Belgio per Geusios, in Germania per Albertum Brandenburgicum, & in bello rusticano, partim ferro, partim incendio perierunt? Res nota est. Alia nō quidem

quidem euersa , sed tamen per summum sacrilegium, vel in horrea, vel in stabula equorum, vel in armamentaria, vel in profanas officinas cōuersa & mutata, sunt. Cuiusmodi vidi non pauca.

72. Iam, quot thesauri Ecclesiæ direpti & exportati sunt? De qua re audi Sanderum , qui loco citato sic scribit; *Oppressit hoc primo impetu H̄ericus monasteria trecenta septuaginta sex; ex quorum spoliis cesserunt in fiscum Regium, annui census ad centū & viginti millia aureorum: in supellecili vero bonisque mobilibus ad quadraginta ferè millia; præterea, quæ ministri Regij sibi quique rapuerat. Ex quo coniici potest, quid triennio post acciderit, cum uniuersa simul monasteria totius regni euertit.*

73. Quod Sanderus scribit de Anglia hoc etiam in Germania & alib[et] factum est , vt non modo fatentur, sed etiam conqueruntur ipsi aduersarij , præsertim Lutherus in cap. 49. Genesios, Rituus in lib. de scientia, Sacerdos, in lib. de ratione conseruandi veram religionem , Hadrianus Sarauia in lib. de diuersis gradibus Ministrorum Ecclesiæ. Hi omnes mirè conqueruntur , quod Principes sæculares diripiunt , & abliguriant bona Ecclesiastica , & patiantur suos Prædicantes fame contabescere. Lutheri verba sunt hæc; *Nisi superesset spoliū Ægypti, quod rapuimus Papæ, omnibus fame pereundum esset, &c. Alimur ergo de spoliis Ægypti, collectis sub Papatu; & hoc ipsum tamen, quod reliquum est, etiam diripitur à magistratu. Spoliantur Parochiæ , non aliter, at si fame necare nos velint, &c. Pharaon rex Ægypti consurget in iudicio proximo , & condemnabit Principes & magistratus Germaniæ, propterea quod illa suos sacerdotes coluit, aluit, & abstinuit à bonis eorū, &c. Nostri Principes rapiunt & compilant omnia, quæ inueniunt in Monasteriis & Parochiis, &c. Similia habent alij.*

74. Et tamen , quæ Dei vindicta est, nihilo ditiores
Opusc. Tom. IV. H facti

facti sunt huiusmodi direptores, sed potius ad egestatem redacti, quod testantur iidem authores. Nam Lutherus in colloquiis Symposiacis sic habet, *Experiētia constat eos qui in bona Ecclesiastica inuolarunt, tandem ad mendicitatem redactos esse.* Quod etiam declarat festiuam similitudinem; Nam idem ait illis cōtingere, quod aquilæ illi, quæ ex sacrificio, quod Ioui paratum erat, partē carnis assatæ furtim abripiens, simul quoque carbonem ignitum tulit, & in nidum intulit, ex quo natum incendium, non modo nidum, sed & pullos adhuc implumes absumpserat.

75. Et Sanderus loco citato; *Illud etiam non minus est memorabile, quod statim post has primas Monasteriorū rapinas, tam vehementer Henricus egere ceperit, ut ostendo deinde mense nonnullas prouincias ad arma usq; cōpulerit, ob gravissimas nouorum tributorum exactiones. Sed multò magis id postea contigit, cum uniuersorum cœnobiorum bona rapuisset, ut suo loco dicetur. Nempe pag. 168. vbi sic pergit Sanderus; Subsecutus est annus Domini 1544. & trigesimus sextus Henrici regni, quo ostendere voluit misericors & iustus Deus, quam iniuste sibi fuerint, & quam ipsi Regi in hoc etiā mūdo inutiles, omnes illæ rapina, quas de Ecclesia Christi fecerat. Cū enim tot ac tanti monasteriorū in Anglia thesauri essent, ut eorum vel decima pars, etiam auarissimi Regis mētem explere potuisset: tamen Henricus cū thesauros ubique omnes cum crucis argenteas, aureas omniaq; sacra vasa, cum altarium ornamēta, cum omnem supellecīlem penè mille monasteriorum cū omnia prædia, fundos fructus, iura & actiones in suam potestatem redegisset; cum præterea decimas & annatas omnium beneficiorum per uniuersam Angliam exigebat; & adeo, cum ipsum plumbum, ligna atque lapides monasteriorum ubique venderet, ex eoque debuisset in eternum omnia ciuibus suis tributa & vectigalia remisisse (id quod se facturum simulabat ut ciues eō libetius in monasteriis euer-*

tendis,

tendis ipsius libidini assensum præberent) imo cum debuerit quocunque Christiani orbis Rege, argenti præsertim & auri ditor extitisse: tamen adeo in contrarium ea res ex Dei instissima voluntate cessit, ut multò pauperior intra paucos annos post expilationem istam fuerit, quam unquam ante, aut ipse, aut maiores eius fuerunt. Quin ille solus, ut ex actis Regum Angliae, annalibusq^z, constat, plura tributa & vectigalia ciuitibus suis imposuit, quam omnes simul Reges per quinque annos ante annos fecerant, &c.

76. Nec solis direptoribus obfuit hæc direptio, sed etiam, quod maximè deplorandum est, pauperibus & peregrinis longè pernitiosissima. Multa enim fuerunt monasteria, quæ iam extincta sunt, in quibus pauperes & peregrini liberalem eleemosynam accipiehant, & aliquando hospitio etiam suscipiebantur. Quid dicō de pauperibus? Etiam Principes, Comites, Barones, Nobiles, si quando cum apparatu curruⁱ & equorum iter facerent, non raro ad Abbatias, vel prandendi vel cœnandi causa, diuertebant, & magno charitatis affectu tractabātur. Hæc omnis hospitalitas per nouos Reformatores in plerisque locis, cum magno multorum damno, sublata est. Possem id multis exemplis demonstrare; nisi passim obuia essent. Vnū adferā, quod à viro fide digno accepi in Germania fuit Monasterium Monialium, in quo pia consuetudine receptū erat, ut pauperes eleemosynam petituri, magna voce in clamarent nōmē Iesvs. Audito hoc nomine, mox aderat, qui eleemosynam petenti largiretur. Accidit postea, cum hoc ipsum Monasterium in prophanos usus versum esset à Caluinistis, vt quidam pauperculus, memor antiquæ consuetudinis, occineret hoc nomen, Iesvs. Cui mox perfenestram responsum est; *Iesus nō amplius hic habitat.* Verissimè dictum. Non habitat apud Caluinistas.

77. Quid dicam de incestis nuptiis Monachorum &

Monialium? quid de stupris per vim oblatis? Nam &c
hic nouæ Reformationis effectus est: sed pudendus. Si
tamen pudor est in huiusmodi Reformatoribus, qua-
les Lutherani & Caluinistæ sunt. In Anglia ut testa-
tur Sanderus, vno anno, plusquam decem millia Mo-
nachorū & Monialiū ad sæculum redire cōpulsi sunt,
& votum castitatis cū incestis nuptiis permutare. No-
tum est, quid antea in Saxonia in hoc genere contige-
rit: quot currus Monia libus onusti, ex diuersis Mo-
nasteriis, autigante Luthero, VVittembergam adducti
sunt. Omitto cætera, quæ castæ aures non ferunt.

78. Illud extremæ impietatis est, quod nec ipsi Sal-
uatoris cruci vel imagini à Reformatoribus parsum sit.
Alij verbis, alij factis in eam sœvierunt. Audiamus ver-
ba. Beza in Colloq. Mompelgarden si sic habet; *Fateor
me ex animo Crucifixi imaginem detestari.* Paræus in cap.
1. Epistolæ ad Rom. dub. 18. *Idololatæ sunt qui imaginē
Christi Crucifixi in templis ad representandum Christum, &
ad docendum rudiores de Christo tuentur.* Carolostadius
apud Lutherum, tomo 2. VVittemberg. fol. 4. *Si Crucifi-
xi imaginem uideris, expue in faciem eius.* Lutherus ipse
apud Gretserum lib. 2. de Sancta Cruce, cap. 18. *Si miles
essem, mihi que in acie vel Sacerdos, vel vexillum cruce insi-
gnitum, vel etiam ipsa Crucifixi imago occurreret, non aliter
me inde proriperem, quam si ipse cacodæmon telis ardenti-
bus me insequeretur.*

79. Veniamus ad facta. Refert Reginaldus lib. 2. Cal-
uinoturcisi cap. 18. *Caluinum prohibuisse, ne ima-
go Christi Crucifixi è collo gestaretur.* Obtempera-
tum est. Non amplius imago Christi, sed eius loco au-
rea vel argentea Caluinī imago gestari cœpit. Qua de-
re monitus Caluinus à modestioribus, respondit; *Si
quis hoc spectaculo offenditur, eruat sibi oculos, vel abeat citio,
& suspendat se.* Hoc leue. Diriora sunt, quæ sequuntur.

Scribit Petrus Hansonius in admonitione ad Germanos contra Caluinistas, nouos Reformatores Varadini in Hungaria, imaginem Crucifixi primo in aquas abiecisse, extractamque rota comminuisse, eo modo, quo latronibus brachia & crura, impulsu rote confringuntur; his adjunctis blasphemis: *Latro es, non Deus: Latronis tibi premia ferenda sunt.*

80. In Anglia, sub Edouardo Rege (ut scribit Sanderus lib. 2. de schismate Anglicano) demoliti sunt imaginem Crucifixi, & in eius locum subrogarunt insignia Regis Angliae, nempe tres Leopardos, & tria lilia: hinc serpentis, inde canis pedibus expansis sustentata. Quod perinde erat, ac se dixissent, se non Christum, cuius imaginem contumeliosè deicerant, sed Regem terrenum, cuius insignia eodem loco erexerant, colere & adorare.

81. In Gallia, atrociora patrata sunt, teste Rossæo, qui in libro de iusta Reipub. in Regem authoritate, sic scribit; *Aurangi in Prouincia, post ordinaria illa Calviniani Euangelismi facinora, disturbatas Ecclesias, euersa Sanctorum monumenta, exusta corpora, & inter alia patrum & primum Apostolum suum sanctum Europium, & huiusmodi cætera, ad extremū scitè formatam Christi crucifixi imaginem templo educunt, funib[us]que alligatam imponunt asino, & per omnes plateas & compita, perpetuis eadem maledictis, & una continuis flagellis & verberibus afficientes circumducunt; & deinde in ignem proiiciunt.* Et ibidem: *In diœcesi Carnotensi, longè ultra hanc diritatē progressi sunt, qui in Ecclesiam quandā, ubi Sacerdos diuinum illud Christianorum sacrificium peragebat, irrumpentes, proculcata suis pedibus sacra Hostia, & effuso sanguine, calice loco matula abutentes, & Sacerdotem ad urinam ebibendam compellentes, mox eundem cum crucifixi Christi imagine altè colligarunt, & Christum cum Sacerdote plurimorum sclopotorum glandibus transfixerunt.*

82. In Hollandia , nouum contumeliaz genus commenti sunt Geusij. Nam statuam Christi Crucifixi, quæ in templo Gorcomensi visebatur, infami patibulo affixerunt, ut refertur in theatro crudelitatis hæreticorum, f. 581. Plura videri possunt apud Iacobum Gretserum lib. 2. de Sancta Cruce , cap. 18. & alibi.

83. In hoc tamen genere Lutherani Caluinistis moderatores sunt. Tolerant illi sacras imagines , saltem aliquas in suis templis : Hi nullas penitus. Nullas , inquam , sacras : at profanas plurimas. Audio in quibusdam Caluinistarum Ecclesiis , pro columba , quæ Spiritum sanctum repræsentat , Bubonem substituit: pro statuis Apostolorum , statuas nobilium colloca-ri: pro historia passionis Christi , sylvas & venationes in parietibus depingi. Quæ res valdè affligit subditos: adeò , vt illi etiam , qui hactenus fuerunt Lutherani , & nunc à suis Principibus ad Caluinismum compelluntur ; hæc vna potissimum de causa vehementer à Caluinismo abhoreant , & eorum in templis communionem subterfugiant. Referam quod ante hos annos contigit. Non longè à Moguntia pagus est , vbi antea Lutherani , nunc Caluinistæ sunt. Cum fieret mutatio , nouus Prædicans à Caluiniano Principe submissus est , qui sublati è templo imaginibus , nihil aliud , præter mensam & suggestum reliquit integrum. Tum rusticos die dominica ad communionem venire iussit. Illi , quod pœnam metuerent , si non parerent , venerunt quidem cateruatim ad ostium templi , sed cum nullus ante alios ingredi vellet , foris omnes substiterunt. Prædicans qui ad mensam pane ac vino instructam eos expectabat , alta voce hortatus est , vt accederent. Nemo voluit. Nec tamen recessit quisquam ab ostio , sed simul omnes quasi attoniti & offensi , persistebant. Vedit hoc quidam

dam aulicus, qui accinctus gladio, & grandi Molosso comitante, iter isthac faciebat. Et proprius accedēs sc̄scitatus est à Rusticis, quid tergiuersarentur in limine? Cur templum non ingrederentur? Cur à Prædicante communionem non acciperent? Responderunt illi, se haetenus Lutheranos fuisse, nec posse bona conscientia Caluinisticam cœnam manducare. Tum ille: Nihil, inquit, periculi est: Accedite, præibo vos exemplo: Quod me videtis facere, & vos facite. Et mox templo ingressus, ad mensam accessit cum cane (rusticis interim ad ostium expectantibus) & arreptam è mensa buccellam panis, cani deuorandam obiecit, & abscessit. Hoc spectaculo, offensus est Prædicans, recreati Rustici: Ille murmurare; hi ridere & cachinnoſ tollere. Narro rem, vt ab ipsis rusticis accepi.

84. Ex iis, quæ haetenus dicta sunt, facile constat, quid de huiusmodi reformatoribus sentiendum sit. *Ex fructibus eorum*, inquit Christus, cognoscetis eos. Fructus eorum iam enumerati sunt: sed planè diuersi ab illorum fructibus, qui olim templa & monasteria fundarunt. Horum fructus erant hi. 1. Pietas erga Deum. 2. quotidianus Dei cultus. 3. perpetua continentia & castitas. 4. studium abstinentiae. 5. hospitalitas & largæ eleemosynæ. 6. doctrina cum sanctitate cōiuncta. Hos fructus non tolerant noui reformatores: Et tamen, quasi boni viri essent, externam quandam modestiæ speciem præ se ferunt. *Quo* in genere illud occurrit memorabile, quod initio Caluinismi fertur in Germania contigisse. Erant in conuiuio illustres aliquot viri ac fœminæ. Quidam ex illis, calicem vini obtulit Capitaneo Caluiniano, ea conditione, ut porrectum uno haustu ebiberet. Hic statim exceptit, se salua cōscientia id facere non posse. Tum matrona Catholica, quæ assidebat, subridens; Bone Deus, inquit, mi cognate, tam

angusta conscientia tibi nunc est, ut vnum calicem
transmittere non possis, qui haec tenus tot tempula &
monasteria transmisisti sine scrupulo? Aptissime.

Q V A E S T I O X I.

Quomodo Caluinistæ reformatarint festa?

85. **I**NITIO SUÆ REFORMATIONIS, SUSTULERUNT OMNIA FESTA, PRÆTER DIEM DOMINICUM, UT IMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER PROPHETAM, PSAL. 7; .8. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul; Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* HOC FATETUR CALUINUS EPIST. 128. AD MINISTRUM BURENSEM, HIS VERBIS; *Antequam urbem hanc primo aduentu ingressus essem, abrogati erant dies festi omnes, præter dominicum.* FARELLO & VIRETO HOC UTILE VISUM FUERAT. EGΩ RECEPTE & CONSuetudini libenter acquieui. EANDEM QUOQUE RATIONE NOVA HAC BERNATIUM PROVINCIAM SECUTA INITIO FUERAT. ET ALIBI HORTATUR ALIOS UT EADEM CONSuetudine persistant. NAM EPIST. 51. AD MOMPELG. MINISTROS SIC SCRIBIT; *In festis non recipiendis cuperem vos esse constantiores.* ET PAULÒ POST; *In Papatu magna celebritate Cōceptionem & Assumptionem Virginis coluerunt.* QUID HABEBAT SERUUS CHRISTI QUOD DICAT, SI SUGGESTUM CONSCENDERIT ILLIS DIEBUS, NISI UT EORUM STULTITIAM RIDEAT, QUI TALES FERIAS EXCOGITARUNT?

86. NON DIU DURAUIT HÆC REFORMATIO. NAM PROGRESSU TEMPORIS, ALIJ PRÆTER DIEM DOMINICUM, NOVA FESTA INSTITUERUNT: ALIJ VETERA, QUÆ SEMEL REPUDIAUERAT, RESUMPSERUNT. ET QUIDEM IN PALATINATU, FERIA QUARTA EUIUSQUE HEBDOMADIS, IAMPRIDEM SACRA ESSE CŒPIT. OCCASIO FUIT HÆC. QUEREBANTUR FAMILI & ANCILLÆ, DETERIORI CÖDITIONE SE ESSE APUD CALUINISTAS, QUAM APUD CATHOLICOS: HIC MULTA ESSE FESTA, QUIBUS RESPIRARE LICET; IBI ASSIDUO LABORE SE OPPRIMI: NEQUE TANTILLUM TEMPO.

temporis permitti , quo vel laceras vestes reficere fas sit. Visa est legitima querela. Igitur à magistratu, feria quarta assignata ipsis est, qua ab herili opere aliquantulum cessare possint , & consuendis aut reficiendis vestibus operam dare. Quo etiam factum est, ut hoc festum patrio sermone à quibusdam vocetur , Das flickfest.

87. In Hollandia, noua constitutio à DD. Statibus facta est, qua præter diem dominicum , septem festa, quæ nobis cum ipsis communia sunt , permittuntur. Verba constitutionis sunt hæc; *Præter Dominicam, quæ antiqua consuetudines, cultu diuino sacrari & sanctificari solet, nulla alia festa celebrabuntur, quam dies prima & secunda nativitatis Domini, dies Circumcisionis, feria sexta Parasceues tempore solum antemeridiano, dies secunda Paschatis & Pentecostes, ac denique dies Ascensionis Domini.* Ad quæ festa populus, ut sese ad concionem paret ac recipiat, dominica proximè antecedente commonebitur , & interdicetur omnibus cauponibus & Tabernariis, ne durante prædicatione, hospitibus promant: aliis etiam, ne pila ludant, aut ullam insolentiam, qua cultus diuinus perturbari possit, exerceant, sub certa pœna à nobis statuenda.

88. In hac constitutione aliqua notanda sunt. Primum est, quod DD. Status, non aliter, quam *antiqua consuetudine*, seu traditione Ecclesiæ probare possint, diem dominicum diuino cultu celebrandum esse. Gaudio, quòd tamē agnoscant vim traditionis, quam toties oppugnarunt. Sed doleo, quòd iterum sui oblitii sint. Obligarunt enim se sub forma iuramenti, quod non aliam regulam, normam & amissim sequi velint, quam solam Scripturam. Nunc etiam consuetudinem & traditionem Ecclesiæ sequuntur.

89. Alterum est, quòd obligent suos subditos, ut præter dominicam, colant alia septem festa, quæ iam

enumerata sunt. In quo s̄apius peccant. 1. contra iumentum à se præstitum. 2. contra consilium Caluini; *In festis non recipiendis cuperem vos esse constantiores.* 3. contra consuetudinem Caluinistarum, cui Caluinus libenter acquieuit. 4. contra regulam Caluini; *Deus non irritum habet, quidquid colendi sui studio, præter mandatum suū suscipimus, sed palam quoque abominatur.* 5. contra libertatem Caluini & piorum omnium; *Reſpuere mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* Nisi fortè DD. Status Catholicis in hoc puncto adhærere malint, quam Caluino. Rectè. Vtinam etiam in aliis.

90. Tertium est, quòd nō velint alia festa coli, præter illa septem assignata. Iuxta quam regulam? Nimirum; *Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.* Alioqui, si liceat illa septem colere, cur alia non liceat? Cur nō festum dedicationis Templi? Præsertim cum Christus suo exemplo id approbauerit. Cur non festum sanctissimæ Trinitatis? Cur non Transfigurationis? Cur non similia?

91. Quartum est, quòd sub pœna à se statuēda, prohibeant vsum hospitiij & lusum pilæ, durante prædicatione. Quid ergo futurum est, si peregrini ad hospitiū diuertant, & properer urgentem necessitatem nō possunt expectare finē prædicationis? Adeōne barbari & inhumani erūt Bataui, vt ieiunos abire iubeant? Absit.

92. Quintum est, quòd hæc constitutio cōtraria sit alteri constitutioni, quæ proximè antecedit. Nam in proximè antecedenti capite; De sacra Cœna habetur hæc constitutio; *Cœna Domini, iuxta institutionē Christi, saltem quater per annum in urbibus, nempe die nativitatis Christi, Paschatis, Pentecostes, & semel in mense Septembri celebrabitur.* Ergo in mense Septembri debet esse festum aliquod, distinctum ab illis septem, quæ in altera

altera constitutione recensita sunt. Ergo præter illa septem adhuc vnum est, quod coli necesse sit.

Q V A E S T I O X I I .

Quomodo Caluinistæ reformatarint iejunia?

93. Circa iejunia eodem ferè modo, quo circa festa, progressi sunt. Nam primò sustulerunt omnia iejunia, quæ à Catholicis seruari solent, præsertim iejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, & abstinentiam à carnibus feria sexta & sabbato. Moti sunt hoc potissimum fundamento, quod iejunia debeant esse libera, non coacta. Nam libertas Christiana (inquit Caluinus lib.3. Instit.c.19. §.2.) in eo consistit, ut nulla rerum externalium, quæ per se sunt adiaphora, religione coram Deo teneamus, quin eas nunc usurpare, nunc omittere indifferenter liceat.

94. Hæc reformatio carè stetit Caluinis. Nam proptet violatum Quadragesimæ iejunium, aliquot ipsorum millia perierunt. Historiam rei gestæ narrat Bredebachius lib.7. collationum cap.38. his verbis; *Anno 1575. in septimana sancta, milites comitis Ludouici à Nassau, contempta religione veteri, carnibus passim vescebantur, & immodica latitia efferebantur. Quocirca D. Philippus Olmenus, vir multæ experientiæ, magnæ pietatis, animi sagacis, Parochum id temporis agens in loco non valde à castris militum istorum remoto, suos confortabat, ut sacrum Quadragesima tempus pergerent religiosè peragere: Illos quidem, diuinis humanisque sanctionibus contemptis, nunc strenue comedendi, carnibus vicitare & latari, sed lugubre & funestum Pascha habituros: Se vero, ac suos fausto ac fælici Paschate gaudiosos. Quod & factum. Nam Catholicis post expletos sanctæ Quadragesimæ labores, Paschalem solennitatem festiis gaudiis celebrantibus*

ecce

ecce subito feria quarta Pascha, uniuersus ille Ludouici exercitus cum ipso Comite Ludouico, omnibusque Antesignanis, cæsus & imperfectus est, paucissimis fuga saluatis. Adhuc escae erant in ore eorum (inquit Psalmista) & ira Dei ascendit super eos, & gladius Catholicorum deuorauit carniuoros. Hæc strages contigit in Ericeto Mokensi, vulgo, auff der Mocken Häyden, & à multis authoribus in lucem edita est.

95. Fortè hoc exemplo permoti sunt DD. Status Hollandiæ, ut in Synodo Ultrætinæ; non quidem approbarent Catholicorum ieunia, sed tamen ut noua instituerent. Nam in cap. de ieuniorum & rogationum diebus, sic decernunt; *Præter extraordinarios ieuniorum & orationum dies, quos communes habemus cum unitis Provinciis, volumus ut deinceps semel ordinariè in anno, nempe post Pascha, unum aut alterum generale ieunium seruetur per hanc totam prouinciam, &c.*

96. Ego tamen vchementer miror hoc ipsorum decretum. Nolunt seruari antiquum Ecclesiæ præceptum de ieunio; volunt suum nouum seruati. Nolunt cum Catholicis in Quadragesima ieunare; volunt soli ieunare post Pascha. Et cur præcisè post Pascha? Duplex occurrit ratio. Vna, quia tunc haberi possunt reliquæ seu fragmenta piscium; quæ ex Catholicorum Quadragesima supersunt. Valde enim recreantur nostris reliquiis. Altera, quia, ut iam dixi, post Pascha cæsus est exercitus Caluinistarum. Sicut ergo Catholicæ ieuniant in Quadragesima in honorem mortis & passionis Christi; ita Caluinistæ post Pascha, in memoriam illius cladis, quam ab Hispanis passi sunt.

97. Fundamentum illorum, quod initio allatum est, nihil euincit. Primò, quia in ipsos retorqueri potest. Nam si libera sunt ieunia, cur nouo decreto ab ipsis imperantur? Deinde, non expedit esse libera. Nam si escent,

sent, à paucis seruarentur. Hoc docet experientia apud Lutheranos & Caluinistas, qui libera esse volunt. Attem-
xam, quid D. Pistorio contigerit. Habebat is parentem
grandænum in Hassia, quem orabat Catholicum esse.
Multis vtrinque actum est. Tandem respondit senex,
sibi omnia probari, quæ apud Catholicos sunt, hoc vno
excepto, quod nimis seuerè imperent ieunia. Hæc li-
berè, non coactè suscipi oportere. Cui filius : Mi pater,
inquit, cum apud vos libera sint, quotusquisque ve-
strum ea seruat : Quis liberè abstinet à carnibus, cum
habere eas possit : De te loquar. Quoties obsecro, ab
adolescentia tua ad hanc usque ætatem, quæ iam de-
crepita est, liberè ieunasti ? Hic hæsit senex attronitus,
& paulisper se colligens, Nunquam, per Deum, inquit
Germanicè, Niemal. bij Godt. Testimonium hoc ve-
rum est.



TER TIVS TITVLVS.

Theodidacti,

Idest,

A Deo docti.



ALVINISTÆ vocant se Theodidactæ, id est, à
Deo doctos. Et in ea re dicunt se esse similes
Apostolo scribenti ad Galatas, Neque enim
ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per
reuelationem Iesu Christi. Et de se interpretantur prædi-
ctum esse per Isaiam Prophetam, c. 54.13. Dabo uniuersi-
tates filios tuos doctos à Domino. Et per Jeremiam, c. 31.34.

Non

Non docebit ultra vir proximum suum. Omnes enim cognoscunt me à minimo eorum usque ad maximum. Quibus adiungunt illud Ioan. 6. 45. Erunt omnes docibiles Dei. Et 1. Ioan. 2. 17. Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: unctio eius docet vos de omnibus.

2. Hoc titulo defendunt omnia sua facta: Et quidquid illis obiici potest, sub prætextu huius tituli evanescit. Nam si dicas; Cur Calvinistæ recipiunt codicem Bibliorum, quem nos habemus? Respondent; Sic à Deo docti sumus. Cur non recipiunt omnes Bibliorum partes, quas Catholici recipiunt? Sic Deus inspirauit. Cur versionem, quam Catholici sequuntur, repudiāt, & nouas quotidie moliūtur? Ex instinctu Spiritus sancti id fit. Cur sensum Scripturæ, quæ Patres fecuti sunt, ipsi non sequuntur? Non ab hominibus, sed à Deo illum accipimus. Et sic deinceps.

3. Aiunt autem se à Deo doceri, per priuatum spiritum, id est, per internam testificationem Spiritus sancti, qui vnicuique priuatim suggesterit omnem veritatem. Hic autem priuatus Spiritus tria potissimum in ipsis operatur. Primo, facit eos certos de sua iustitia, perseverantia, prædestinatione & vita æterna. Secundo, per eum norunt discernere, quæ Scripturæ sint diuinæ & Canonicae, quæ non sint. Vel, quod idem est, quæ vox sit diuina, quæ non sit, iuxta illud Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt. Tertiò, per eius instinctum discunt verum sensum & interpretationem Scripturæ: ac proinde possunt omnes controversias fidei ac religionis, quæ fundantur in Scriptura, per veram Scripturæ interpretationem dirimere & componere. Hæc omnia paucis examinanda sunt, hoc ordine. 1. qualis sit priuatus ille Spiritus, quem Calvinistæ dicunt se habere. 2. an per illum Spiritum certi sint de præsenti sua iustitia, & de futura perseverantia & vita æterna.*

3. an per eundem Spiritum norint discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas. 4. an per illum possint dirimere controvërsias fidei ac religionis.

Q V A E S T I O I.

Qualis sit spiritus Calvinistarum?

4. **H**oc meritò disputari potest. Non enim frustra monet nos Apostolus, 1. Ioan. 4. 1. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Causam addit, quia multi pseudoprophetae exierunt in mundum. Multi iactant se habere spiritum Dei, qui tamen agitantur spiritu vertiginis & mēdacijs. Igitur opus est discretionē spirituum, quam non omnes habent. Habuerunt illam Apostoli & Prophetæ, qui sciebant se scribere, dictante Spiritu sancto, quæ scribebant. Habuit Lutherus, qui sciebat à diabolo suggeri sibi argumenta contra sacrificiū Missæ. At non habuit Zuinglius, qui dubitabat, ater an albus esset Spiritus, qui illa verba, *Hoc est corpus meum*, metaphorice intelligenda esse inspirauit.

5. Quid dicemus de Spiritu Calvinistarum? albus, an ater est? bonus an malus? Nihil ex me dicam; sed tantum, quid alij sentiant. Igitur Smidelinus contra Grynæum, sic scribit; *Spiritus Calvinisticus mendax est, homicida ater, pessimus, fugitivus, lubricus, diabolicus, falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus, Calvinismus, Arianismus, & Mahometismus*, fratres sunt & sorores: tres caligæ eiusdem panni. Camarina, in quam multæ hæreses confluxerunt; ultima Satanae ira.

6. Et Lutherus apud Gretserum, lib. 1, contra Goldastum c. 12. *spiritus, inquit, Calvinistarum, est diabolicus*
Spiri

Spiritus mendax Spiritus ; rebellionis & dissensionis Spiritus ; fugitiuus, inconstans & vertiginosus Spiritus. Et ibidem ; *Caluinistæ sunt fanatici, progenies viperina, animicæ, impij blasphemæ, deceptores, sanguinarij, infernales molosi Germanici Turcæ, à Sathanâ missi & obsecsti, Mahometani baptizati, perdiabolati, transdiabolati, superdiabolati.*

7. Et Serenissimus Angliæ Rex Iacobus in Basilico suo Doro, dicit esse *Spiritus fanaticos, periuros, perfidos, nihil nisi seditionem & calumniam spirare, sine ratione maledicta ingerere.* Et in fine Monitoriæ Præfationis, esse homines *peruicaces, obstinatos, & legum imperiis reluctantes.* Et Thomsonius in Elencho refutationis Torturæ Torti, esse *factiosos, puros putos Pharisæos, antiquitatis osores.*

8. Non habeo, quod addam. Et malim aliorum testimonia, quam mea, hoc loco adducere. Nec Caluinistæ repudiare illa possunt quia partim sunt testimonia Lutheranorum, quos ipsi agnoscunt pro fratribus: partim Serenissimi Regis Angliæ, quem Christianæ fidei Propagatorem & Defensorem profitentur. Hoc solum addi potest, non mirum esse, si tales sint Caluinistæ, quales esse descripsimus. Nam, ut supra ostendi, non possunt esse alij, si sequantur suæ sectæ, ac religionis principia, de quibus plura in sequenti titulo.

QVÆSTIO III.

An Caluinistæ per priuatum Spiritum certi sint de sua iustitia & prædestinatione.

9. **A**ffirmat Caluinus in Antidoto Cóncilij Tridentini, sess. 6. c. 10. his verbis ; *Certo statuimus, nobis remissa esse peccata, in eaque certitudine acquiescimus.* Et ibidem ; *Non mirum est, si hæc, quam spiritus Dei, piorum*

rum cordibus ob-signat, certitudo Sophistis ignota est. Et c. 13. quicunq^z, sunt filii Dei, inter media pericula tutos se esse non dubitet: imo: periculis infinitis obseSSI, suam salutem extra periculum esse confidant. Et can. 15. Suae electionis certos esse conuenit uniuersos fideles. Et lib. 3. Inst. c. 2. §. 16. Vere fidelis nō est, nisi qui confidet se regni caelestis heredem gloriatur. Et Dauid Paræus in Prolegomenis ad Oseam prophetam; *Spiritus sanctus intus contestatur Spiritui nostro, de nostra ipsorum conuersione, iustificatione, electione.*

10. Magnum hoc Caluinistarum priuilegium est. Nec intelligitur de certitudine morali, quam etiam nos sine priuilegio habere possumus de nostra iustitia & sanctitate, sed de certitudine fidei, quam Caluinistæ prae nobis glorianter se habere, ut ex verbis Caluini perspicuum est. Habet autem tres partes. Prima est, quod Caluinistæ habeant certitudinem fidei de sua iustitia, sanctitate & remissione peccatorum. Altera, quod habeant certitudinem fidei de sua perseverantia. Tertia, quod eandem habeant de sua praedestinacione & vita æterna.

11. Nititur autem quatuor fundamentis. Primum est, fidem non dari, nisi solis praedestinatis (Caluin. li. 3. Inst. cap. 22. §. 10.) Alterum, fidem semel habitam nunquam amitti (lib. 3. c. 2. §. 12. & c. 21. §. 6.) Tertium, sola fide hominem iustificari (lib. 3. capite 11. §. 19.) Quartum, qui fidem habet, certum esse de sua fide, iuxta illud 2. Corinth. 1. 3. 5. *Vosmetipso tentate, si estis in fide.* Hinc sequitur, si is, qui fidem habet, certus est de sua fide, certum quoque esse de sua iustitia, quia sola fides iustificat: certum de sua perseverantia, quia fides non amittitur: certum de sua praedestinatione, quia fides non datur, fide praedestinatis.

12. Hoc Priuilegium, nec in veteri, nec in nouo Testamento nec in Augustino potui inuenire. Tametsi

enim ex iis facile intelligam , nos habere posse certitudinem quandam moralem de nostra iustitia & prædestinatione ; non tamen quicquam reperio de certitudine fidei , cui nullus error aut falsitas subesse potest . Nam in veteri Testamento sic legimus , Ecclesiastæ 9.

1. *Nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Et Ecclesiastici §. 5. *De propitiato peccato nolo esse sine metu.* Et Psalm. 2. 11. *Seruite Domino in timore.* Causam addit ; *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* In novo sic, Rom. 11. 20. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Et ad Philip. 2. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et Apoc. 3. 11. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

13. His consentit Augustinus in lib. de correptione & gratia , c. 13. cum ait ; *Omnis, etiam qui bene currunt, timent, dum occultum est, quo perueniant.* Et ibidem , *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinorum se esse præsumat?* Eth. mil. 35. *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi indicare non possumus: non dico: quid craserimus, sed quid hodie simus.* Et ser. 16. de verbis Apostoli ; *Et erit quisquam nostrum, qui audiat dicere, iustus sum?* Notent hoc Caluinistæ.

14. Et ratio est efficax. Nam inter certitudinem fidei & moralem hoc interest , quod moralis nitatur quibusdam signis & coniecturis, aut argumentis , quæ quidem efficiant hominem ita certum , ut moraliter putet se non errare, tametsi reipsa aliquando erret. Potest enim huic certitudini aliquando subesse falsum, ut fateatur Caluinus lib. 3.. Inst. cap. 2. §. 10. *Tot, inquit, vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humatum, tam fraudulenta hypocrisi, teclum est, ut seipsum sepe fallat.* Et §. 1. *Experientia ostendit, reprobos interdum similifere sensu, atque electos affici, ut ne suo quidem iudicio, quicquam ab electis differant.* At certitudo fidei omnino est infallibilis

fallibilis; quia nititur diuina veritate, cui falsum subesse nō potest. Tunc ergo dicitur aliquis habere certitudinem fidei de aliqua re, quando rē illam immediatē cognoscit per reuelationem Dei; quo pacto cognoscimus omnia, quæ in Scripturis à Deo reuelata sunt. At non singuli fideles habent reuelationē Dei de sua iustitia, perseverantia & vita æterna. Non enim singulis dicitur, quod dictū est Magdalena, Lucæ 7.48. *Remittuntur tibi peccata tua: aut quod dictū est Latroni, Lucæ 23.43. Hodie mecum eris in Paradiso.* Non ergo singuli habēt certitudinem fidei, quā Magdalena & Latro habuerūt.

15. Porrò fundamenta, quibus nititur Caluinistarum priuilegium, fictitia sunt. Primum est, fidem non dari, nisi prædestinatis. Falsum est. Iudas proditor, Simon Magus, & Nicolaus Antiochenus, non fuerunt prædestinati, sed reprobi, & tamen fidem habuerunt. De Iuda testatur D. Hieronymus lib.3. contra Pelagianos, & probat ex illis Christi verbis. Ioan.17.12. *Pater, quos dedisti mihi, custodiri, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Nā si Pater dedit illū filio, certè bonus tunc erat: Et si postea periit ex grege, certè antequam periret, in Christi grege numerabatur. De Simone mago testatur S. Lucas, Act.8.2. *Cum vero credidissent Philippo euangelizanti, tunc Simon & ipse credidit; & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* De Nicolao Antiocheno scribit idem Lucas, Act.6.3. *Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septē, plenos Spiritus sancto & sapientia.* Ex iis autē septem, unus erat Nicol. Antiochenus.

16. Alterum est, fidem nunquam amitti. Et hoc falsum. Nam Apostolus disertè ait, 1.Tim.1.19. *Quidam circa fidē naufragauerunt, ex quibus est Hymenaeus & Alexander.* Et c.41. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* Et sanè si fides amitti non potest, vnde tot sunt in mundo hæretici: Cur dixit Apostolus, Rom.11.20.

Tu autem fides tuas, noli altum sapere, sed time!

17. Tertium est, sola fide hominem iustificari. Non ita est. Scriptura non minus requirit timorem, spem, charitatem & pœnitentiam ab eo, qui vult iustificari, quam fidem, Eccles. 1. 28. *Qui sine timore est non poterit iustificari.* Proverb. 28. 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* 1. Ioan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Act. 3. 19. *Pœnitemini & conuertimini, ut deleantur peccata vestra.*

18. Quartum est, qui fidem habet, certum esse de sua fide. Hoc, siue verum, siue falsum sit nihil patrocinatur Caluinistis. Nam et si is, qui fidem habet, certus esset de sua fide, non ideo quoque certus esset de sua iustitia, si sola fides non iustificat: nec certus de perseverantia, si fides amitti potest: nec certus de prædestinatione, si fides communis est prædestinatis & reprobis. At iam ostensum est, solam fidem non iustificare; fidem amitti posse; nec solis prædestinatis, sed etiam reprobis conuenire. Addo, falsum esse, vnumquemque fidelem habere certitudinem fidei de sua fide. Non enim dicitur vnicuique à Deo, quod dictum est mulieri in Euangeliō, *O mulier, magna est fides tua.* Negandum tamen non est, posse nos habere certitudinem quandam moralem de nostra fide, fundatam in experientia vitali. Sicut enim is, qui gaudet vel tristatur, vitaliter experitur se gaudere vel tristari; sic etiam is qui credit, experitur se credere. Hoc sensu dixit Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 1. *Fidem porro ipsam, quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus.* Et D. Thomas 1 p. quæst. 87. art. 2. ad 1. *Fides percipitur ab eo, in quo est, per interiorem actum cordis.* Nullus enim fidem se habere scit, nisi per hoc, quod se credere percipit.

QVÆSTIO III.

An Caluinistæ per priuatum spiritum norint discernere inter Scripturas Canonicas & non Canonicas?

19. **A**ffirmat David Paræus in disputatione de authoritate Scripturarū, vbi proponit & discutit hanc quæstionem; *Vnde constat, doctrinam Prophetarum & Apostolorum esse diuinam & Canonicanam? & reiectis aliorum opinionibus, dicit id constare ex interna testificatione Spiritus sancti. Sic enim habet; Spiritus sanctius testificatur in cordibus electorum: de huius doctrina veritate & certitudine. Filii siquidem Dei, legentes vel audientes libros Prophetarum vel Apostolorum, audiunt & agnoscunt loqueland Patris sui, & discernunt eam ab aliis.*

20. Hoc enim magnum Priuilegium est: & debet sic explicari. Primò, omnes Caluinistæ sunt certi de sua iustitia, perseverantia & prædestinatione, vt patet ex præcedenti priuilegio: Omnes igitur sunt filii Dei. Secundò, filii Dei audiunt & agnoscunt loqueland Patris sui, & eam discernunt ab aliorum loquela; sicut oves agnoscunt vocem Pastoris sui, & eam discernunt à vocibus aliorum, iuxta illud Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Tertiò, in Scripturis canonicis auditur vox & loquela Dei Patris, in aliis non item. Igitur filii Dei qui agnoscunt loqueland sui Patris, eaque ab aliorum loquela norunt discernere norunt etiam discernere inter Scripturas canonicas & nō canonicas. At Caluinistæ sunt filii Dei, de quo nemo dubitat: Ergo discernunt inter Scripturas canonicas & nō canonicas.

21. Sed merito suspectum mihi est hoc priuilegium. Primò, quia fundatus in præcedenti priuilegio, quod

subreptitium est, ut dixi. Non enim certi sunt Caluinistæ, se esse filios Dei, & oves veri Pastoris. Secundò quia malè interpretantur illud Christi, *Oves meæ vocem meam audiunt*. Non enim est hic sensus, quē ipsi comminiscuntur, *Oves meæ vocem meam audiunt*, id est, discernunt inter Scripturas canonicas & non canonicas (nam Pharisæi, qui non erant oves Christi, optimè discernebat inter Scripturas canonicas veteris Testamenti, & non canonicas: Et multi alij, qui erant oves, non discernebant) sed hic potius est sensus; *Oves meæ vocem meam audiunt*, id est, auditis meis concionibus, & visis tot miraculis à me patratis, credunt me esse filium Dei, quod Pharisæi credere non volunt. Tertiò, quia Caluinistæ negant, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticū & Machabæos pertinere ad Scripturas canonicas, quod tamen affirmant Augustinus, & alij Patres titulo primo citati. Ergo ueceſſe est, vel hos, vel Caluinistas errare in discernendis Scripturis canonicas à non canonicis. Si ergo filij Dei in eo puncto non errant, iterum ueceſſe est, vel hos Patres, vel certè Caluinistas non esse filios Dei. *Quis autem negat Augustinum, & similes viros sanctissimos, fuisse filios Dei?* Si ergo hoc negari non potest, alterutrum è duobus dicendum est, vel Caluinistas non esse filios Dei; vel falsum esse, quod omnes filij Dei norint discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas.

22. Idem argumentum fieri potest de ipsis Caluinistis inter se collatis. Nam Beza, qui est vñus ex Patriarchis Caluinistarum, putat caput octauum Ioannis, in quo agitur de adultera, non esse Scripturam canonicanam. Alij Caluinistæ contra sentiunt. Si ergo omnes filij Dei norunt discernere inter canonicas, & non canonicas Scripturas; planè sequitur, vel Beza non esse filium Dei, vel certè alios Caluinistas nō esse,

Hanc

Hanc litem inter se componant. Et quid quæsto dicent de Lutheranis, quos appellant suos fratres? Norunt illi discernere, an non: Si norunt, cur reiiciunt Epistolam Iacobi, ut stramineam, quam admittunt Caluinistæ, ut canonicam? Si non norunt, iam non sunt oves, sed hirci. An ergo Caluinistæ agnoscunt hircos pro suis fratribus?

23. Accedit postremò, quid nō possunt tueri suum priuilegium sine circulo. Hoc alibi prolixè ostendi contra Paræum. Nunc breuiter sic repeto. Vnde constat tibi, Paræ, Scripturam Euangelij esse diuinam, & loquaciam Dei Patris? Ex interna testificatione Spiritus sancti. Sed vnde constat illam testificationem esse à Spiritu sancto? Ex Scriptura Euangelij, *Oves meæ vocem meam audiunt*. At vnde scis hanc Scripturam esse diuinam? Ex interna testificatione Spiritus sancti. Et vnde scis, hanc testificationem esse à Spiritu sancto? Ex Scriptura diuina, *Oves meæ vocem meam audiunt*. Et quis tibi dixit, hanc Scripturam esse diuinam? Interna testificatio Spiritus sancti. Et quis dicit hanc testificationem esse à Spiritu sancto? Scriptura diuina iam sæpe citata: Et putas hanc Scripturam diuinam esse? Omnino. Sed vnde scis? Iam sæpe dixi: quid mihi molestus es? Dixisti quidem, sed in circulo. Nec inde exibis, nisi restituas priuilegium.

QVÆSTIO IV.

An Caluinistæ per priuatum spiritum possint dirimere omnes controversias fidei ac religionis?

4. **H**æc quæstio necessariò connexa est cū præcedéntibus. Nam si Caluinistæ sunt filii Dei,

& norunt discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas, seu inter vocem Dei & hominum necesse est, ut etiam norint, quid significet vox Dei, vel quo sensu prolatâ sit. Ut enim aliquis dicatur audire vocem Dei, non satis est, ut externum sonum percipiat, sed ulterius requiritur, ut sensum illius assequatur. Alioqui externa vox, quæ sono tantum, & non sensu percipitur, parum prodest. Cum ergo Calvinistæ affirmant, se per internam testificationem Spiritus sancti discernere inter Scripturam diuinam & non diuinam, consequenter etiam asserunt, se nosse sensum & interpretationem Scripturæ diuinæ. Ex quo deinde sequitur, omnes controversias, quæ fundantur in Scriptura diuina dirimi ab ipsis posse, quia dirimi possunt ex vero sensu & interpretatione Scripturæ diuinæ.

25. Sed hoc iam satis refutatum est titul. 2. quæst. 6. & 9. Nam quæst. 6. ostendi, Calvinistas non habere verum & legitimum Scripturæ sensum. Et quæst. 9. non posse eos ex sola Scriptura dirimere omnes controversias, quæ de fide inter nos & ipsos oriuntur. Nec opus est hic repetere, quæ ibi dicta sunt. Hoc solùm ab ipsis nunc peto, cur DD. Status Hollandiæ mandauerint, ut omnes controversiæ, quæ à Prædicantibus dirimi non possunt, ad ipsos, tanquam ad supremos Iudices deferantur? Vel enim Prædicantes habent priuatum spiritum; quem Calvinistæ sibi vendicant, vel non habent. Si habent, cur ipsi non dirimunt controversias? quid opus est ad DD. Statuum tribunal confugere? Si non habent, cur asserunt se habere? aut quomodo certi sunt de sua iustitia, perseverantia, & prædestinatione? Non capio hæc mysteria.

Q V A R T V S T I T V L V S .
O R T H O D O X I .

 ALVINISTÆ vocant se Orthodoxos, id est, recte sentientes. Nam ipsorum iudicio, Catholici cum antiquis Patribus male sentiunt de rebus fidei & religionis; ipsi recte. Quod ex dictis confirmari potest hoc modo; Illi recte sentiunt, qui sunt veri Euangelici, Reformati, & à Deo docti: Calvinistæ sunt tales, ut probatum est: Ergo recte sentiunt. Meritò igitur Orthodoxi appellantur.

2. Ego contra sentio, non Orthodoxos, sed Cacodoxos, id est, malè sentientes, rectius appellari posse, quod facile ostendo. Nam Calvinistæ docuerunt hanc tenus hæc paradoxa. 1. Deus prædestinat homines ad æterna supplicia, sine ulla ipsorum culpa. 2. Eosdem occulta vi impellit & necessitat ad omnia flagitorum genera perpetranda, ut habeat occasionem eos damnandi & puniendi. 3. Insuper mandat, vrget ac incitat Satanam, ut eos ad peccandum inducat. 4. Meritò igitur omnium peccatorum author dicendus est. 5. Nec tamen hac libidine ac crudelitate satiari potest. Quin miris modis illudit miseris, simulans se velle eos iuuare, cum nihil minus habeat in animo. 6. Christus non est mortuus pro omnibus. 7. Imago Christi crucifixi nullo modo toleranda est, omnésque Catholici & Lutherani, qui eam tolerant, sunt veri idololatræ, sicut gentiles, qui imagines bestiarum colunt. 8. Sancti, qui dicuntur cum Christo regnare, sunt larvæ, bestiæ, sacrifices. 9. Peccatum originale non tollitur per Baptismum, sed manet in nobis, quāndiu viuimus. 10. Nec

I 5 reliqua

reliqua peccata tolluntur in iustificatione, sed tantum teguntur & occultantur. 11. Omnia iustorum opera sunt sordes, inquinamēta & peccata mortalia. 12. Gratia Dei non sufficit ad bene agendum. 13. Lex Dei est impossibilis. 14. Omnes filii fidelium sunt sancti ab utero materno, ac proinde non egent Baptismo. 15. Qui autem ex thoro illegitimo nascuntur, æternæ damnationi obnoxij sunt, nec ad Baptismum admittendi. 16. Peccata prædestinorum, quantumuis enormia, nunquam illis imputantur; reproborum, nunquam remittuntur.

3. Præter hæc & similia paradoxa, adiiciunt hos Atheismos. 1. Deus non est infinitus. 2. Deus secundum substantiam non est alibi præsens, quam in cælo: Et quod inde sequitur, Christus, cum in terris versatus est, non fuit verus Deus. 3. In Deo sunt vera accidentia, realiter distincta à substantia Dei. 4. Decreta Dei, cuiusmodi est decretum prædestinationis aut reprobationis, non sunt ab æterno. 5. Æternitas Dei non est indivisibilis & tota simul, sed successiva. Hæc singula ex illorum scriptis ostendam.

I. Paradoxum Caluinisticum.

Deus ab æterno prædestinavit plerosque homines ad æternam mortem & damnationem, sineulla ipsorum culpa aut merito; solum quia ipsis ita placuit.

Ita Caluinus lib 3. Instit. c. 21. §. 1. his verbis; *Palam est, Dei nutu fieri, ut aliis ultrò offeratur salus; alij ab eius aditu arceantur.* Et cap. 23. §. 1. *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum alio træsferre, quam ad arcnum consiliū Dei.* Et ibid. §. 2. *Homines nudo Dei arbitrio, citra*

citra proprium meritum, in eternam mortem prædestinatur. Et §.5. Dico esse à Deo creatos, quos ad exitium ituros sine dubitatione præsciebat, idque ita factum, quia sic voluit. Et plura deinceps in eandem sententiam

5. Certè, hæc tam atrocia sunt, ut hominem propè ad desperationem adigant. Nam quo animo sis, si ex Calvinismo audias, homines nudo Dei arbitrio in æternam mortem prædestinati: Nihil prodesse bona opera, nihil obesse peccata: solo Dei nutu omnia fieri; Alter antiqui Patres. Tertullianus in lib. de resurrectione carnis; Deus, inquit, de suo optimus, de nostro iustus. Itaque de suo, vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire. De nostro, reddit unicuique secundum opera eius. Et Aug. lib. 3. contra Iulianum cap. 18. Bonus est Deus, iustus est Deus: potest sine bonis operibus liberare, quia bonus est: non potest sine malis operibus damnare, quia iustus est.

6. Ipsi Caluinistæ execrantur hanc Caluini doctrinam. Nam Iacobus Arminius in Articulis, quos obtulit Legato Palatino, sic disertè scribit; Horrendum est, homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in eternam mortem prædestinati. Item; Horrendum est, hominum alios ad eternam vitam, alios ad eternam mortem creatos esse. Item; Non bene dictum, preparationem ad interitum non alio transferendam, quam ad arcanum consilium Dei.

Paradoxum I I.

7. Deus occulta quadam vi mouet, impellit & necessitat homines ad omnia flagitiorum genera perpetranda.

Ita Caluinus lib. 1. Instit. c. 18. §. 2. his verbis; Quantū ad arcanos motus spectat, quod de corde Regis prædicat San. lomō flecti huic illuc, prout Deo visum est ad totū certè genus humanū extenditur, tantundemque valet, ac si dixisset, quidquid

quid animis concipimus, arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigi. Et certè, nisi Deus intus operaretur in mentibus hominum, non rectè dictum esset, auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam; auferre cor Principibus terræ, ut errant per decia. Et infra loquens de Assyriis; Vnde apparet, certa destinatione Dei fuisse impulsos. Et ibidem §.4. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet. Quid est, quod homini agere nō licet? Nimirum, non licet adulterari, furari, occidere. Et tamen impulsu Dei hoc agit, id est, adulteratur, furatur, occidit, si Caluino credimus. An verò, quia impulsu Dei id facit, excusat: Minime, inquit Caluinus. Sicenim habet lib.3. Inst. c. 23. §.9. Excusabiles peccando haberit volunt reprobi, quia evadere nequeant peccandi necessitatem præsertim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciature eiusmodi necessitas. Nos verò inde negamus ritè excusari, &c.*

8. Vides, ex Caluiti sententia, hominem à Deo impelli ad peccatum necessitate quadam à Deo iniecta, quam evadere non potest; & tamen non ideo excusari à peccato. O dura necessitas! Non sic sacra Scriptura loquitur, Ecclesiast. 15.21. *Nemini mandauit Deus impiè agere. Et Sapient. 14.9. Odio est Deo impius & impietas eius. Et Iacob. 1.13. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipso autem neminem tentat.*

Paradoxum III.

9. Deus mandat, vrget & incitat Satanam, ut miseros homines ad peccandum inducat.

Ita Caluinus lib.1. Instit. cap. 18. §. 1. Scimus Satanam se coram Deo sistere ad excipienda iussa, non minus, quam Angelos, qui sponte obediunt, diuerso quidem id modo & fine, sed tamen, ne quid aggredi possit, nisi volente Deo. Et infra;

Ergo

Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipse, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi: operam suam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mādato, ut sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Et ibidem §.2. Dei impulsu, Satan suas partes agit & perficit. Et infra; Dicitur Satan excēdere infidelium metes: sed unde hoc? nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris? Et l.2.c.4. §.2. Satan cum sit instrumētū irae Dei pro eius nutu ac imperio huc atque illuc se inflebit, ad exequenda eius iudicia. Et §.5. Porro Satanae Ministerium intercedere ad reprobos instigādos, quoties huc atque illuc Dominus prouidentia sua eos destinat, vel ex uno loco satis constituerit. Et infra; Spiritus ergo impurus, Dei spiritus vocatur, quia ad eius nutum potentiamque respondet, instrumentum magis ipsius in agendo, quam à seipso author.

10. Quo iam se vertat miser homo (si hæc doctrina vera est) quando à Deo, ut principali agente; & à diabolo, tanquam Dei instrumento, ad peccatum & semperitnum exitium pertrahitur?

Paradoxum IV.

Deus simpliciter dicendus est author omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur.

Ita Calvinus lib.1. Inst. c.18. §.3. Iam satis aperte ostendi, Deum vocari eorum omnium authorem, quæ isti censores volunt otioso tantum eius permisso contingere. Loquitur de peccatis, de quibus disputare cœperat, nominatim de cæcitate & tyrannide Achabi; de incestu Absalonis; de conuitio Semei; de apostasia decem tribuum; de cædibus, rapinis, & incendiis Chaldæorum in Iudæa; de rabie furentium Iudæorum in Christum; de iniquissimo Pilati iudicio, & de aliis similibus. Horum omnium

omnium ait authorem esse Deum , ridetque Catholicos, qui hæc sola Dei permissione putant euenire. Eodem sensu dixerat §.i. *Absalon incesto coitu patris thorum polluens , detestabile scelus perpetrat. Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat.*

12. Ex hoc paradoxo sic concludo; Qui dicit Deum esse authorem peccati , transformat Deum in diabolum,(teste Caluino,in Instructione contra Libertinos, cap.14.) Sed Caluinus dicit Deum esse authorem peccati, vt iam ostensum est : Ergo Caluinus transformat Deum in diabolum.Nos Catholici rectius affirmamus cum Prospero in responsione ad capitula Gallorum, cap. 14. *Bonorum Deus author est, non malorum.* Et cum Fulgentio lib. i. ad Monimum cap. 19. *Deus non est ultor, cuius est author.*

Paradoxum V.

13. Deus non solùm prædestinat homines ad æternam damnationem , & ad peccandum impellit ; sed etiam miris modis illudit misericors , simulans se velle eos iuuare , cum tamen nihil minus velit.

Ita Caluinus lib.3.cap.24.§.13.his verbis ; *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lumen accedit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed qua magis obstupecant; remedium adhibet, sed ne sanentur.*

74. Certe si ita nobiscum agit Deus(ut describit hic Caluinus) quis ab eo remediu:m petat? Nemo, nisi, qui sanari non velit. Videtur Caluinus Deum facere similem illi medico, qui dicebat:

*Si vis sanari de morbo, nescio, quali?
Accipias herbam, qualem sed nescio vel quam?
Ponas, nescio quo; sanabere, nescio quando.*

Et

Et quis Caluini doctrina imbutus , credat Christo
vocanti & dicēti,*Venite ad me omnes, qui laboratis & one-
rati estis, & ego reficiam vos? Quis nō statim excipiat?* Tu
quidem vocem ad me dirigis , sed ut magis obsurde-
scam ; lumen accendis, sed ut cæcior euadam ; doctri-
nam profers , sed qua magis obſtupescam ; remedium
offers, sed ne sanari possim. *Quid ergo te audiam?*

Paradoxum VI.

15. Christus non est mortuus pro omnibus,
sed tantum pro paucis:

Ita Caluinus lib. 3. Inst. cap. 22. §.10.his verbis; *Si
omnes vellet saluos, custodem illis praeficeret Filium, & omnes
in eius corpus sacro fidei vinculo insereret. Nunc constat sin-
gulare esse paterni amoris pignus, filiis quos adoptauit, re-
conditum. Sensus est Deum non velle omnes homines
saluos esse, quia non vult Christum omnibus prodes-
se, sed tantum prædestinatis.*

16. Aliter loquitur Scriptura. 2.Corinth.5.15. *Pro om-
nibus mortuus est Christus, Et 1.Timoth.2.6. Quidedit re-
demptionem semetipsum pro omnibus. Et 1. Ioan.2.2 Ipse est
propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tan-
tum, sed etiam pro totius mundi. Et sanè, nisi ita esset, cur
instituisset pro omnibus Sacraenta? cur imposuisset
omnibus præceptum fidei & Baptismi? cur misisset
Apostolos ad omnes gentes? Niſi hæc omnia fictè &
simulatè à Deo facta esse, interpretentur Caluinistæ,*

Paradoxum VII.

17. Imago Christi crucifixi nullo modo to-
leranda est, omnésque Catholici & Lutherani,
qui eam tolerant, sunt idololatræ, sicut genti-
les, qui imagines bestiarum colunt.

Ita David Paræus Calniniſta in cap. 1. Epist. ad Romanos, dub. 18. his verbis; *Mutant gloriam Dei, & idololatræ sunt, non soli gentiles, qui vel homines, boves, volucres, serpentes, solem, lunam, stellas, herbas, fortunam, vel harum rerum imagines pro Deo colunt; sed etiam inter Christianos, omnes illi, qui imaginem Christi crucifixi in templis ad representandum Christum, & ad docendum rudiores de Christo tuentur.* Et ante illum Beza in colloquio Mompelgartenſi; *Fateor me ex animo crucifixi imaginem detestari.*

18. O tempora, ô mores! Qui Christi Domini ac Saluatoris nostri imaginem tuentur, tum ad repræsentandum beneficium passionis eius, tum ad docendum rudiores de hoc ipso beneficio in nos collato, vocantur Idololatræ. At Caluinistæ, qui eam execrantur, conspuunt & eliminant, censentur (si Diis placet) Orthodoxi, sancti, prædestinati, oues, *Deo dñs aucti*, Reformati. Quis hoc credat, nisi Iudæus aut gentilis.

Paradoxum VIII.

19. Sancti, qui dicuntur cum Christo regnare, sunt laruæ, bestiæ, carnifices.

Ita Caluinus lib. 3. institut. cap. 20. §. 27. his verbis; *Inde colligimus, nihil eos Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem, nisi accedant Georgius & Hippolytus, aut similes laruæ.* Et in libro de ratione reformatæ Ecclesiæ; *Omitto Dominicum & similes carnifices: Omitto Medardum, Lubinum & similes bestias.*

20. His Caluni verbis oppono illud Augustini, serm. 26. de Sanctis; *Quisquis honorat martyres, honorat & Christum: & qui spernit Sanctos spernit & Christum.* An non spernit Sanctos, qui eos appellat laruas, bestias & carfinices? Ergo & Christum spernit.

Paradoxum. IX.

21. Peccatum originale non tollitur per Baptismum, sed manet in nobis, quandiu viuimus.

Ita Caluinus lib. 4. Inst. cap. 15. §. 10: *Iam perspicuum est, quām falsum sit, per Baptismū solui nos & eximī ab originali peccato. Et in Antidoto Concilij Tridentini, sessione quinta. Manet verē peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur. Hoc autem peccatum nihil aliud est, teste Caluino & Paræo quām prauitas naturæ, cæcitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu pœna æternæ.*

22. Hinc sequitur primò, Caluinistas, quamdiu in hac vita sunt, esse depravatos, cæcos, auersos à Deo, & reos pœnæ æternæ. Secundò, eosdem Caluinistas post hanc vitam, vel habere Purgatorium, in quo purgantur ab hoc peccato; vel si nō habent, manere depravatos, cæcos, auersos à Deo, & reos pœnæ æternæ. Si hoc posterius dent, miseri sunt: si illud prius, mutati sunt, quia agnoscent iam Purgatorium, quod hactenus oppugnarunt. Quamquam hoc Purgatorium diuersum à nostro sit, ut alibi dixi.

Paradoxum. X.

23. Reliqua peccata non tolluntur in iustificatione, sed tantùm teguntur & occultantur. Teguntur autem per iustitiam Christi, fide à nobis apprehensam.

24. Ita Caluinus lib. 3. Inst. c. 11. §. 2. *Iustificabitur ille fide, qui Christi iustitiam per fidem apprehēdit, qua uestitus, in conspectu Dei, non ut peccator, sed inquam iustus apparet. Et VVittakerus ad rationem 8. Campiani, Neq; nos*

illius verbi pudet, quando iustitiam, dilecti occultationē esse dicimus. Et Catechismus Heidelbergensis 4.36. Christus mediator sua innocentia ac perfecta sanctitate, mea peccata tegit, ne in conspectum Dei veniant. Et Paræus in suis thesibus de peccato; Peccata in nobis non tolluntur, sed in iudicio Dei, id est, non imputantur.

25. Oppono verba Scripturæ, Ioan. 1.29. Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Act. 3.19. Pœnitentia & conuertimini, ut deleantur peccata vestra. Hebr. 9.28. Christus semel oblatus est ad multorum exaurianda peccata. Micheæ 7.19. Proiicit in profundum maris omnia peccata nostra. Vnde sic concludo; Id, quod tollitur, deletur, exauritur & longissimè proiicitur ab homine, certè non manet in homine: sed in Iustificatione, peccatum tollitur, deletur, exauritur & longissimè proiicitur ab homine, ut testatur Scriptura: Ergo non manet in homine post iustificationem. Et sanè, si maneret, homo iustificatus nihil aliud esset, quam sepulchrum dealbatum, quod intus plenum est ossibus mortuorum & omni spurcitia.

Paradoxum X I.

26. Omnia iustorum opera sunt sordes, inquinamenta, & peccata mortalia, neque vitam, sed damnationem æternam promerentur.

Ita Caluinus libro secundo Institution. cap. 12. §. 4. Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes: Et quæ iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas. Et c. 14. §. 9. Habemus, ne unū à Sanctis exire opus, quod non mereatur iusta opprobrij mercedem. Et §. 11. Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam exitisse prij hominis opus, quod si se uero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile, &c. Et c. 15. §. 3. Nihil ab homine exit, quam tumuis

~~tum~~ uis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Et in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. can. 22. Inde cōficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, quālibet bona opera, si exacto rigore censeantur, aeterna potius damnatione, quām vitæ p̄mio digna esse.

27. Contrarium docet Christus, Matth. 5. 17. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in cœlis est. At quomodo videbunt homines Apostolorum opera bona, si omnia sunt damnabilia? Aut quomodo glorificabunt Patrem cœlestem, si sunt iniquihamenta & mera iniq̄itas? Et Apostolus 2. Petri 1. 10. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationē faciatis. Vbi hortatur nos ad bona opera. At si nulla sunt bona, sed omnia mortifera & damnabilia, quomodo ad ea hortari potest? Et alius Apostolus 1. Cor. 4.4. Nihil mihi conscient sum. Secundum Caluinum debebat dixisse; Male mihi conscient sum, quia omnia mea opera scio esse damnabilia & meram iniq̄itatem. Hoc potius dixit; Bonum certamen certavi, &c.

Paradoxum XI.

28. Gratia Dei non sufficit ad bene agendum, seu ad præcepta diuina obseruanda.

Ita Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6.c.12. vbi expressè ait, Prophetas, Patriarchas, & pios Reges, utcunque Spiritu Dei adiuuarentur, ferendo legis iugo pares non fuisse. id est, nō potuisse seruare legē diuinam, etiamsi auxilio gratiæ diuinæ adiuuarentur. Impia vox.

29. At ipsi Prophetæ, Patriarchæ & pij Reges aliter loquuntur. Ps. 18. 32. Via mandatorum tuorum cucurri, cū dilatasti cor meum. Et Ezech. 36. 27. Spiritum meum ponā in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, Et Apostolus ad Philipp. 4. 13. Omnia possum in eo, qui

me confortat. Et Rom. 8.26. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, Et 2. Corinth. 12. 7. Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.

Paradoxum XIII.

30. Lex Dei est impossibilis, nec ab ullo quantumvis sancto hactenus seruata est, aut deinceps seruari poterit.

Ita Caluinus, loco citato, his verbis; *Mihi abundè sufficit, neminem extitisse unquam, qui legi Dei satisficerit nec ullum posse inueniri. Et postea subdit, quod dixi, nec Prophetas, Patriarchas, & pios Reges, seruasse legem, etiam si gratia Dei adiuuarentur. Et lib. 2. Institut. c. 7. §. 5. Quod autem inquit, impossibilem legis obseruationem diximus, id explicandum & confirmandum est, &c.*

31. Fœlices Caluinistæ qui quoties homicidia, furta, adulteria, aut similia flagitia commiserunt, uno Caluini verbo excusantur, *Lex Dei est impossibilis.* Fœliciores vtique essent, si lectori aut carnifici persuadere id possent, repugnat illis Christus, Matth. 11. 30. *Iugum meum suave est, & onus meum leue.* Et Apostolus 1. Ioan. 5. 3. *Hac est Charitas Dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Et Augustinus lib. de natura & gratia, c. 43. *Deus impossibilia non iubet.*

Paradoxum XIV.

32. Omnes filij fidelium ab utero materno nascuntur sancti & heredes vitæ æternæ, ac proinde saluari possunt sine Baptismo.

Ita Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini sess.

6. cap.

6.cap.5. Verum infantes à regno Dei arcere libuit, qui ante
erupti sunt ex hac vita, quam offerri ad Baptismum potue-
rint. Quasi verò de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex
fidelibus nascuntur. Imò quo iure ad Baptismum eos ad-
mittimus, nisi quod promissionis sunt heredes? Nisi enim an-
te ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret,
Quisquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos ado-
ptauit, quanta iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum
salutem non sufficiat? Et infra; Inclusa est infantium salus
in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis & se-
mini eorum in Deum. Hac ratione sibi nasci pronunciabat,
qui ex Abraham ducebant originem. Huius promissionis be-
neficio recipiuntur ad Baptismum, quia censentur Ecclesiæ
membra. Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus,
sed quæ iam in verbo fundata erat, Baptismo obsignatur. Et
lib.2. Inst. cap.6. §. 24. Infans à matris utero, in foedere, id
est, in promissione vitæ æternæ, continetur. Et ibidem;
Filiorum, haud dubiè, loco habet eorum filios, quorum semi-
ni in patrem se fore pollicitus est.

33. Ex his, & aliis Caluini verbis, quæ ibidem habé-
tur colligi possunt hæc puncta. 1. Illam promissionem,
quæ Abrahæ facta est, Genes. 17. 7. Ero Deus tuus, & se-
minis tui post te, pertinere ad omnes parentes fideles &
eorum filios. 2. Itaque omnes filios fidelium, vi illius
promissionis, esse Sanctos, & heredes vitæ æternæ, nec
posse unquam perire. 3. Quamuis ergo moriantur si-
ne Baptismo, nihilominus seruari vi promissionis. 4.
Non enim Baptismum institutum esse, vt infantes per
illum efficiantur sancti; sed vt eorum sanctitas obsi-
gnetur; cum Baptismus nihil aliud sit, quam publicum
sigillum, quo Ecclesia testatur, filios fidelium sanctos
esse, & in foedere promissionis contineri. 5. Vnde si-
cūt olim filij Abrahæ obsignabantur sigillo Circumci-
sionis, ita nunc filios fidelium, sigillo Baptismi obsi-

gnari.6. Et sicut olim non circumcidebantur filij infidelium, eo quod in fædere promissionis non continentur; ita nunc filios infidelium non debere admitti ad Baptismum, quia à promissionis fædere exclusi sunt. Denique sicut sigillum Regis censetur profanari, quando falsæ scripturæ vel epistolæ appenditur; ita merito profanari Baptismum, quando confertur iis, qui promissionem Dei non habent, cuiusmodi sunt infideles.

34. Hæc Caluini sententia manifestè falsa est, & ex Scripturis refelli potest. Hoc probo ex tribus principiis. Primum est, quod omnes infantes, tam fidelium, quam infidelium, nascantur in peccato originali (Rom. 5.12. & Eph. 2.3.) Alterum quod ratione peccati originalis, sint filii mortis, iræ & damnationis. (ibidē) Tertium, quod non possint effici filii Dei, nisi renascantur in Deo per Baptismum, iuxta illud Ioan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videri regnum Dei.* Et infra; Oportet vos nasci denuo. Causam addit, quia quod natum est ex carne caro est, quasi dicat, Qui nascuntur ex parentibus per carnalē generationē, nascuntur filii iræ, & corruptionis, nec possunt saluari, nisi renascantur ex Deo per Baptismum. Hinc D. Aug. lib. 3. de anima & eius origine c. 9. *Noli, inquit, credere, noli dicere, noli doce-re, infantes antequam baptizentur, morte præuentos, perue-nire posse ad originaliū indulgētiam peccatorū, si vis esse Ca-tholicus.* Et epist. 18. ad Hieronymum; *Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiā paruuli, qui sine Sacra-menti eius participatione de vita exeunt, hic profecto & con-tra Apostolicā prædicationē venit, & totam condemnat Ec-clesiam, ubi propterea cū baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo viuificari nō posse.* Iā subsumo. Atqui Caluinus dicit paruulos in Chri-

Christo viuificari , qui sine Baptismo de vita exeunt : Ergo Caluinus, teste Augustino , contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam.

35. Nec obstat promissio Abrahæ facta. Imò, ex illa ipsa promissione, sumo tria argumenta contra Caluinistas. Primum est tale ; Promissio, quæ Abrahæ facta est, duplicitate potest explicari. 1. in sensu literali. 2. in sensu mystico. Si explicetur in literali , nihil ad rem Caluini facit. Non enim Deus, secundum literā, promisit Abrahæ & semini eius vitam æternam, sed possessionem terræ Chanaam. Verba promissionis sunt hæc ; *Dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tuae , omnem terram Chanaam in possessionem eternam.* Si autem explicetur in sensu mystico , tunc quidem potest intelligi de vita æterna , non tamen descendit ad filios per carnalem generationem ex parentibus fidelibus, ut falso interpretatur Caluinus, sed per fidem in Christum. Hoc docet Apostolus ad Rom. 4. &c 9. &c ad Galat. 3. & 4. vbi disertè explicat , eos esse filios Abrahæ secundum promissionem vitæ æternæ , non qui sunt filij carnis, sed qui sunt filij fidei, id est, qui imitantur fidem Abrahæ. Sic enim loquitur ad Galat. 3. 7. *Cognoscite, quia qui ex fide sunt, iij sunt filij Abrahæ.* Et ibid. v. 9. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham.* Tunc ergo secundum Apostolū, incipimus esse filij Abrahæ, vi promissionis, cùm incipimus esse fideles. At infantes non incipiunt esse fideles ab utero materno , sed in Baptismo : *Illis enim baptizari, est credere,* ut loquitur Augustinus lib. i. De peccatorum meritis & remiss. cap. 27. Ergo infantes non nascuntur sancti ab utero materno, sed efficiuntur sancti, quādo per Baptismum regenerantur, ut supra ex Euangeliō dictum est.

36. Alterum argumentum ; Post promissionē Abrahæ factam, Iacob & Esau ex parentibus fidelibus nati

sunt : Et tamen Esau ab utero materno non fuit sanctus & haeres vitae aeternae, ut patet ex illo, Rom. 9.13. Jacob dilexi; Esau autem odio habui. Ergo non omnes filii fidelium, vi illius promissionis, ab utero materno nascuntur sancti, & haeredes vitae aeternae.

37. Tertium; Si omnes nascuntur sancti, planè sequitur, omnes Iudeos nasci sanctos. Omnes enim nascuntur ex duodecim Patriarchis, filiis Jacob: At duodecim Patriarchæ fuerunt fideles : Ergo proximi illorum filij fuerunt sancti ab utero materno: Ergo & horum filij, & sic deinceps. Quomodo ergo reprobati sunt? quomodo exclusi ab Euangelio? quomodo excisi à radice? quomodo gentiles in eorum locum suffici?

Paradoxum X V.

Qui autem ex thoro illegitimo nascuntur, aeternæ damnationi & perditioni obnoxij sunt, nec ab Baptismum admittendi.

38. Ita Caluinistæ in Synodo Vilnensi, anno 1589. Die 11. Martij, ubi publicè decretum est, ne quis parvulos illegitimè natos baptizare audeat, ut refert Adrianus Junius lib. 3. de doctrina & moribus Evangelicorum, cap. 17. Et in Palatinatu, anno 1587. articuli quidam Caluinisticæ reformationis disseminati sunt, quorum secundus habebat hæc verba; Infantes, qui ex illegitimo thoro nascuntur, aeterna perditioni ac damnationi obnoxij sunt, nec per Baptismum iuuari possunt. Scio, hos articulos à quibusdam Caluinistis reiici, tanquam supposititos. Sed quidquid sit, videtur hæc sententia apertere sequi ex principiis Caluni. Ipse enim docet, promissionem Abrahæ & aliis fidelibus parentibus factam, iure hereditario descendere ad filios per carnalē propagationē, eo modo, quo ciuilia pacta, feuda, & bona hære

hæreditaria parentum ad filios deriuantur: Atqui omni iure, tam diuino, quam humano, pacta & bona paterna deriuantur ad filios legitimos, non autem ad illegitimos: Ergo illegitimi non continentur in promissione Abrahæ facta: Ergo sigillo Baptismi obsignari non debent. Itaque ad illos spectat illud Saræ, Genes. 21.10. *Eiice ancillam hanc & filium eius. Non enim erit hæres, filius ancille cum filio meo Isaac.*

39. Hæc doctrina, cuius Caluinistas meritò iam putet, falsa est. An non Christus pro omnibus mori voluit, tam legitimis, quam illegitimis? Hos enim nusquam legitur exclusisse. An non pro omnibus Baptismum instituit? In Christo, inquit Apostolus ad Galat. 3.28. *Non est Iudeus neque Græcus; non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fæmina.* Et Petrus Act.10. 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Et sanè habemus clarum exemplum in Scriptura. Iephte, qui fuit fortissimus Iudex Israëlitarum, ex muliere meretrice natus est, ut legimus in libro Iudicium, cap. 11. An propterea æternæ damnationi fuit obnoxius? Minimè profectò. Nam Apostolus Hebr. 11.32. inter Sanctos veteris Testamenti illum recenset, *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt institutionem, adepti sunt reprobationes, &c.*

40. Accedit testimonium Augustini lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 6. & 7. ubi proponit hanc quæstionem; An infantes propter merita, vel demerita parentum, prædestinatur vel reprobentur? Et responderet negatiuè, quia sæpè fit, inquit, ut infans natus ex parentibus optimis & sanctissimis, sine Baptismo moriatur & pereat. Natus verò ex parente fornicatore & matre meretrice, per Baptismum regeneratur & saluetur.

Paradoxum X V I.

41. Peccata prædestinatorum, quantumuis
enormia, nunquam imputantur; reproborum,
nunquam remittuntur.

Ita Caluinus, partim lib.3. Institut. cap.4.§.28. his
verbis; *Cæterū fidelium peccata venialia esse, non quia*
non mortem mereantur, sed quia non imputantur, &c. par-
tim lib.4. cap.1. §.20. & 21. vbi docet, nullum pecca-
tum remitti, nisi in Ecclesia. At reprobis in Ecclesia nō
sunt, teste Caluino: Ergo reprobis nullum peccatum
remititur. Et lib.3. cap.1. §.19. vbi ait, sola fide homi-
nem iustificari: At fides nunquam datur reprobis, teste
codem Caluino, lib.3. cap.22. §.10. Ergo reprobis nun-
quam iustificantur, ac proinde nunquam remittitur
illis ullum peccatum.

42. Hæc doctrina, vel omnibus sceleribus ianuam
aperit, vel desperationem ingerit. Nam qui cogitat,
nulla fidelium peccata imputari, liberrimè ac impunè
in omnia flagitia se præcipitabit. Contra, qui in aliam
cogitationem se vertit, quid aliud persuadere sibi po-
terit, quam nullam esse spem veniæ & condonationis?
Sic quisque aut in Scyllā, aut in Charybdim incidat,
necessè est. Et hæc quidem dicta sint de Paradoxis
Caluinistarum: si non de omnibus, cùm multò plura
sint, saltem de aliquibus. Dicendum aliquid est de
ipsis Atheismis.

Atheismus Caluinistarum I.

43. Deus secundum essentiam, aut essen-
tiale perfectionem non est simpliciter in-
finitus, sed finitus.

Ita Conradus Vorstius Caluinista in suo Tractatu de Deo & Attributis diuiuis, pag. 234. his verbis ; *Deus non est actu simpliciter infinitus, neque essendo, neque operando.* Et p. 235. *Est quidem Deus purus actus, sed hoc non veritat, quin simul in se se sit finitus.* Huc Atheismum conatur probare his quinque argumentis. 1. quia Scriptura non vocat Deum infinitum : Ergo infinitus non est. 2. Substantia Dei videtur ab Angells : Ergo infinita non est. 3. Nec materia, nec ullus numerus, neculla magnitudo, neculla alia creatura est infinita : Ergo nec Deus. 4. Potentia Dei non est infinita, quia non extenditur ad impossibilia : Ergo nec essentia. 5. *Esse actu infinitum, & esse actu hoc aliquid, sunt contradictoria :* sed Deus est actu hoc aliquid. Ergo non est actu infinitus. Hæc singula discutienda sunt.

44. Primum ergo ait, *Scripturam non vocare Deum infinitum.* Falsum est. Nam Scriptura sic habet, Psal. 144. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Et Baruch. 3. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Quæ testimonia non possunt intelli de magnitudine molis seu quantitatis, quæ in Deo non est ; sed de magnitudine virtutis seu perfectionis. Est ergo hic sensus : Deus ita magnus est in virtute & perfectione, ut nō habeat finem seu terminum suæ virtutis & perfectionis. Vnde sic argumentor : Sicut illud est finitum in virtute & perfectione, quod habet finem seu terminum suæ virtutis & perfectionis : ita è contrario, illud est infinitum in virtute & perfectione, quod non habet finem seu terminum suæ virtutis & perfectionis : At Deus non habet : Ergo infinitus est, &c.

45. Secundò ait, *substantiam Dei videri ab Angelis, & ideo infinitam non esse.* Hic planè ostendit, se timidum & imbellem disputatorem esse, qui ut subterfugiat

communem difficultatem, quæ oritur ex clara & intuitiva Dei visione, infinitatem Dei tueri nō audet. Est autem hēc difficultas; *Substantia Dei est infinita: Ergo ab intellectu finito, qualis est hominū & Angelorū, clare & intuitiū videri nō potest.* Omnes alij authores, tam Latini, quam Græci, concedunt antecedens; & de sola consequentia solliciti sunt, quam Catholici negant. Armeni concedūt. Putant enim Catholici, recte cohārere hēc duo, Dei substantiā infinitā esse, & tamen videri posse ab intellectu finito, nō quidem per solas naturæ vires, sed accedente auxilio Dei supernaturali. Armeni, tamē si negent cohārere, ac proinde alterū negandū esse censeant; non tamē negant Deum infinitum esse, sed potius, cūm infinitus sit, à finito intellectu videri non posse. *Omnium stupidissimus & timidissimus est Vorstius Caluinista, qui nec cohārentiā, quam Catholici statuunt, potest intelligere; nec infinitatē Dei, quam omnes alij defendunt, tueri ac defendere ausus est.*

46. Tertiò sic ratiocinatur: *Nulla creatura est infinita: Ergo nec Deus.* Ineptissimè profectò. Perinde est, ac si dicam; Nulla creatura est omnipotens: Ergo nec Deus. Alij authores multò rectius colligunt contrarium ex creaturis, in hunc modum; Ideò creaturæ finitæ sunt in genere Entis, quia de est illis aliqua perfectio, vel gradus perfectionis, in genere Entis. Nulla enim est, quæ contineat in se omnes perfectiones, & omnes gradus perfectionis, qui sunt possibles in latitudine Entis. Ergo è cōtrario, ideò Deus est infinitus in genere Entis, quia nulla deest illi perfectio, vel gradus perfectionis in toto complexu Entis. Hēc ratio optima est, & potest explicari hoc duplici syllogismo.

47. Prior est. Cui deest aliqua perfectio, vel gradus perfectionis in genere Entis, eo potest dari aliquid perfectius in genere Entis: Ergo non est infinitè perfectū.

Atqui

Atqui singulis & omnibus creaturis deest aliqua perfectio, vel gradus perfectionis in genere Entis. Nā elementis deest vita: plantis, & brutis animalibus, intelligentia: Angelis & hominibus, vis creandi. Vno verbo, singulis deest independētia ab alio. Omnes enim creature dependent à Deo in esse & conseruari. Nulla independens, nulla sibi sufficiens est. Omnes ergo finitae ac limitatæ sunt in perfectione.

48. Posterior est. Cui nulla deest perfectio; vel gradus perfectionis in genere Entis, eo nihil potest dari perfectius in genere Entis: Ergo est infinitè perfectum in genere Entis: Atqui Deo nulla deest perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis: Nulla enim concipi aut cogitari potest, quæ in Deo non sit, vel formaliter, vel eminenter. Formaliter, si est increata: Eminenter, si creata, vel creabilis. Hæc tota ratio procedit à priori. Ostendit enim radicem infinitatis in Deo, & infinitatis in creatura. Ideò enim Deus infinitus est in perfectione, quia nihil perfectionis illi deest, idèò creature finitæ, quia aliquid illis deest.

49. Quartò, sic pergit Vorstius; *Potentia Dei non extenditur ad impossibilia: Ergo non est infinita: Ergo necessitas infinita est.* Non minus ineptè quam ante. An putat Nouator infinitam fore potentiam, si ad impossibilia se extenderet? Imò potentia non esset, si id fieret. Si eut enim scientia non dicitur, nisi respectu scibilium; sic neque potentia, nisi respectu possibilium. Ex eo ergo censeri debet maior vel minor potentia, quo ad plura vel pauciora possibilia extēditur. Impossibilia enim non cadunt sub potentiam. Et, si caderent, impossibilia non essent.

50. Quintò, sic concludit; *Esse infinitum actu, & esse hoc aliquid, sunt contradictoria: Deus est actu hoc aliquid: Non ergo actu infinitus est.* Iam dixi, id actu infinitum esse in gene

genere Entis, quod actu inter se continet omnes perfectiones possibles in genere Entis. Deus , tametsi sit actu hoc aliquid, simul tamen actu continet in se omnes perfectiones possibles in genere Entis: Ergo , tametsi sit actu hoc aliquid, simul tamen actu infinitus est. Non ergo sunt contradictionia hæc duo, *Esse actu infinitum*, &, *Esse actu hoc aliquid*. Addo, neque hæc duo pugnare inter se. *Deus est actu hoc aliquid*, & , *Deus est actu omnia*. Nam formaliter, est hoc aliquid: Eminenter, est omnia.

Atheismus II.

52. Deus secundum substantiam suam non est ubique præsens in hoc mundo, sed tantum in cælo.

Ita Vorstius loco citato, pag. 235. his herbis; *In Scripturis affirmari omnino videtur, Deum ratione substantię sua tantum esse in cælo*. Et post citata aliquot Scripturæ testimonia, sic concludit pag. 237. Simpliciter igitur credamus , quod sacra Scriptura toties inculcant , *Deum sua substantia in coelo habitare: in terra vero, virtute & sapientia sua nobis adesse*. Citat autem hæc testimonia, Psalm. 113. 16. *Cælum celi Domino; terram autem dedit filiis hominum*. Et Psal. 122. 1. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis*. Et quæ similia sunt.

52. Iam pridem ostendi , hoc temerè & impiè dici à Vorstio. Temerè , quia contra Scripturam & Patres. Nam Scriptura sic loquitur , Ierem. 23. 24. *Cælum & terram ego imleo, dicit Dominus*. Cyprianus autem in lib. de vanitate idolorum; *Dei templum, totus est mundus*. Et infra; *Deus est totus ubique diffusus*. Et Augustinus Epist. 57. ad Dardanum ; *Est ergo Deus per cuncta diffusus*. Ipse quippe ait per Prophetam; *Cælū & terram ego imleo*. Itemque scriptum est; *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*.

Eique

Eique dicitur in quodā Psalmo; Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illices: si descendero in infernum, ades; quia substantialiter Deus ubique, diffusus. Et lib. 7. de ciuitate Dei, c. 30. Deus ubique totus, implens cœlum & terram præsente potestia, non absente natura. §3. Impiè, quia Arianismum introducit. Nam si Deus secundum substantiam non est alibi, quam in cœlo, planè sequitur Christum, cum in terris versaretur, non fuisse verum Deum secundum substantiam. At hoc impium est: Ergo & illud, ex quo sequitur. Mirum est, quas ambages hic querant Vorstiani. Non audent palam negare diuinitatem Christi; & tamen, stante hac assertione, non possunt eam tueri.

54. Aliqui igitur dicunt, Christum, cum in terris esset, fuisse verum Deum, non ratione substantiæ Deitatis, sed ratione personæ Verbi. Non enim humanitatem Christi immediatè unitam fuisse Deitati vel essentiæ Diuinæ, sed personalitati. Itaque personalitatem Verbi fuisse in terris, cum Christus in terris esset, non substantiam Deitatis aut essentiæ. Nouus hic error est, qui planè destruit diuinitatem. Primo, quia supponit personam diuinam posse existere in terris sine deitate, seu essentia diuina, quod falsum est. Non enim persona & essentia sunt duæ res distinctæ, quæ loco se iungi possint, sed vna res simplicissima, in qua nulla est compositio aut distinctio actualis ex parte rei. Imò non minor identitas est inter personam & essentiam, quam inter Petrum & eundem Petrum. At impossibile est, ut Petrus sit in terra, sine seipso: Ergo etiam impossibile est; ut persona diuina sit in terra sine essentia. Secundo, si persona Verbi fuisset in terra sine diuinitate & essentia, falsum esset illud Apostoli, ad Col. 2. 9. *In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Tertio, vel persona Verbi fuisset simul in cœlo & in terra,

ra, vel tantum in terra. Si prius, sequitur vnam eandem-
querem posse simul esse in distinctis locis, quod ne-
gant Calvinistæ. Si posterius, sequitur personam Verbi
realiter separatam fuisse ab essentia: ac proinde essen-
tiam tunc temporis non fuisse in tribus personis, sed
tantum in duabus. Ex quo vñkerius sequitur omnes
personas realiter ab essentia separari posse; ideoque,
quod Deus sit trinus & vñus, rem esse contingentem,
& non necessariam, quod est absurdissimum.

55. Alij dicunt, Christum, cum in terris esset, fuisse
verum Deum ratione subsistentiae diuinæ; non quod
subsistentia Verbi sine diuinitate & essentia fuerit in
terra, quod iam refutatum est: sed quod subsistentia
Verbi, manens in cœlo, potuerit efficere, ut humanitas
Christi, quæ erat in terra, diuinitus subsisteret sine
humana subsistentia. Et hic nouis error est, ex quo se-
quuntur tria absurdæ. 1. Christum non fuisse verum Deum,
cum in terris esset. Nam si nec deitas, nec persona seu
subsistentia diuina in illo fuit, iam nihil in illo fuit, à
quo intrinsecè & propriè esset Deus. 2. vnumquemque
nostrum fore Deum, eo modo, quo Christus fuit, si
Deus vellet nos miraculosè sustentare sine propria
subsistentia humana. 3. Christum, non magis fuisse fi-
lium, quam Patrem aut Spiritum Sanctum. Nam illa
sustentatio, qua fingitur Christus substituisse sine per-
sona Verbi præsente, debuit esse opus Dei ad extra, vt
loquuntur Scholastici: Ergo debuit esse opus totius
Trinitatis: Ergo non magis sustentatus fuit à Filio,
quam à Patre & Spiritu sancto: Ergo tam potuit voca-
ri Pater & Spiritus sanctus, quam Filius. Quæ omnia
absurda sunt.

56. Denique alij dicunt, substantiam Dei, tametsi
ordinariè sit tantum in cœlo, tamen eo tempore, quo
Christus in terra vixit, fuisse in carne Christi, & non
alibi.

alibi. Quod quidam amicus Vorstij , in literis ad me datis , conatus est confirmare ex Apostolo. Sic enim scribit ; *Evidem non satis video, quomodo omnis plenitudo diuinitatis in carne Christi habitet corporaliter, si Deus per substantiam totus habitat non tantum in carne , sed etiam extra carnem in aliis locis mundi*, Igitur ex huius hominis sententia, Deus secundum substantiam non est alibi, quam in carne Christi ; ac proinde cum caro Christi esset in terra , Deus secundum substantiam non erat in cœlo , sed tantum in terra : nec ubique in terra , sed in sola Christi carne. Quæ quidem sententia, non solum noua & inaudita , sed etiam absurdissima est. Primò , quia concedit Deum substantialiter de loco in locum moueri , sicut caro Christi mouetur , quod est contra Augustinum libro 16. de ciuitate Dei , capite 5. Chrysostomum Homil. 17. in Genesim , & alios Patres. Secundò , quia si Deus secundum substantiam , eo tempore , quo Christus in terra vixit , non fuit in cœlo , sed tantum in terra , necesse est , tres personas diuinas non fuisse tunc in cœlo , sed tantum in terra , quia personæ diuinæ non possunt separari à substantia diuina , ut dictum est. At consequens est absurdum. Ergo & illud , ex quo sequitur. Minor patet ex Euangeliō , vbi Christus , cum in terris viueret , dixit Discipulis ; *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei , qui in cœlis est.* (Matth. 18.10.) Ergo Deus Pater tunc erat in cœlo: Ergo & substantia Dei Patris : Ergo Deus secundum substantiam non erat in sola Christi carne.

57. Dices , Quomodo ergo verum est , quod dicit Apostolus , plenitudinem diuinitatis habitare in Christo? Respondeo. Non pugnant , sed optimè cohærent hæc duo inter se. 1. Deum secundum substantiam ubique esse in hoc mundo. 2. Deum speciali modo , nempe

per vniōnem hypostaticam , habitare in Christo , & non alibi. Hoc posterius afferit Apostolus: illud prius. Scriptura & Patres supra citati.

Atheismus III.

58. In Deo sunt vera accidentia , realite r distincta à substantia Dei.

Ita Vorstius pag. 207. vbi de decretis diuinis sic loquitur; *Quæ certè accidentia quædam sunt, ab ipsius substantia longe diuersa.* Et hoc probat tribus argumentis. Primo, quia decreta Dei sunt multa , cum aliud sit decretum creandi homines , aliud prædestinandi : aliud repropandi : At substantia Dei est vnica : Ergo decreta non sunt substantia, sed accidentia. Secundo, decreta Dei sunt libera, quia possunt esse & non esse: Substantia Dei est necessaria , quia non potest non esse: Ergo decreta non sunt substantia. Tertio , decreta Dei non sunt ab æterno: Substantia Dei est ab æterno: Ergo, &c.

59. Hic Atheismus tribus rationibus refelli potest, quarum prima sumitur ex infinitate substantiarum diuinarum. Altera ex concessione Vorstij. Tertia ex fundamētis illius. Prima est hæc: Quod in se infinitè perfectum est, non potest ulterius in seipso perfici : At substantia diuina in se infinitè perfecta est, ut paulo ante probauit: Ergo non potest ulterius in se perfici. At perficeretur in se, si reciperet in se accidentia realia, quæ sunt perfectiones quædā reales. Maior patet, quia quod in se infinitè perfectum est , hoc in se continet perfectiones possibles, vel formaliter, vel eminenter: Ergo ulterius perfici non potest. Deinde excludit à se omnem defectum & imperfectionem: Ergo etiam omnem potentiam passiuam seu receptiuam, cum talis potentia supponat carentiam seu defectum : Ergo non potest in se recipere ulteriorem perfectionem: Ergo nec accidēti.

60. Altera ratio. Quidquid bonitatis & perfectionis est in creaturis, hoc totum est in Deo per modum simplicis formæ, ut disertè & verè concedit Vorstius (tametsi imprudenter) At in creaturis est aliquid perfectio-
nis substancialis, & aliquid accidentalis: Ergo hoc totū
est in Deo per modū simplicis formę. Porro simplex il-
la forma non potest esse cōposita ex substantia & acci-
dente; alioqui simplex nō esset. Nec est simplex forma
accidentalis; alioqui Deus nō esset substantia: Ergo est sim-
plex forma substancialis. Nullū ergo accidēs in Deo est.
61. Tertia ratio. Argumēta Vorstij, quibus nititur, in-
firmata sunt. Nā primò sic argumentatur; *Decreta Dei*
sunt multa: *substantia Dei est unica*: Ergo *decreta Dei* nō sūt
substantia, sed accidentia. Dupliciter peccat hic syllogis-
mus. 1. in forma. 2. in materia. In forma peccat, quia cō-
clusio non legitimè infertur. Quod patet in hoc simili
syllogismo; *Personæ diuinae sūt multæ; substantia Dei est unica*: Ergo *personæ diuinae nō sūt substantia, sed accidentia*. Quis
nō videt, negandā esse cōsequentiā? In materia peccat,
quia maior propositio apertè falsa est. Nō enim in Deo
sunt multa Decreta, eo sensu quo id afferit Vorstius, id
est, non sunt multi actus voluntatis, quorum uno decernat
Deus creare mundum; alio, prædestinare quosdam
ad vitam; alio reprobare ad mortē: sed est unus simplex
actus, quo hæc omnia decernit. Simile est in scientia
Dei. Nō enim sunt multæ sciētiæ in Deo, id est, nō sunt
multi actus intellectus, quorū uno cognoscat Petrum,
alio Paulū, alio Ioannē: sed est una simplex scientia, seu
unus simplex actus intellectus, quo omnia, tā creatu-
ras quām seipsum intelligit. Et ratio est, quia actus in-
telligendi & volendi in Deo, nihil est aliud, quām ipsa
essentia, seu substantia Dei, quatenus per modū actus
significatur. Hoc sensu dicunt Patres & Scholastici, nō
differre in Deo hæc tria, *Esse, posse, operari*, seu, Essen-

riam, potentiam actiuam & operationem. Vnde sicut essentia Dei est vna & simplex , sic etiam vna & simplex scientia; vnum & simplex decretum. Et hæc omnia simul sumpta , vna & simplex Deitas. Vel, vt rectè loquitur Vorstius , hæc omnia sunt in Deo per modum simplicis formæ.

62. Hinc facile intelliguntur hæc duo consecaria. Vnum, sicut essentia Dei , licet in se vna & simplex sit, potest tamen esse in tribus distinctis personis: sic scienza Dei , licet in se vna & simplex sit , potest versari circa distincta obiecta scibilia; Et similiter decretū circa distincta obiecta decernibilia. Alterum, sicut multitudo personarum non obstat quo minus essentia Dei sit vna , sic multitudo obiectorum non obstat, quo minus sciētia & decretū sit vnicum. Hoc interest , quod essentia Dei, quæ in se vniqa est, non possit ratione triū personarum, in quibus est, vocari triplex essentia: cum tamen scientia Dei, quæ similiter in se vniqa est, possit ratione diuersorum obiectorū , vocari multiplex sciētia : Et eodem modo decretum. Ratio discriminis est, quia aliter se habet essentia Dei ad distinctas personas; aliter scientia & decretum Dei ad distincta obiecta. Nam essentia Dei, tametsi sit in tribus personis realiter inter se distinctis , ipsa tamen est realiter idem cum singulis personis: & singulæ personæ , quæ inter se realiter distinguuntur, sunt realiter idem cum essentia. Non sic res habet in scientia & decreto Dei. Nam neque scientia Dei, quæ versatur circa distincta obiecta intelligibilia, est realiter idem cum singulis ; neque etiam decretum Dei, quod versatur circa distincta obiecta decernibilia, est realiter idem cum singulis.

63. Alterum Vorstij argumentum est hoc : *Decreta Dei sunt libera, quia possint esse & non esse : Substantia Dei est necessaria: Ergo decreta Dei non sunt substantia Dei. Sed*

major

maior propositio, iuxta eum sensum, quem intendit Vorstius, apertè falsa est. Non enim decreta Dei secundum existentiam sunt libera, sed quoad terminacionem, quia liberè terminantur ad sua obiecta, ut in prima parte Theologiæ Scholasticæ explicatum est. Simile est de persona Verbi, quæ necessariò quidem existit, sed tamen liberè terminatur ad humanitatē Christi. De tertio argumento, in quo queritur, an decreta Dei sint ab æterno, separatim agendum est.

Atheismus IV.

64. Decreta Dei, cuiusmodi est decretum prædestinationis, aut reprobationis, non sunt ab æterno, vel quod idem est, non sunt Deo coæterna.

Ita Vorstius loco citato, pag. 27. his verbis; *Liberae Dei decreta ante mundi creationem producta sunt.* Et pag. 207. *Hæc eadem decreta non sunt simpliciter æterna.* Quod sic probat. Omnis causa libera antecedit suum effectum ordine temporis seu durationis. Nam libera actio voluntatis necessariò supponit deliberationem in intellectu. Qui enim liberè decernit aliquid facere, prius deliberat, antequam decernat. At Deus est causa libera respectu liberorum decretorum: Ergo tempore seu duratione antecedit sua decreta. Non ergo decreta Dei possunt esse Deo coæterna.

65. Ex his tria colligo. 1. Decreta Dei esse producta. 2. Non esse æterna. 3. non posse esse æterna, quia causa libera necessariò præcedit suum effectum ordine durationis. Singula discutiamus. Primum ait, decreta Dei producta esse. An putat Deum more hominum & Angelorum producere in se nouas actiones intellectus & voluntatis, quæ sint accidentia distincta ab ipsius sub-

stantia? Non ita est. In Deo nulla sunt accidentia, vt supra probatum est. Immediatè intelligit, amat & decernit per suam substantiam, quæ simul est intellectio, amor & decretum: Et sine illa sui mutatione terminari potest ad varia obiecta. Solùm accedit externa quædam denominatio, & respectus rationis, quo substantia Dei, per modum intelligentis, amantis & decernentis, refertur ad rem intellectam, amatam & decretam. simile est in persona Verbi, quæ sine illa sui mutatione, terminata est ad humanitatem Christi: Nec aliud ex illa terminatione sectum est in persona, quam respectus terminantis ad humanitatem terminatam. Hoc interest, quod hæc terminatio facta sit in tempore; altera ab æterno.

66. Secundò ait, Decreta Dei non esse ab æterno. Sed seipsum iugulat. Nam pag. 66. sic scribit; *Certū est, decretum Dei de omnibus rebus ad finem suum ordinandis, deque bonis efficiendis, malis autem permittendis, iam inde ab æterno factum esse, idemq[ue] in æternum permanere: Et hoc sensu, nec originem ullam habere, nec finem unquam inuenire.* Non poterat sibi apertiùs contradicere, quam hic facit. Nunc quæro, an hoc decretum, quod Vorstius fatetur ab æterno esse, liberè à Deo productum sit, necne? Si liberè productū est, & quidem ab æterno certè nō omnis causa libera antecedit suum effectum ordine durationis. Si productum nō est, cur ait, omnia decreta Dei producta esse ante mundi creationem? Hic Novatorum mos est. Quod vno loco affirmat alio negat.

67. Tertiò ait, Deum non posse ab æterno habere liberum decretum. Quare? quia causa libera necessariò præcedit suum effectum ordine durationis. Falsum est. An nescit Vorstius, actiones intellectus & voluntatis spiritales ac indiuisibiles esse, & in instanti produci posse? An nescit Angelos habuisse liberum actum dilectionis?

dilectionis Dei in primo instanti suæ creationis? An nescit Christum, secundum humanitatem, in instanti conceptionis, liberè mortem acceptasse pro humani generis redemptione? Hoc docet D. Thom. & alij graves Theologi. Si ergo Christus & Angeli possunt habere liberas actiones sibi coæuas; nō poterit Deus habere liberum decretū sibi coæternum? Quæ hæc philosophia est? At Vorstius hoc negabit de Christo & Angelis. Quare? quia putat eos ante liberum actum voluntatis indigere prævia deliberatione; nec fieri posse, ut eodem instanti simul deliberent & decernat. Sed cur quæso id fieri non potest, si duo isti actus sunt spirituales ac indiuisibiles, sicut reuera sunt? Et, si singuli in instanti produci possunt separatim, cur non simul in eodem instanti? Nihil hic video difficultatis. Nec vedit D. Tho. & alij Theologi. Demus tamen Vorstio, quod vult, Christum & Angelos nihil posse decernere, nisi prævia deliberatione secundum ordinem temporis. An ideo Deus ad has angustias redigendus est? Absit.

68. Addam duo dilemmata pro Vorstio. Vnum est; Si decreta Dei sūt posteriora ipso Deo, vel ergo Deus finito, vel infinito tempore antecessit sua decreta. Si finito, æternus non est. Si infinito, miser est, qui nihil potest decernere, nisi post infiniti temporis duracionem. Alterum; Vel Deus ab æterno sciuit, creationem mundi esse possibilem, & sapienter à se fieri posse; vel ignorauit. Si sciuit, non eguit deliberatione. Si ignorauit, à quo postea didicit?

Atheismus V.

69. Æternitas Dei non est indiuisibilis, & tota simul, sed diuisibilis & successiva.

In Vorstius, pag. 226. his verbis; *Vulgo putant, æternitatem totam simul existere, & omnibus temporum differentiis coexistere: quæ sententia omnino falsa est, & aliquot rationibus hic obiter refutanda.* Summa autem rationum ipsius est hæc; Si æternitas coexistit omnibus temporum differentiis, seu partibus, sequitur primò, omnes partes temporis, id est, præteritum, præsens & futurum, simul inter se coexistere, respectu æternitatis. Secundò, Deum posse efficere, ut præteritum non sit verè præteritum, & futurum non sit verè futurum, quia utrumque in æternitate præsens est. Tertiò, primum annum mundi conditi, esse hunc ipsum annum præsentem. Quartò, res in æternitate nunquam oriri aut interire, quia semper æternitati præsentes sunt.

70. Propter hæc friuola argumenta ausus est Vorstius communem Patrum ac Theologorum sententiam deserere, & ipsam æternitatis naturam penitus euertere. Quod sic ostendo; Æternitas Dei non est accidentis, sed substantia Dei, ut concedit Vorstius, pag. 27. At substantia Dei est indivisibilis, & tota simul, in qua nullæ sunt partes sibi inuicem succedentes, aliqui esset mutabilis & corruptibilis: Ergo etiam æternitas Dei est indivisibilis, & tota simul, in qua nullæ sunt partes sibi inuicem succedentes: Ergo tota coexistit omnibus temporum differentiis. Non quidem eo sensu, quem imaginatur Vorstius, quasi omnes partes seu differentiæ temporis simul inter se existant (hoc enim falsum est, quia præteritum, præsens & futurum, nunquam sunt simul) sed quod singulæ partes temporis, dum actu sunt, coexistant æternitati. Nam pars temporis præterita, cum adhuc præsens esset, coexistebat æternitati: Et quæ nunc præsens est, coexistit æternitati: & futura, cum erit præsens, coexistet æternitati.

71. Hinc facile soluuntur argumēta contraria. Nam prima consequentia, à qua cæteræ dependent, neganda est. Non enim sequitur, si tota æternitas coëxistit omnibus partibus temporis, ipsas etiam partes simul inter se coësistere. Nam tota æternitas non coëxistit omnibus partibus simul sumptis & existentibus, vt supponit Vorstius, sed singulis diuisim sumptis, & sibi mutuò succendentibus, v. g. Hodie tota æternitas coëxistit hodierno diei; cras tota coëxistet crastino diei; & perendie perendino; & sic deinceps. Hinc autem non sequitur, hodiernum, crastinum & perendinum diem, simul inter se existere, sed potius unum alteri succedere. Hoc ostendo in simili exemplo. Totum cælum, quantum quantum est, hodie coëxistit Vorstio; & post aliquot annos, eo mortuo, coëxistet filio Vorstij; & eo etiam mortuo, coëxistet nepoti Vorstij, & sic deinceps per singulas generationes. Hinc non sequitur, Vorstium, filium, nepotem, & reliquos posteros, quotquot erunt, simul inter se existere. Hæc solutio facile accommodabitur ad reliquas consequentias, quæ ex Vorstio allatae sunt.

72. Concludo, Caluinistas, qui huiusmodi Atheismos & paradoxa suis auditoribus obtrudunt, non posse vocari Orthodoxos, sed Cacodoxos. Non enim rectè, sed perperam sentiunt, qui negant Deum infinitum, nobis præsentem, indiuisum, & quæ similia sunt.

QVINTVS TITVLVS.
ZVINGLIANI.



ALVINISTÆ vocatur Zuingiani, quia sequuntur dogma Zuinglij de Sacramento Eucharistiae, nempe, Christum in Eucharistia nō esse realiter præsentem. Et illa Christi verba, *Hoc est corpus meum*, explicant cum Zuinglio, in hunc sensum; *Hic panis significat corpus meum*. Hoc paret ex libello Caluini, qui inscribitur; *Consensio mutua, in re Sacramentaria, Ministrorum Tigurinæ & Geneuensis Ecclesiæ*. In quo libello ostendit; se in Sacramento Eucharistiae planè consentire cum Zuinglio, & aliis Ministris Ecclesiæ Tigurinæ in Heluetia. Porrò ut constet, quam speciosus ac honorificus sit hic titulus, qui ex nomine Zuinglij desumptus est, tria breuiter explicanda sunt. 1. qualis fuerit Zuinglius, quem alij Zvvinglium, alij Cinglium appellare solent. 2. quo præceptore usus sit. 3. quomodo ex hac vita decesserit.

QVÆSTIO I.

Qualis fuerit Zuinglius.

1. **H**VLICUS Zuinglius, præter alia vitia, quibus erat obnoxius, fuit homo valde inconstans. Ex Catholico factus est Lutheranus: ex Lutherano, Carolstadianus; ex Carolstadiano, nouus hæresiarcha. Nam primò credidit cum Catholicis, Christum esse verè præsentem in Eucharistia sub specie panis & vini. Deinde cum Luthero docuit, Christum esse quidem verè præsentem, non tamen sub specie panis & vini, sed simul cum ipso pane & vino. Postea cum Carolstadio

stadio negauit esse præsentē; & illa verba, *Hoc est corpus meū*, explicauit cum eodē Carolstadio, hoc sensu; *Hic sedet corpus meum*: vel, *Hoc est corpus meū*, quod hic mensa assidet. Denique, reiecta hac explicatione, nouam ex cogitauit, nempe hanc, *Hoc est corpus meum*, id est, *Hoc significat corpus meum*: vel, *Hic panis significat corpus meum*, quam nunc sequuntur Caluinistæ.

2. Hanc tamen inconstantiam ex parte conatus est excusare, in libro de vera & falsa religione. Nam ibi disertè fatetur, se quidē multo ante in animo sensisse, Christum non esse præsentem in Eucharistia; noluisse tamen id palam profiteri, sed tempori seruire. Itaque publicè quidem docuisse sententiam Lutheri; occulte tamen eam damnasse, & alteri adhæsisse. Et in eo similem fuisse Dispensatori Euangelico, de quo Christus, *Luc. 12. 42. Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Nam sicut hic dispēsator, non quoquis, sed certo tempore, nec in quauis, sed in certa mensura, distribuit triticum in familiam Domini sui (in quo consistit ipsius prudentia & fidelitas) ita se, non quolibet, sed certo tempore, & in certa mensura, suam doctrinam in familiam Christi distribuisse.

3. Verum hæc, non tam excusatio, quam accusatio quædam est. Nam si Zuinglius iam ante credebat, sententiam Lutheri falsam esse, & tamen, ut tempori seruiret, publicè eam profitebatur; certè duplici scelere se obstringebat, mendacio & hæresi. Mendacio, quia loquebatur cōtra mentem: Hæresi, quia docebat sententiam, quam iudicabat hæreticam. Non ergo similis fuit dispensatori Euangelico. Nam is, tametsi nō quo quis, sed suo tempore, distribuat triticum in familiam; nunquā tamen falsum & fictitium distribuit, ut Zuinglius fecit. Fuit nihilominus similis illis, qui in re mala fer

la seruiunt tempori, cuiusmodi sunt multi politici, qui apud Turcas sequuntur Mahometum; apud Iudeos, Mosen; apud Christianos, Euangelium. Multi item Prædicantes, qui accommodant se suis Principibus: Et sub Principe Lutherano Lutherum; sub Caluiniano, Caluinum profitentur. Exempla quotidie obuiasunt.

4. Referam, quod mihi accidit. Ante annos quatuordecim cum in quodam itinere essem, diuerti ad rusticum hospitem, ex quo amicè sciscitatus sum, quam religionem profiteretur. Respondit, toties eo loco mutari religionem, ut vix sciret, quam sequi vellet aut deberet? Et vester, inquam, Prædicans quām sequitur? Annis, ait, superioribus Lutheranam secutus est: nunc Zuinglianam profiteri cœpit. Quid causæ? Quia Dominus loci, qui Lutheranus erat, mortuus est: Nunc Zuinglius successit. Prædicans ergo, ne cogatur solum vertere, tempore se accommodat. Tum ego: Non possem hominem conuenire? Omnidè, ait hospes. Bacchus est: si haustum vini promiseris, mox aduolabit. Et sic factum est. Cum iam adesset; Audio, inquam, mi Domine, Parochum te esse, & hoc anno religionem mutasse. Ita est, ait: Mutavi religionem, & pro falsa veram amplexus sum, quam nunc publicè profiteor. Ergone, dixi, hactenus mentitus es? Obmutuit homo, & proripuit se foras, hospite suauissime arridente. Ex uno disce omnes.

QVÆSTIO I I.

Quo præceptore usus sit Zuinglius?

5. **S**icut varius & inconstans fuit in doctrina, sic variis usus est præceptoribus. Catholicam doctrinam didicit à suis maioribus, qui Catholici erant; Lutheram

theranam, à Luthero, Carolstadianam à Carolstadio; suam, idest, Zuinglianam, à nocturno Spiritu. Hoc ipse met fatetur in libello, quem inscrisit, *Subsidium de Eucharistia*. Ibi enim refert, se coram Senatu Tigurino, conatū fuisse probare, hæc verba Christi, *Hoc est corpus meum, habere hunc sensum, Hoc significat corpus meum*. Nam particulam, *Est*, sære accipi pro *Significat*. Sicut Lucæ 8.12. *Semen est verbum Dei*. Et Matth. 13. 38. *Ager est mundus*: Restitisse autem sibi quendam Scribam, qui contédebat, verba Christi Catholico sensu intelligenda esse, nec à propria significatione recedendū. Exempla autem, quæ ex Luca & Matthæo allata sunt, esse valde dissimilia. In illis enim contineri parolas, quod non fit in verbis cœnæ. Tandem in somno astitisse sibi monitorem, qui suggesterit alium Scripturæ locum, in quo, sine vlla parabola, verbum, *Est*, sumitur, pro *Significat*. Et se huic monitori acquieuisse.

6. Verba Zuinglij, inter alia, sunt hæc; *Cum è Senatu nos recepissimus, cœpimus cogitare omnia, omnia reuoluere, quo scilicet proderemus exempla, quæ nulla cum parabola coniuncta forent*. Attamen aliud nihil exemplorum occurrebat, quām quòd in commentario (de vera & falsa religione) proditum est, aut quod occurrebat, erat illorum simile. *Cum verò tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio, denuo contendere cum aduersario Scriba, sicque obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem*. *Qui me angor, ut solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte (nihil enim altius, quam somnium narramus), quod ad nos attinet: tametsi leue non sit, quod per somnium didicimus) vehementer turbare videbatur*. Ibi δρό μνχανς *visus est monitor adesse (ater fuerit, an albus, nihil memini) qui diceret; Quin ignave respondes éi, quod Exodi 12. dicitur; Est enim phæse, hoc est; transitus Domini. Protinus ut hoc phasma visum est,*

simul

simul expergesio, & è lecto exilio: locum apud lxx. primum undique circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero, &c.

7. Hinc duo colligimus, quæ ad rem faciunt. Vnum est, Zuinglium à nocturno monitore didicisse sensum verborum Christi. Hunc enim monitorem dixisse, sicut in illis verbis Exodi, *Est enim phase, id est, trāitus Domini, particula, Est, sumitur pro significat.* sic etiā in verbis Christi, *Hoc est corpus meū, sumi posse ac debere.* Alterum, eundem monitorem ex machina apparuisse, non tamen meminisse Zuinglium, albus an ater esset. Hinc apud alios lis orta. Zuingliani contendunt, fuisse album; Lutherani atrum. De qua re eleganter disputat Gretserus in libello, qui inscribitur, *Disceptatio de somnio Zuinglij.* Et multis argumētis conuincit, atrum fuisse, non album, id est, malum spiritum, non bonum.

8. Hoc pro certo statuendum est, si bonus fuit Spiritus, veram doctrinam inspirasse: si malus, falsam. Nam de bono Spiritu scriptum est, Ioan. 14. 16. *Ego rogado Patrem, & dabit vobis Spiritū veritatis.* De malo, 3. Reg. 22. 22. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Hinc deduco tria conseſtaria. 1. Qui certò scit, suam doctrinam à bono spiritu inspiratam esse, certò etiam scit, veram esse. 2. Qui certò scit à malo spiritu inspiratam esse, certò scit, falsam esse. 3. Qui dubitat, à bono an malo spiritu inspirata sit, etiam dubitat, vera an falsa sit. Iam subsumo. At Zuinglius dubitat, an sua doctrina à bono, an malo spiritu inspirata sit: Ergo etiam dubitat, vera an falsa sit. Cur ergo, vt veram amplectitur: cur auditoribus, vt veram proponit? In hoc, alios; in illo, seipsum decipit.

9. Iam, si Zuinglius de sua doctrina dubitat, etiam Zuinglianos dubitare necesse est. Nam hi, quidquid habent in hoc genere, a Zuinglio habent. Vel ergo credunt

dunt Zuinglio, vel non credunt. Si credunt, fateri debent incertum esse, albus an ater fuerit spiritus, à quo Zuinglius edoctus est. Hoc enim asserit Zuinglius. Si non credunt, cur doctrinam eius amplectuntur? Videant, ne ex eorum numero sint, de quibus prædictum est ab Apostolo 1. Tim. 4. 1. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.*

QVÆSTIO III.

Quomodo Zuinglius mortuus sit?

10. **Q**uod aliis Hæresiarchis, hoc etiā Zuinglio accidit. Plerique malè perierunt. Ut alios omittam, Ebion in balneo oppressus est. Montanus & Maximilla, laqueo iniecto, ibi ipsis mortem consciuerunt. Arius intestina effudit. Nestorio linguam vermes exederunt. Lutherus, Oecolampadius, Osiander, Carolstadius, Bucerus, Caluinus, similem ferè exitum sortiti sunt. Zuinglius, de quo agimus, in eodem numero censeri debet. Sed malim aliorum, quam meis verbis, hæc omnia demonstrare.

11. Igitur de Ebione, qui tempore S. Ioannis Apostoli & Evangelistæ, negauit Christi diuinitatem, sic scribit Epiphanius, hæresi 30. *S. Ioannes prædicās in Asia, mirabile opus fecisse narratur ad veritatis delineationem. Cum enim vitam degeret admirandam, & dignitatē veritatis ipsius decentē, & penitus nō lauaretur, coactus est à Spiritu S. progre- di usq[ue] ad balneū dixit q[ui] Accipite mihi, quæ pertinet ad balneum. Et cū comites ipsum sequentes miraretur, venit ad ipsum balneū: & ubi perueniisset ad eū, qui lauantiū vestes suscipere solet, interrogauit, Quis est int' in balneo? At olearius, seruādis vestibus inferuiens, ad Ioannē dixit. Ebion intus est.*

Ioan

Ioannes verò statim intelligens Spiritus S. ductum, ob quam causam impulisset ipsum usque ad balneum venire, velut dixi, memoriae videlicet gratia, ut relinquaret nobis veritatis argumentum, qui sunt serui Christi, qui verò usus diaboli, statim ubi seipsum turbasset, & leuiter flesisset, ut omnes audirent, in testimonium ac declarationem impollutæ veritatis doctrinæ; Festinate, inquit, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui est in balneo, propter ipsius impietatem, &c.

12. De Montano & Maximilla, qui iactabant Spiritum sanctum à Christo promissum, sibi potius, quam Apostolis datum esse (teste Augustino in libro de hæresibus) sic scribit Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticae cap. 16. Montanus & Maximilla alio mortis genere interiisse dicuntur. Aliunt enim plurimi, istos utrosque ab insano spiritu motos, scipios, non quidem simul, sed quemque sue mortis tempore, laqueo suspendisse, atque ita in morem Iudeæ proditoris, vitam terminasse.

13. De Ario hæresiarcha, sic scribit Epiphanius, hæresi 68. Arius ad sellam progressus, necessarij oneris depnendi gratia, crepuit, quemadmodum & Iudas quondam: atque sic finem adeptus est in loco immundo & graueolenti. Et multo accuratius Socrates lib. 1. historiæ Ecclesiast. c.

38. Cum Arius egressus esset palatum, stipatus satellitibus illis, quicum Eusebio erant, per medium urbem (Constantinopolim) celebris ingrediebatur: Et cum proxime ad forum, quod Constantini dicitur, venisset, ubi purpurea posita est columna, metus conscientiae illum apprehendit, ac simul una cum metu, mota est alui laxitas, Percontatus, num in propinquuo alicubi secessus esset, ac cognito esse retro forum Constantini, illico secessit: ubi hominem animi defectio corripuit, & una cum excrementis, ipse quoque anus confestim excidit, ac copia sanguinis consecuta est, & simul reliqua intestina una cum splene ac iecore coniunctim sunt prolapsa

Pro

Protinus itaque mortuus est, Secessus ille ad hunc usq; diem Constantinopoli retroforum Constantini ostenditur, & cunctis presentibus ac digito illum notantibus, modum mortis Arij perpetuo memorabilem reddit.

14. De Nestorio scribit Euagrius lib. i. hist. ecclesiast. 7. fuisse à Theodosio Imperatore in exilium missum propter blasphemam doctrinam de Christo. Et postea subiungit; *Quin & de morte illius quendam scriptissime percepit, qui dixerit eum cum primum lingua ipsius à vermicibus depastae esset, ad maiora & perpetua, ipsoque condigna migrasse tormenta.*

15. Venio ad recentiores. De Luthero scribit Cochlaeus in li. de actis & scriptis Lutheri, hoc modo; *Lutherus anno 1546 die 16. Februarij, peracta in publico cum aliis cena, eaque largiter sumpta, & facetiis hilariter extraeta eadem nocte interiit. Et Thomas Bozius, tomo 2. de signis Ecclesiæ, lib. 23. cap. 3. Lutherus cum vespere laute cœnasset, ac latu somno se dedisset, ea nocte suffocatus interiit. Audiui haud ita pridem compertum testimonio sui familiaris, qui tum puer illi seruiebat, & superioribus annis ad nostros se recepit, Lutherum sibi met ipsi, laqueo iniecto, necem miserrimam attulisse; sed datum protinus cunctis domesticis rei consciis iusurandum, ne factum diuulgarent, ob honorem Euangeli.*

16. De Oecolampadio, sic pergit idem anthor; *Oecolampadius ante Lutheri interitum, nocte dum dormiret, improuisa morte est strangulatus. Id cum perceperisset Lutherus, Oecolampadio infensissimus, quod ab ipso secessisset editis scriptis exclamabat, sibi esse exploratissimum, Oecolampadium igneis diaboli telis confossum. Et Lindanus in Dubitantio, Dialogo 3. pag. 310. Nunc de Oecolampadij subitanea morte quid attinet commemorare? quem aiunt ad uxoris latu in lectulo deprehensum mortuum, siue sub vita finem desperasse, & ignitis Satanae telis & hastis confossum (uti*

Lutherus, ait in libro de priuata missa) subito periisse. Alij suis ipsius manibus clam esse peremptum animamque effusse scribunt.

17. De Osiandro, idem Lindanus eodem loco sic subdit; *Certè de Osiandro narrat Palladius, quod planè mutus, ut bestia, horribiliter extinctus est, anno 1525. die 17. Octobris.*

18. De Carolstadio scribit Bozios loco citato, his verbis; *Eundem casum, quem Oecolampadius, subiit Carolstadius, ut affirmat Minister quidam Lutheranus in epistola typis excusa. Et Lutherani in Historia Confessionis Augustanæ, Lipsiæ edita, pag. 40. Diffiteri nemo potest, Carolstadium tandem ab ipso Satana suffocatum interiisse.*

19. De Bucero idem Bozios ibidem: *Bucero dicunt animam penè agenti astitisse horrendum demonem, qui cunctos astantes timore exanimarit, à quo, ut animam aucheret secum, fuerit percussus. Nam lecto disturbatus, effusis per cubiculum passim huc illuc visceribus, multisque cruciatibus exanimatus expirauit.*

20. De Caluino, multi multa. Bozios sic; *Caluinus totos 4. annos, nouē morbis dirissimis (id Beza discipulus eius primarius scriptum reliquit) miserrime excruciatus interiit: cholica, dolore articulorum, calculo, hemorrhoidibus, febri, asthmate, hemicranio, pituita, sanguinis vomitione. Demū pediculis undiq, scandentibus (ut testatur, qui ipsius vitā Gallico sermone scripsit) exesus infelicissime ac turpissime obiit.*

21. Denique de Zuinglio sic scribit Cochlaeus in libro de actis Lutheti, circa annum Christi 1531. *Repertus in ea strage Zwinglius, omnis perfidia discordiaeque, inter Helvetios author, à duabus Catholicis, pronus in facie adhuc spirans, quem illi non cognoscentes interrogarunt, an vellet confiteri. At ille tacuit, velut mortuus. Superueniens autem alijs, qui eum cognouit, lethale infixit vulnus, Capitaneisque protinus indicauit. Qui iusserunt cum sibi publico iudicio,*

dicio, in quo sanè iudicatus est, ut proditor, atque combustus
ut hereticus. Et Surius in commentario rerum in orbe
gestarum, anno 1531. Cæsi sunt ex Tigurinis 1500. & in
iis omnium malorum incensor & caput Zuinglius, qui in-
uentus à duobus Catholicis adhuc spirans, interrogatusq; an
confessione expiare se vellet, mortuum se simulans, nihil re-
spondit, &c. Hæc omnia ex aliorum fide.

22. Concludo; Caluinistas, qui à Zuinglio Zuinglia-
ni appellantur, non posse merito de hoc titulo gloria-
ri. 1. quia Zuinglius fuit homo inconstans. 2. qui suam
doctrinam à diabolo accepit, vt contendunt Catholic-
i & Lutherani: vel certè dubiū est, à diabolo an à bo-
no Angelo acceperit, vt ipsem fatetur. Iure igitur sus-
pectus est. 3. quia tanquam proditor, & author seditionis
miserè imperfectus est. Videant Caluinistæ qualem
suæ sectæ ducem habeant.



TITVLVS SEXTVS. SACRAMENTARII.

ALVINISTÆ dicti sunt Sacramentarij,
quia sequuntur nouum dogma de Sacra-
mento Eucharistiæ, in quo dissentunt à
Catholicis & Lutheranis. Hi enim affirmant, Chri-
stum realiter in hoc Sacramento præsentem esse,
quod Sacramentarij negant. Porro primus illorum
author fuit Andreas Carolstadius, de quo supradic-
tum est. Nam is, anno 1524. primus cœpit docere,
nihil esse in cœna, præter panem. Eum secuti sunt
Zuinglius, Oecolampadius, Bullingerus, Ochinus,

Petrus Martyr, Caluinus, Beza, Boquinus, Klebitius, & alij. De quibus hæc disputari possunt. 1. Vnde orti sunt primi Sacramentarij. 2. quales fuerint. 3. à quo hauserint suam doctrinam. 4. quomodo eam conati sint propagare.

Q V A E S T I O I.

Vnde orti sunt primi Sacramentarij?

1. **P**rimi Sacramentarij, ut Carolstadius, Oecolampadius, ex Lutheranis orti sunt. Cum enim antea Lutherò adhærerent, postea ab eo defecerunt, & ex Lutheranis facti sunt Sacramentarij. Quod egerimè tulit Lutherus. Vnde perpetuum odium inter Lutheranos & Sacramentarios natum est, quod ab anno Christi 1524. (quo primum cœpit hæc secta) hucusq; pertinacissimè perseverat. De quo videri potest Historia Confessionis Augustanæ, quæ à Lutheranis ab anno 1521. usque ad annum 1561. continuè deducta est, & Lipsiæ anno 1585. latiniè impressa. Ex ea cōstat, quid vtrinque per singulos annos tentatum sit: quām infestis animis inter se decertarint: quoties de concordia inter ipsos ineunda frustra actum & tandem etiam desperatum sit. Attigi hoc in primo titulo, quæst. 2.
2. Porro præcipui ex Sacramentariis, qui de re Sacramentaria scripserunt sunt hi. 1. Carolstadius, primus eorum author. 2. Zuinglius, Pastor Tigurinus. 3. Ioannes Oecolampadius, antea professor Heidelbergensis. 4. Martinus Bucerus. 5. Wolfgangus Capito, Minister Ecclesiæ Argentinensis. 6. Bernardinus Ochinus. 7. Ioannes Caluinus. 8. Petrus Martyr. 9. Wilhelmus Klebitius. 10. Petrus Boquinus. 11. Theodorus Beza. 12. Dauid Paræus. Ex Lutheranis hi. 1. Lutherus ipse.

2. Theobaldus Billicanus, Pastor Nordlingensis. 3. Urbanus Regius, Minister Augustanus. 4. Pomeranus, Minister Wittembergensis. 5. Ministri Sueuici, quorum libellus inscribitur, *Syngamma Sueicum*. 6. Andreas Osiander, Prædicans Noribergensis, Ioachimus Westphalus, Minister Hamburgensis. 8. Tilmannus Heshusius. 9. Lutherani, qui Historiam Confessionis Augustanæ de cœna Domini conscripserunt, quorum ultima verba in fine Historiæ sunt hæc; *Deo soli gloria, diabolo & squamis ipsius Sacramentariis, Zwinglianis & Calvinianis perpetua ignominia & confusio, Amen.* Omittit recentiores, qui quotidie adhuc altercantur, cuiusmodi sunt Giesenenses, Tübingenses, Ienenses & alij.

QVÆSTIO II.

Quales fuerint primi Sacramentarij

3. **L**ongum esset de singulis seorsim dicere. **D**iccam potissimum de Carolstadio, qui fuit primus eorum author. Multa autem occurrunt quæ de eo dici possunt. 1. quomodo uxorem duxerit. 2. Quid passus sit, cum à Luthero defecisset. 3. quos socios habuerit, quando Sacramentarius factus est. 4. quos libros scripsiterit. 5. Quid Lutherani de eo sentiant.

4. Igitur, ut à primò incipiam, Carolstadius inter omnes Nouatores primus fuit, qui contra solenne votum castitatis, quod sacerdotio annexum est, incestas nuptias contraxit, etiam ante Lutherum. Et ut maior esset solennitas huius sacrilegij, aliud sacrilegium accessit. Nam nouis nuptiis, noua Missa celebrata est. Quibus porro verbis ea peracta sit, adscribam ex Cochlæo in libro de Actis Lutheri, anno 1525.

5. Ad introitum Missæ cantatum est; *Dixit Dominus Deus, Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sui.* Versus; *Adhæredit homo uxori sua, & erunt duo in carne una.* Oratio; *Deus, qui post longam & impiam Sacerdotum tuorum cætitatem, beatum Andream Carolstadiū ea gratia donare dignatus es, ut primus, nulla habita papiстici iuris ratione, uxorem duçere ausus fuerit: da quæsumus, ut omnes Sacerdotes, recepta sana mente, eius vestigia sequentes, electis concubinis aut eisdem ductis, ad legitimi consortium thori conuertantur.* Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c.

6. Secreta; *Sacrificium nostrum quæsumus Domine benignus suscipias, ut quod tua maiestati in Andreae Carolstadij nuptialibus primitiis deuotè offerimus, eius efficacia, à cunctis scortationis defendamur periculis.* Per Dominum nostrum, &c.

7. Complenda; *Sint nobis Domine auxilio sumpti Sacramenti mysteria, & sicut Andreae Carolstadij connubiali celebritate letamur, ita fac quæsumus, Sacerdotum coniugia toto orbe fæliciter auspicientur, fælicius succedant, & quam felicissime finiantur.* Per Dominum nostrum, &c. Vide plura apud Cochlæum, & alios.

8. Idem Carolstadius, cum iam defecisset à Lutherò, & ex Lutherano Sacramētarius factus esset (quod contigit anno 1524.) multa passus est. Nam primo, vrgente apud Electorem Saxoniæ Lutherò, cōpulsus est egredi ex Saxonia. Deinde, impetrato reditu, cum videret se ab omnibus contemni, vitam rusticāam professus est, & simul institorē egit. De qua re ita scribunt Lutherani in historia confessionis Augustanæ, anno 1524. pag. 38. Et quia propter ea, quæ protervè ac malè multis in locis egerat, in summo fuit apud omnes contemptu, neque ullam vocationis alicuius recuperandæ spem concipere facile potuit; rei domesticæ sese dedens, primo in exiguo

exiguo quodam pago, postea in oppidulo Kemberga, quod uno tantum milliari Vittembergia abest, sedem locauit. Vtque esset, unde familiam aleret, rusticum simul & institorem egit; vinum adustum, placentas, specula, ligulas, & similes merces venum exponens. Interdum etiam lignatum egressus, aliquot ligni plastra ex sylua Loberina in urbem Vittembergensem importauit. Eundem quoque cum reliquis rusticis cultum sumens, tunica incessit rustica crassioris filii, ense accinctus vetere & ferruginoso, ex obsoleta & lacera vagina promicante: pileo etiam opertus simpliore ac rusticico. Simili quoque cum reliquis rusticis nomine appellari gaudebat (Neiber Andres) idque eam ob causam, ut singularem aliquam sanctimonie speciem hac ratione sibi conciliaret.

9. Præcipui socij, quibus intimè se coniunxit Carolstadius, fuerunt hi tres. 1. Nicolaus Pelargus, homo planè rudis & illiteratus 2. Marcus Stubnerus. 3. Thomas Muncerus. Hi simulabant se habere frequentes visiones & colloquia cum Deo, & nosse futura, & secreta cordium: ideoque à Lutherò, per ironiam, cælestes Prophetæ appellati sunt. Nam Lutherus, anno 1525. volens refutare Carolstadium, à quo sæpè lacesitus erat, scripsit tractatum, cum hoc titulo, *Aduersus cælestes Prophetas*. Porrò, axioma horum Prophetarum erat; *Non omnia ea, quæ credi oporteat, ex scripto Dei verbo petenda, sed longè excellentius ac fide dignius esse, si quis peculiarem aliquam reuelationem per insomnium aut visionem sibi factam, proferre possit*. Hanc enim, non mortuæ literæ, sed viuæ Dei vocis manifestationem esse aiebant, eoque prætextu multos è simplicioribus miserè seducebant. Ita, præter alios, referunt Lutherani in historia citata, pag. 46. & alibi.

10. Quod ad scripta Carolstadij attinet, anno 1524. scripsit librum, in quo negat veram & substantialem

Christi in cœna præsentiam; & illa verba, *Hoc est corpus meum*, sic explicat, *Hic sedet corpus meum*. In illo libro, ut postea referam, disertè scribit, virum quendam sibi apparuisse, qui illam explicationem ipsi reuelauerit. Eum autem virum fuisse Patrem cœlestem. De aliis ipsius libellis videri potest historia citata.

11. Quid porrò Lutherani sentiant de Carolstadio, facile constabit ex eorū scriptis. Philippus Melanchthon in epistola quadam ad Fridericum Myconium, libello de sententiis veterum in articulo cœnæ, præfixa, sic scribit; *Carolstadius primum excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communis, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animaduertimus: tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Imo extant manifesta signa impietatis.* Et quæ sequuntur in eandem sententiam. Omitto aliorum iudicia.

QVÆSTIO III.

*A quo Sacramentarij hauserint
suam doctrinam?*

12. **S**Acramentarij partim inter se cōueniunt, partim discrepant. In eo conueniunt, quod negant Christū realiter in cœna præsentem esse. Discrepant autem in sensu, quo verba Christi, *Hoc est corpus meum*, explicanda sint. Nam aliter à Carolstadio; aliter à Zuinglio explicata sunt.

13. Quod ergo ad priorem doctrinæ partem attinet, in qua conueniunt, videntur eam sumplisse ex Lutero, ut notat Cardinalis Bellarminus lib. i. de Eucharistia, cap. i. Nam Lutherus multa scripsit, ex quibus ea

ea doctrina deduci poterat. Certè in epistola ad Argentoratenses sic habet; *Ingenuè hoc fateor, si Carolstadius vel alius quispiam ante quinquennium docere me potuisse, in cœna nihil adesse præter panem & vinum, officium admodum gratum is mihi præstissem.* Et paulò post; *Imò si quis hodierno die solidis fundamentis demonstrare posset, nudum tantum panem & vinum ibi adesse; nimium in eam sententiam me propendere animaduerto.* Deinde in libro de captiuitate Babylonica, capite de Eucharistia, scribit verba Christi, *Hoc est corpus meum, habere hunc sensum, Hic panis est corpus meum.* Quæ sententia non potest propriè accipi; quia impossibile est, ut panis propriè sit corpus Christi. Vnde poterant discipuli Lutheri colligere, panem non propriè, sed figuratè, seu significatiuè esse corpus Christi.

14. De altera doctrinæ parte, in qua dissentunt Sacramentarij, iam ante insinuatum est. Nam Carolstadius explicat verba Christi, hoc modo; *Hoc est corpus meum, id est, hic sedet corpus meum ad mensam.* Zuinglius hoc modo; *Hoc est corpus meum, id est, hic panis significat corpus meum.* Et quidem Carolstadius addit, se suam explicationem didicisse à cœlesti Patre: Zuinglius, à nocturno monitore. At Lutherani, sicut hunc monitorem, ita illum cœlestem Patrem, non aliud, quam diabolum aut eius matrem fuisse interpretantur. Sic enim scribit Ægidius Hunnius Lutheanus, libro de cœna Domini, cap. 14. *Gloriatus est Carolstadius, venisse ad se quendam virum, qui admonuerit de explicatione verborum cœna, quod vocula, Hoc, eum in modum, quem ipse tradebat, esset accipienda: Et hunc virum fuisse Patrem cœlestem.* Respondit autem Lutherus, *virum illum non Patrem cœlestem, sed ant. diabolum ipsum, aut certè huius fuisse matrem.* Similia scribunt authores

historiæ confessionis Augustanæ, anno 1524. pag. 37.

15. Illud obiter hic addendum est, tres illos Nouatores, Lutherum, Carolstadium Zuinglium, sicut singuli nouum dogma de Eucharistia sectati sunt, ita singulos scripto testatos esse, à quo spiritu suum dogma acceperint. Et quidem Lutherus rotundè dixit, quod res erat se à diabolo accepisse. Carolstadius mendacio usus est, asserens, à cælesti Patre edoctū se esse. Zuinglius, qui utriusque discipulus fuit, nec apertè voluit fateri cum Luthero, diaboli discipulum se esse; nec aperte mentiri cum Carolstadio, Patrem cælestem ad se venisse: sed rem in medio reliquit, simulans se non meminisse, albus an ater fuerit monitor, à quo instrutus est. Soli Luthero in hoc puncto creditur. De Lutheru dici potest; *Confessus est, & non negauit.* De Carolstadio; *mentitus es in caput tuum.* De Zuinglio; *Quoniamque claudicas in utramque partem?* Et, *utinam calidus es, aut frigidus.*

Q V A E S T I O I V .

*Quomodo Sacramentarij conati sint suam
sectam propagare?*

16. **V**ARIIS modis id facere conati sunt. 1. Carolstadius per visiones & reuelationes Patris cælestis. 2. Zuinglius per monitorem nocturnum. 3. Bucerus & Leo Iudæ per fraudes. 4. Caluinus per miraculum. 5. Beza per æquiuocationem. De his tribus ultimis aliquid dicendum est. Nam de Carolstadio & Zuinglio iam ante dixi.

17. Igitur prima fraus fuit hæc. Bucerus per literas & internuncios passim apud Theologos, & præsertim apud Lutheranos, sub specioso pacis & confessionis prætex-

prætextu; diligenter agebat, ne quis publicis scriptis, Zuinglio & aliis Sacramentariis se opponeret: sperans hac ratione fore, ut Sacramentarij, si neminem haberent aduersarium facilius in sua secta progrederentur. Refert Historia confess. August. pag. 83.

18. Secunda fraus. Leo Iudæ, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor, sub ficto nomine Ludouici Leopoldi libellū scripsit Anno 1526. cum hoc titulo; *Doctissimi Erasmi Rotterodami ac Lutheri opinio de cœna Domini nostri Iesu Christi.* In quo libello affirmat, Erasmus & Lutherum, non aliam, quam spiritualē Christi presentiam, in cœna agnoscere; vt horum authoritate, reliquos in eandem sententiam pertraheret. Sed ab ipso Erasmo refutatus est. Scripsit enim acrem Epistolam ad Legatos Helvetiorum (qui tum Badenæ in negotio cœnæ congregati erant,) in qua sunt hæc verba; *Sparsus est ante paucos dies libellus cui titulus; Erasmi & Lutheri opinio de cœna Domini, in quo difficile sit pronunciare, utrum plus habeat stultitiae, an malitiæ. Cum in singulis paginis nomen iteretur Erasmi, ipse qui scripsit, nusquam est ausus apponere suum nomen, nisi quod in calce subiicit nomen fictitium, quod ipsum statim argumentum est malæ conscientiæ, &c.*

19. Tertia fraus, Bucerus anno 1526. Latinum Pomerani in Psalmos commentarium, vertit Germanicè, & Basileæ excudi curauit. Huius versionis occasione, Sacramentariorum dogma callidè & insidiosè Pomerani commentario inseruit, vt Lectores putarent Pomeranum, qui alioqui Lutheranus erat; in hoc punto consentire Sacramentariis. Sed Pomeranus, fraude intellecta, eodem anno de illa falsitate publico scripto conquestus est, in quo sic habet; *Non feram, quod meis sententiis, & sub nomine meo admixta sunt, que ego sane non possum (ita me amet Christus) non impia iudicare, nempe qua vel in 3. Psalmo, cuius initium est,*
Conf.

*Confitebor tibi, &c. de Eucharistia inserta sunt, quasi ego
sim assertor illius opinionis, qua contra manifesta verba in-
stitutionis Christi negatur a fidelibus in Eucharistia verum
corpus Christi edi, & verum eius sanguinem bibi, &c.*

20. *Quarta fraus. Idem Bucerus eodem anno 1526. Ecclesiasticam Lutheri Postillam latinitate donauit, opere in certos tomos distributo. In Praefatione autem & in Annotationibus quarti tomii, eodem quo ante in Psalterio Pomerani usus artificio, virus suum Sacra-
mentarium sub Lutheri nomine, incautis Lutheranis instillare conatus est. De qua item falsitate conquestus est Lutherus in Epistola ad Secetium, anno 1527. his verbis; In quarto tomo temperare sibi non potuit anhelus ille, & sui sensus propagandi incredibili furore cupidus spi-
ritus, quin praefatione dira & sacrilega tum annotationi-
bus virulentis, meum opus crucifigeret: ita ut non fuerint contenti miseri homines suum virus propriis & tam infini-
tis libris sparisse, nisi & alienos libros eo veneno illito per-
dant, &c. Extat hæc Epistola tomo 2. Epistolarum Lu-
theri, pag. 349. Vide plura in Historia confess. August.
pag. 90. & 91.*

21. *Hæc de fraudibus. Venio ad miraculum Caluini, quod Genevæ cōtigit. Res sic habet. Cum vellet suam doctrinam, & vitæ scilicet sanctimoniam miraculo cō-
firmare, pretio conduxit quendam Brulleum nomi-
ne, ut simularet se mortuum esse. Factum est. Interea
vxor Brullei, totius rei conscientia, plorabat apud matiti
lectulum. Accessit Caluinus, quasi aliud acturus, cum
magno comitatu; & sciscitatus est, quid vellet sibi fle-
tus & eiulatus fœminæ? Responsum est, afflictam esse
propter mortem mariti, qui iam iam extinctus esset,
magno rei familiaris incommodo. Tum Caluinus, Bo-
no, inquit, animo estote. Et mox, flexis genibus, ali-
quantisper orans, ac deinde lectulum accedens, appre-
hensa*

hensa manu iacentis , sic eum affatus est ; Impero tibi
in nomine Iesu, vt surgas & ambules. Nihil fit. Repetit
iterum & tertio. Sed frustra. Nam qui se fraudulenter
mortuum simulabat. Deo sic disponente, reuera mor-
tuus inuentus est. Nec alia fuit vis miraculi Caluini,
quam vt sanus moreretur. Quale miraculum, talis do-
ctrina. Rem gestam prolixè describit Hieronymus Bol-
secus, Medicus Lugdunensis, in vita Ioannis Caluini,
cap. 13. & alij plures.

22. Beza hoc miraculo territus , aliam viam ingre-
sus est. Scripsit confessionem , in qua afferuit, corpus
Christi verè & realiter esse præsens in cœna. Addebat
in eam confessionem consentire Ecclesias Heluetiorū
& Genevensium. Hoc ideò fecit, vt Lutheranos , qui
agnoscunt veram & realem Christi præsentiam in cœ-
na, dolo ad Sacramentarios pertraheret , quasi eadem
esset illorum , quæ Lutheranorum sententia. Sed quo
euenuit? Lutherani cœperunt triumphare de Sacramen-
tariis, & palam clamare , ipsos Beza teste, suam sectam
deseruisse, & cum Lutheranis sentire. Tum Heluetij,
qui Sacramentarij erant , grauiter in Bezam inuecti
sunt , quod de ipsorum mutata sententia falso id spar-
sisset. Beza ad æquiuocationis asylum confugiens , re-
spondit, se quidem vera scripsisse, sed à Lutheranis ma-
lè fuisse intellecta. Non enim locutum se esse de cœna
Domini , quæ celebratur in terris (de qua tamen erat
quaestio) sed de cœna, quæ celebratur in cælo, vbi Chri-
stus verè & realiter præsens est. En candorem Sacra-
mentarium. Refert hanc historiam Claudius Sanctes in
Responsione ad Apologiam Bezæ , & Cardinalis Bel-
larminus lib. 1. de Eucharistia cap. 2.

23. Ex dictis colligi potest , quid de Sacramentariis
sentiendum sit. Nam primus illorum author fuit Ca-
rolstadius, qui per falsas visiones & reuelationes popu-
lum

lum seducebat. Propagator fuit Zuinglius , qui à nocturno monitore edoctus est. Successores fuerunt Bucerius, Ieo Iude, Caluinus, Beza: & similes, qui vel fraudibus & imposturis, vel fictis miraculis, vel æquiuocationibus, eandem sectam astruere conati sunt. De toto genere repeto, quod supra ex Lutheranis posui; *Deo soli gloria: diabolo & squamis ipsius Sacramentariis, Zuinglianis & Caluinianis perpetua ignominia & confusio, Amen.*



TITVLVS SEPTIMVS.

CALVINISTÆ.

1.  Ic Titulus notissimus est. Dicti sunt Calvinistæ à Ioanne Caluino Nouiodunensi, qui sectam hanc plurimum promouit. Qualis autem fuerit Caluinus in moribus & doctrina, iam pridem à multis proditum est. Ego obiter tantum attingam. In moribus fuit superbus, arrogans, crudelis, vindictæ cupidus, spurcus, infamis, & propter præpostaram libidinem ac Sodomiam, carenti lilio inustus. Videri potest Hieronymus Bolsecus, qui accuratè & authenticè hæc omnia præscripsit.
2. In doctrina fuit pestilentissimus, ex duplice capite. Primò, propter blasphemias de Deo sententias. Secundò, propter inconstantiam & perpetuas contradictiones, quibus omnia ipsius scripta plena sunt. De priori capite dictum est Titulo quarto. Nam ibi commemorauit quædam ipsius paradoxa, quæ de Prædestinatione & authore peccati disseminauit. De quibus ipsi quoque Calvinistæ conqueruntur. Ceterè Iacobus Arminius, celebris Caluinianæ Doctrinæ Profes

Professor, in Declaratione sententiae sua, ad Nobiles & Præpotentes DD. Ordines Hollandiæ, disertè scribit, doctrinam Caluini de Prædestinatione, multis nominibus sibi non probari. 1. Quia non est fundamentum salutis. 2. Nullam Euangelij partem in se comprehendit. 3. In nullo antiquo Concilio, siue generali, siue particulari est approbata. 4. Nec ab ullis antiquis Patribus. 5. Non congruit cum Harmonia Confessionum Ecclesiarum reformatarum. 6. Nec cum Confessione Belgica aut Catechismo Heidelbergensi. 7. Pugnat cum sapientia, iustitia & bonitate Dei. 8. Cum libertate hominis. 9. Cum actu creationis. 10. Cum natura & titulis vitae æternæ. 11. Cum natura & titulis mortis æternæ. 12. Cum natura peccati. 13. Cum natura gratiæ. 14. Iniuriam Deo facit & ignominiam Christo. 15. Obest saluti hominum, multis modis. 1. Quia impedit dolorem de peccatis. 2. Aufert sollicitudinem conuersionis. 3. Inhibet studium honorum operum. 4. Extinguit ardorem orandi. 5. Ingenerat desperationem. Hæc singula fusæ ibidem persequitur.

3. Et in Epistola Dedicatoria, quæ præfixa est Collationi Arminij, cum Francisco Junio, valdè exagitatur eadem Caluini doctrina. 1. Quia est caput & fons omnium errorum. 2. Alienæ est à Scriptura, recta ratione & bonis moribus. 3. Nemo potest saluari, qui ex ipsius tenore vitam suam instituit. 4. Ex illa necessariò sequitur, Deum esse authorem peccati. 5. facit Deum crudellem. Quod ibidem declaratur exemplo Tiberij, his verbis; Fertur quondam Tiberius Cæsar Virginem quandam stranguli voluisse. Cur? Quia ita libebat. Sed cum vetaret id patriæ mos, quo non licebat intemeratam occidere, misit Virginem ad Lenonem, & decreto suo viam ipse sternens, stupratam occidi iussit. Ignosce, ô bone Christe, Ecclesiæ & Doctoribus, Caluino, Piscatori, & sibilibus, qui de

*Deo ad exemplum Tiberij docere , scribere non verentur.
Hæc Caluinianus de Caluini dogmate.*

4. Venio ad contradictiones Caluini , quæ plurimæ sunt. Ex iis aliquot recensebo. Prima est de authore peccati. Nam lib. i. Instit. cap. 18. §. 3. docet Deum esse authorem peccati. Verba ipsius supra citata sunt. Contrarium docet in Instructione contra Libertinos , cap. 14. cum ait; *Temulenti isti, à Deo omnia fieri per strepentes, eum mali authorem constituunt. Et infra ; cum Deo nihil magis propriū sit, quam sua bonitas, ipsum à se abnegari oportet , & in diabolum transmutari, ut malum efficeret, quod ei ab illis tribuitur.* Ex hac contradictione oritur alia inter asseclas Caluini. Nā aliqui negant illum sensisse, Deum esse authorem peccati , vt Iunius & Gomarus: Alij affirmant, vt Arminius & Venator : Alij, nunc hoc, nunc illud afferunt, vt Dauid Paræus.

5. Secunda, de Ecclesia. Nam in paruo Catechismo docet, hunc articulum Symboli, *Credo Ecclesiam*, deberet intelligi de sola Ecclesia inuisibili, quæ est prædestinatiorum. Sic enim habet; *Sequitur quarta pars , in qua confitemur nos credere unam sanctam Ecclesiam Catholicon.* Et statim explicans, de qua Ecclesia loquatur , sic addit; *Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam eternam prædestinavit.* Contrarium docet lib. 4. Instit. cap. 1. §. 2. afferens non tantum de inuisibili, sed etiam de visibili intelligendum esse, in qua permixti sunt reprobi & prædestinati. In Symbolo , inquit ubi confitemur nos credere Ecclesiam , id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus , refertur , sed ad omnes quoque elelos Dei, &c.

6. Tertia , de Ecclesia visibili. Nam lib. 4. cap. 1. §. 4. docet , neminem saluari posse extra Ecclesiam visibilem , cum ait; *Verum , quia nunc de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel uno Matris elogio, quæ utilis*

ut ilis sit nobis eius cognitio, immo necessaria: quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiatur in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis uberibus, &c. Adde, quod extra eius gremium, nulla speranda est peccatorum remissio, nec ultra salus. Contrarium docet libro quarto capite primo §.7. & cap. 16. §. 24. & 25. Nam priori loco afferit, neminem admitti in Ecclesiam visibilem, nisi per Baptismū: posteriori, filios fideliū saluari sine Baptismo. Vnde sequitur, aliquos saluari extra Ecclesiam visibilem.

7. Quarta, de certitudine iustitiae. Nam lib. 3. cap. 2. §. 16. docet omnes fideles certos esse de sua iustitia & remissione peccatorum. Verè, inquit, fidelis non est, nisi qui confidenter se regni cœlestis heredē gloriatur. Et in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. cap. 10. Certo statuimus, nobis remissa esse peccata. Et can. 15. Sua electionis certos esse conuenit uniuersos fideles. Contrarium docet lib. 3. Institut. cap. 2. §. 10. Tot, inquit, vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi testum est, ut seipsum sape fallat. Et §. 11. Experiencia ostendit, reprobos interdum simili fere sensu, atque electos affici, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant.

8. Quinta, de fide iustificante. Nam in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. can. 9. docet fidem esse causam iustificationis, his verbis; Solam fidem iustificationis causam esse intelligimus. Et can. 11. Vim iustificandi fidei in solidum vindicamus. Contrarium docet lib. 3. Inst. cap. 13. §. 1. cum ait; Quoad iustificationem, res est mere passiva fides.

9. Sexta, de libero arbitrio. Nam lib. 1. cap. 15. §. 8. docet, hominem in statu innocentiae habuisse liberum arbitrium. In hac, inquit, integritate libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam eternam. Et infra; Potuit Adam stare, si vellet, quando non nisi propria

voluntate cecidit. Contrarium docet lib. 3. cap. 23. §. 8. Nō dubitabo, inquit, simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit. Et paulo ante, §. 6. in fine; Constat ordinatione & nutu Dei omnia euenire. Omnia igitur necessariò eueniunt, si voluntas Dei est necessitas rerum.

10. Septima, de iustitia inhærente. Nam in Antidotō Concilij Tridentini sess. 6. cap. 8. docet, iustitiam inhærentem quam Catholici admittunt, non esse admittendam. *Falsum*, inquit, *esse contendō*, ullam iustitiae partem in qualitate sitam esse, vel habitu, qui in nobis resideat. Et lib. 3. Instit. cap. 11. §. 23. *Vides*, non in nobis, sed in Christo esse iustitiam nostram. Contrarium docet in libro de necessitate reformatæ Ecclesiæ, his verbis; *Nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur iustitia inhærente.*

11. Octaua, de Sanctis. Nam in Psychopannychia docet, Santos post hanc vitam statim esse in cœlesti beatitudine. *Verba*, inquit, *Apostoli sine interprete hoc loquuntur*, nos sensuros Dei presentiam, cum ab hoc corpore separabimus. *Iam non per fidem embulaturos*, sed per speciem: quoniam hoc terræ pondus, quo premimur, nos à Deo, quasi maceris, lōgo interuallo separat. Contrariū docet in eodem libello, his verbis; *Semper in cursu est eorū desiderium*. Et infra; *Expectant quod nondum habent, & suam mercedem eminus vident*. Et lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6. *Valde se torquent multi disputando, an Sancti cœlesti gloria fruantur, necne*. Et paulo post; *Omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat Redemptor.*

12. Nona de Eucharistia. Nam in cap. 11. prioris ad Corinthios docet Corpus Christi esse præfens in Eucharistia. *Christus*, inquit, *visibile illud Symbolum nobis porrigo* vñā dat etiam nobis suum corpus, *Neque enim fallax est*, qui vacuis figuris nos ludat. Contrarium doce in consensione de re Sacramentaria: *Cum signa hic in mundo*

mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus; Christus nō alibi quām in cœlo quārendus est. Et ibidem; *Quia tamen corpus Christi finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum intervallo distare, quāto cœlum abest à terra.*

13. Hæc breuiter de Caluino. Eum strenue imitantur Caluinistæ, si non superant. Et, ut compendio dicam, triplici potissimum spiritu pleni sunt. 1. Spiritu contradictionis, dissensionis & dissidij. 2. Spiritu impietatis & atheismi. 3. Spiritu perfidiæ, rebellionis & crudelitatis. De primo spiritu legi potest. D. Petrus Cudsemius in libello, qui inscribitur, *De desperata Caluini causa*. Ibi ostendit, in quo sectas & factiones diuisi ac distracti sint Caluinistæ. Et res ipsa loquitur. Asum dicere, vix duos esse, qui consentiant. De secundo spiritu fusè scripserunt duo doctissimi viri, Franciscus Feuardentius in *Theomachia Caluinistica*, & Guilielmus Reginaldus in *Caluinoturcismo*. Prior recenset & refutat multas impias & blasphemias opiniones, quibus Caluinistæ imbuti sunt. Idem nos supra fecimus. Posterior ostendit, Caluinismum parum distare à Turcismo vel Atheismo: & qui verè Caluinista est, vix abesse, quin Turca vel Atheus sit. Cui astipulatur Godfridus à Valle, qui Lutetiæ Anno 1572. publicè exustus est. Hic libellum scripsit *de arte nihil credendi*, in quo, cætera omnia falsa, hoc vnum verum dixit opertore prius Caluinistæ fieri, qui atheus esse volet. *Quod & ipsi contigit*. De tertio spiritu, qui est perfidiæ, rebellionis & crudelitatis, multa à multis scripta sunt. Et si scripta non essent, sufficeret vox populi & quotidiana experientia. Nihil addam.



TITVLVS OCTAVVS.

GEVSI.

GAELVINI SIT & dicti sunt Geusij id est, mendici. Quem titulu adeptisunt in Belgio, Anno 1566. Occasio fuit haec. Philippus Rex, cum aduerteret nouas haereses paulatim in Belgio pululare, scripsit litteras ad Illustrissimam Belgij Gubernatricem Margaretam, Principem Parmensem, quibus ad fidei Catholicæ conseruationem promouendam, serio mandabat, ut Edicta Caroli V. Imperatoris & Decreta Concilij Tridentini exactè seruarentur. Hoc aliqui sinistre interpretati sunt quasi Rex, sub hoc pre-textu, Inquisitionem Hispanicam vellet in Belgium introducere. Itaque Anno 1566. Die 5. Aprilis Brederodius & quidam alij ex Nobilibus fœderatis Illustrissimæ Gubernatrici, quæ tunc Bruzellæ erat, libellū supplicem exhibuerunt, quo postulabant Edictorum executionem prorogari. Mirabatur Gubernatrix. Cui Barlemonius Eques aurei velleris; *Ma Dame, ne craignez ces hommes: car ce ne sont que des Geux, id est, Mea Domina, ne timeas ab istis hominibus: non enim sunt, nisi Geusij seu mendici. Volebat per contemptū dicere, non esse magni mometi homines. Hinc factum est, ut primū Brederodius cum suis affeclis, postea omnes Caluinistæ, appellarent se Geux, seu Geusios. Et publicè ab ipsis clamatum est, *Vive les Geux, id est, viuant & proficiant Geusij. Quin etiam, ut aliquam speciem mendicorum præ se ferrent, vñi sunt veste cineritia, & ad latuus appenderunt lignea vascula, qualibus mendici uti solent.**

solent. Ita referunt Scriptores illius temporis præser-tim Petrus Opmeerus Amstelrodamus in opere Chro-nologico orbis vniuersi, Surius in Commentario rerū in orbe gestarū, Aubertus Miræus in Chronicō, & alij.

2. Quid porrò deinceps factum aut tentatum sit à Geusiis non est huius loci sigillatim commemorare. Quædam tantum capita attingam. Ac primum eodem anno, quo titulum illum acceperunt, sparsæ ab ipsis sunt chartæ minaces, & libelli factiosi. 2. Habita con-ueticula in agris. 3. Cum armis itum ad hæreticas con-ciones. 4. Excitati tumultus in ciuitatibus: & identi-dem repetitum, *Ad cædes, ad cædes.* 5. Gandaui, Antuer-piæ, Bulciducis, Tornaci, Valencenis, item in Hollan-dia, Zelandia, Frisia, imagines fractæ ac disturbatae. 6. Templa & Monasteria passim vastata. 7. Gandaui ce-leberrima & instructissima Bibliotheca Abbatie Blan-diniensis perdita ac dissipata. 8. Iniuria venerabili Eu-charistiæ Sacramento irrogata. 9. Franciscani & Car-thusiani è suis Monasteriis expulsi. 10. Moniales ludi-brio & alienæ libidini expositæ. Hæc omnia, vno isto anno. Sequentibus, funestiora patrata sunt. Legantur authores citati, & Theatrum crudelitatis Cal-uinistarum.



TITVLVS NONVS. HVGONOTÆ.



ALVINISTÆ in Gallia vocantur Hugo-notæ vel Hugonoti. Vnde acceperint hunc titulum, non certò constat. Aliqui putant accepisse ab Hugone Comite: alij, quod

verisimilius est , ex alia occasione , quam refert Florimundus Remundus in libro de Antichristo cap. 3 . Ait milites Caluinianos , qui in coniuratione Ambianensi , in mortem Regis totiusque familiæ Regiæ conspi rauerant , habuisse hanc tesseram , vt obuios quoisque alloquerentur his verbis ; *Allez vous à Nantes ?* Et si ro gati responderent , *Huc nos* , intelligerentur esse conscij & socij cōspirationis . Hinc factum esse , vt ex illa voce *Huc nos* , frequenter repetita & usurpata , socij omnes *Hugonotæ* appellati sint . Ut vt sit , Caluinistæ de hoc titulo gloriari non possunt . Nā si illum ab Hugone Comite acceperunt , meminerint à factioso & rebelli homine se accepisse , quales & ipsi sunt . Si autem à tesse ra fœdissimæ cōspirationis , quid aliud cogitare debent , quām quod res est , suo scelere se hunc titulum comparasse ?

2. Porrò , Hugonotarum in Gallia mores & inge nium aptissimè depinxit Ludouicus Richeomus in doctissimo opere , quod *Idololatriam Hugonoticam* inscri psit , & Henrico Quarto Francorum & Navarræorum Regi Christianissimo dedicauit . Ibi distinguit duplē idololatriam : vnam materialem & externam qualis fuit olim Gentilium & Samaritanorum , qui Solē , Lunam , Venerem , Iouem , Martem , Vitulos , & similia idola adorabant : Alteram spiritualem & internam , cuius Notæ ac qualitates sint hæ . 1. Fastus & superbia . 2. Luxuria . 3. Mēdaciū . 4. Calumnia . 5. Vana Scriptura rum ostentatio . 6. Fraus & crudelitas . 7. Odium Sedis Apostolicæ . 8. Discordia . 9. Pertinacia . Has omnes Notas ostendit Hugonotis perfectissimè conuenire . Et vt taceam de aliis , triplici arguento confirmat , crudelitatem maximè domesticam ac familiarem ipsis esse .

3. Primò , quia crueles sunt in animas infantium , qui

qui sine Baptismo ex hac vita decedunt. Persuadent enim populo hæc duo falsa principia. 1. Filios fidelium sine Baptismo saluari posse. 2. Filiis infidelium non prodesse baptismum. Et , quod ex utroque sequitur, parentes de baptizādis infantibus minimè sollicitos esse oportere. Ex qua persuasione fit, ut plurimi infantes moriantur sine Baptismo , & æternæ damnationi sint obnoxij. Certè immanis hæc crudelitas est: Et maior sine dubio, quam olim crudelitas Herodis, qui in corpora duntaxat, non autem in animas infantium à se occisorum sœuiebat.

4. Secundò, Etiam in animas aliorum fidelium, qui post Baptismum, adulta ætate, migrant ex hoc mundo , crudelitatem exercent. Nam constantissimè virgent, non esse orandum pro fidelibus defunctis , nec in altera vita villas Purgatorij pœnas superesse, quæ ab ipsis subeundæ sint. Ex quo similiter fit, ut animæ fidelium defunctorum priuentur multis precibus ac suffragiis , eoque diutius cogantur Purgatorij flamam sustinere.

5. Tertiò, Nec minus in corpora Catholicorum desœuiunt. Hoc ostendit variis exemplis, quæ in Gallia contigere. Nam primò , in Delphinatu , Rupellæ & alibi, multos Catholicos propter fidem & religionem ex altissimis rupibus & editissimis turribus , in saxa præcipitarunt. Secundo, multos item , præter omnem misericordiam & legem, in Bazatenses & Nemausenses puteos aceruatim contruserunt. Tertio, Engolismæ corpora Sanctorum Eutropij & Benigni effossa, flammis concremarunt. Quarto , Similiter , capite sancti Eparchi, tanquam globo missili, ad metas petulantissimè colluserunt. Quinto , Vzeſtæ in agro Bazatensi, corpus Clementis V. extractum è tumulo , eadem barbarie tractarunt. Sexto, Alibi etiam variis in locis,

incredibili cum impietate, capiti sancti Matthie Apostoli, Barberiaci parti cranij sancti Ioannis Baptistae, in oppido, cui à sanctis Angelis nomen est: portioni sanguinis eiusdem Praecursoris, quæ Vasati asseruabatur: reliquiis etiam sancti Hilarij, Pictauis; sancti Martini, Turonis; sancti Aniani, Aureliæ; sancti Irenæi, Lugduni; sancti Iuliani, Cenomanis; sancti Eutropij, Strasburgiæ, infinitas contumelias intulerunt. *Septimo*, Induti sacris vestibus & portantes sacra Sanctorum corpora, per iocum cantilarunt, *Requiem aeternam dona eis Domine*. Postremò, ne quid crudelitati deesset, in sepulchra Regum ac Principum, immanissimè debacchati sunt: Quæ omnia fusè prosequitur citatus author, lib. 2. Idololatriæ Hugonoticae, cap. 26. & sequentibus.



TITVLVS DECIMVS. PVRITANI.

ALVINISTÆ in Scotia & Anglia vocantur Puritani, quia puram Caluini doctrinam per omnia sequuntur. Hic titulus non tantum à vulgo, sed ab ipso quoque serenissimo Rege Iacobo illis tribuitur, ut patet ex monitoria ipsius præfatione. Potrò, quid lateat sub hoc titulo, vel potius, qui & quales sint, qui passim Puritani appellantur, ex eodem serenissimo Rege, cuius ipsi autoritatem respuere non audent, clarissimè intelligi potest. Is igitur incitata præfatione, ita de illis sentit. *Primo*, esse homines furiosos & incendiarios. *Secundo*, plus se fidei reperisse in effervescens latronibus, quam in Puritanis. *Tertio*, se non solum à nativitate continuo vexatum



vexatum fuisse à Puritanis, sed etiam in utero materno propemodum extinctum, antequā nasceretur. Quarto, se in suo libro ad filium, multo acris ac vehementius in Puritanos, quām in Pontificios inuestum esse. Denique se eidem libro prolixam in odium Puritanorum præfationem Apologeticam præfixisse.

2. Hæc & similia habet Rex de Puritanis. Qui tamen alibi monet, se loqui de Puritanis sibi subiectis, non de extraneis. Sic enim scribit in Appendice ad Monitoriam præfationem; *Puritanorum nomine non alios intelligo, quam subditos, qui sub imperio meo degentes legum imperiis reluctari, animis obstinauerunt.* Et infra; *Quidquid inibi de Puritanis dixi, de iis solis accipiendo, qui intra ditionis meæ fines peruvicaci huic disciplinæ se tradiderunt. Miki enim alioqui est decretissimum, rebus alienis me non immiscere, sed alias reformatæ religionis Ecclesiæ Christianæ suæ libertati committere.* Et ibidem; *Absit itaque à me, ut eos iudicem, quos Deus à iurisdictione mea voluit esse immunes.*

3. Itaque ex sententia Regis, Puritani, qui in Anglia & Scotia degunt, sunt incendiarij, regicidæ, perfidi, perniciaces, obstinati, legum imperiis reluctantantes. De aliis Puritanis (id est Calvinistis) qui extra Angliam & Scotiam sunt, non vult Rex iudicare, an sint similes illis, nécne; quia non sunt ipsius iurisdictioni subiecti. Quod si essent, etiam de illis sententiam ferret.

4. Sacellanus videtur aliter sentire, quām Rex. Nam in Tortura sic loquitur de Puritanis; *Quos vero Puritanos appellat, si Regium Primatum detestantur, detestandi ipsi.* Profitentur enim, subscribunt, iurant in dies. Sed & illi, quod faciunt, ingenuè faciunt, id est, ingenuè profitentur Primatum Regis, ingenuè subscribunt, ingenuè iurant. Itane vero? At Rex dicit esse homines peruvicaces, obstinatos, legum imperiis reluctantantes, in quibus minus

fidei ac fidelitatis sit, quam in latronibus.

5. Hanc dissensionem inter Regem & Sacellatum memini me alias notasse & obiecisse. Sed eam conantur excusare Burhillus & Thomsonius. Et quidem Burhillus in responsione pro Tortura Torti, dicit Regem loqui de Puritanis in Scotia; Sacellatum de Puritanis in Anglia. Hos ingenuos, illos perfidos esse: Non vitio religionis, cum eandem utrique sectentur religionem; sed quia alios mores hi, alios illi. Multo aliter Thomsonius in Elencho. Distinguit enim duo genera Puritanorum in Anglia, qui non moribus tantum, sed etiam religione inter se distent. Alios vocat factiosos homines, puros putos Phariseos, antiquitatis osores. Alios, bonos quidem & probos viros, qui summam doctrinæ Anglicanæ probant, sed tamen in disciplina & præxi Ecclesie quedam desiderant, que dicere non possunt. Addit, Regem loqui de prioribus; Sacellatum de posterioribus.

6. Vtri credam, Burhillo an Thomsonio? Neutri potius. Vtrumque enim refellit Rex. Nam, ut paulò ante notaui, discretè dicit, se loqui de Puritanis suæ ditioni ac imperio subiectis, & eos solos excludere, qui ab ipsis iurisdictione immunes sunt. Nec eorum, qui in Anglia sunt, distinguit duo genera; alterum proborum, alterum factiosorum hominum: sed simpliciter affirmat, quotquot intra ditionis suæ terminos, per uicaci Puritanorum disciplinæ se tradiderunt, esse homines perfidos, incendiarios, legum imperiis reluctantes, ac effteris latronibus deteriores.

7. Et sanè; res ipsa loquitur, ita esse. Primò, quia conati sunt hunc ipsum Regem in utero materno extinguere, antequam lucem aspiceret. Secundò, quia serenissimam matrem eius Mariam, primùm quidem diuturno carcere, deinde etiam capitis suppicio multarunt.

ētarunt. An non vtrunque extremæ perfidiæ & crudelitatis exemplum est? An plus' à latronibus sperare possis? Tertiò, infinitos prope Catholicos, cuiuscunque sexus aut conditionis, vario tormentorum genere persecuti sunt. *Non ignota loqueror.* Extant tabulæ & testes. Ex his vnum producam, qui quatuor annis, & eo amplius, in Turri Londinensi, propter fidem Catholicam detentus fuit, & Diarium seu Indiculum eorum rerum, quæ tunc contigerunt, posteritati teliquit. Nomen illi est, Edouardus Rishtonus. Diarium eius habetur ad finem operis Nicolai Sanderi de *Schismate Anglicano*, his ferè verbis;

8. Anno 1580. die 15. Iunij, Guilielmus Tiruitus, clarissimi viri Roberti Tiruiti, Equitis Aurati filius primogenitus, religionis Catholicæ causa comprehensus, quod in Sororis nuptiis missam audiuisse diceretur, in turrim coniectus est. Die 18. Robertus Tiruitus, Guilielmi frater, eadem de causa captus: Et licet vehementer ægrotaret, nulla tamen intercessione aut fidei sponsione obtinere potuit, ut in turrim non coniiceretur, vnde paulò post mortuus est. Erant hoc ipso tempore, in hoc eodem carcere, Hiberni Proceres Catholicæ, Archiepiscopus Armacanus, Comites Kildarensis & Claudiacensis, Baro Deluinus, Nugentus item Menusque Nobiles.

9. Die 5. Decembris, Rodolphus Ceruinus, Thomas Cotamus, Robertus Ionsonus, Lucas Kirbæus presbyteri; Nicolaus etiam Roscarucus, & Henricus Ortonus laici Nobiles, ex aliis carceribus in Turrim perduerti. Die 10. eiusdem, Thomas Cotamus, & Lucas Kirbæus torturam passi: Rodolphus Ceruinus & Robertus Ionsonus equulei tormento grauisimè vexati. Die 19. Ceruinus iterum equuleo subiicitur.

10. Anno 1581. In Januario, Christophorus Thomafonus & Nicolaus Roscatocus, equuleo torti. In Martio, Alexander Briantus, acutissimis aciculis sub vngues immisis, iubetur confiteri, quo in loco P. Personium vidisset, quod tamen fateri constantissime recusauit. Postea in lacum coniicitur, ac deinde grauissimo subiectus equuleo, martyrium passus est.

11. In Iulio, P. Emundus Campianus, cum multis aliis in carcerem tractus, & ter postea equuleo tortus, ac tandem in Decembri, patibulo affixus, martyrium consummauit.

12. Anno 1582. Ioannes Hartus & Arturus Pittus presbyteri, ad aliquot dies in lacum dimissi. Antonius Fugatius, post duorum annorum incarcerationem, & grauissimos equulei cruciatus, extinctus est. Ioannes Paynus martyrio coronatus. Eum secuti Thomas Fordus, Ioannes Shirtus, Robertus Ionsonus, Guilielmus Filhaeus, Lucas Kirbaeus, Laurentius Richardsonus, Thomas Cotamus.

13. Anno 1583: in carcerem compinguntur Ioannes Mondinus, Ioannes Hartus, Stephanus Brincklaus, Ioannes Someruilus, Hugo Hallus, Franciscus Trogmortonus, D. Ioannis Trogmortoni, Equitis Auriati primogenitus, & multi alij, quorum plerique etiam equuleo subiecti sunt. D. Edouardus Ardenus suspedio interemptus.

14. Anno 1584. Guilielmus Carterus, Georgius Haddockus, Ioanes Mondenus, Iacobus Fennus, Thomas Hemerfordus, Ioanes Nutterus, Franciscus Trogmortonus, martyrium passi: plurimi alij capti & crudelissime torti. Vide plura apud eundem authorem, & apud Sanderum de schismate Anglicano: itemque in concertatione Ecclesiæ Catholice in Anglia, & in Theatro crudelitatis Caluinistarum.



TITVLVS VNDECIMVS. PICARDITÆ.

1. **A**LVINISTÆ in Bohemia vocantur Picarditæ. De origine huius Tituli non sat satis mihi constat. Probabilis coniectura est, ex Picardia sumptum esse, eo quod Caluinus, Caluinistarum parens, Nouioduni in Picardia natus sit. Sed nolim de re incerta temerè quicquam affirmare. Si tamen ita est, rari exempli est. Nam apud Augustinum in libro de hæresibus, vix ullos reperias hæreticos, qui à loco vel Prouincia nomen sortiti sunt, nisi Cataphyges & Pepuzianos. De quibus sic scribit; *Cataphryges sunt, quorum authores fuerunt, Montanus tanquam paracletus, & duæ Prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla. His nomen prouincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt.* Et paulò post; *Pepuziani à loco quodam nominati sunt, quam ciuitatem, desertam dicit Epiphanius.* Hanc autem isti diuinum aliquid esse arbitrantes, Hierusalem vocant: tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ & Priscillæ in eadem ciuitate Pepuzia, Christum specie fœminæ reuelatum. His igitur annumerati possunt Picarditæ, si à Picardia nomen hoc mutuati sunt.
2. Vnum superest, ut quæ hactenus fusè explicata sunt, compendio repetamus. Igitur Caluinistarum tituli sunt hi. i. Euangelici, quia solo Euangelio contenti sunt: vel potius, quia repudiato Euangelio, Confessio-
- nem

nem Belgicam & Catechismum Heidelbergensem pro Idolo habent. 2. Reformati quia Ecclesiam catholicam reformatarunt: vel potius, quia nouam Ecclesiam formarunt & finxerunt, erigentes altare contra altare; sicut olim Samaritani. 3. A Deo docti, quia à Deo suam doctrinam acceperunt: Vel potius à nocturno monitore, qui ater an albus fuerit; non audent affirmare. 4. Orthodoxi, quia de fide ac religione rectè sentiunt: vel potius, quia non rectè sentiunt, sed multa paradoxa & atheismos introducunt. 5. Zuingiani, quia à Zuinglio, sicut Ariani ab Ario, originem trahunt. 6. Sacramentarij, quia de Sacramento Eucharistiae nouum dogma excogitarunt. 7. Caluinistæ, quia Caluinus eorum Sectam propagauit. 8. Geusij, quia in Belgio pro mendicis & abiectis hominibus habiti sunt. 8. Hugonotæ, quia in Gallia, pro tessera proditionis usurparunt illam vocem, *Huc nos.* 10. Puritani, quia in Anglia puram Caluini doctrinam proficiuntur. 11. Picarditæ, quia ipsorum propagator Caluinus in Picardia natus est.

OPVSCV



OPVSCVLVM II.

De

*PRIMATV ECCLE-
SIAE REGIO.*

EXAMEN

**CONCORDIÆ
ANGLICANÆ, IN
RICHARDVM HARRIS,
PRÆDICANTEM ANGLICANVM
Et eiusdem Concordiæ
Architectum.**

I.  Egilibellum tuum, Richarde, de Concordia Anglicana, quem nuper in me scripsisti. Eum nouem dierum spatio, abs te confectum esse, affirmas Serenissimo Regi in Epistola dedicatoria. Nimium festinasti. Debebas meminisse illius adagij: *Sat citò, si sat bene.* Itemque illius; *Canis festinans cacos parit catulos.* Nam certè, partus ille tuus, quem tam subito effudisti, nihil aliud, quam cæcum, informe, & sine omni sensu ac mente, monstrum est. Quo magis miror, auctor te fuisse Serenissimo Regi illam exhibere, dicam, an obtrudere? Non metuebas, ne Rex, qui & ipse literarum gnarus est, & in scribendo, multò, quam tu, exercitator, non modo aduerteret tnam præcipitantiam & ignauiam, sed etiam aspectum illius deformis ac

mon

monstroſi fœtus fastidiret? Sed nimirūm, qui tuus stu-
por est, ne cogitasse quidem de hacre viſus es. Et ta-
men intetest, te ſcire ne deinceps impingas grauius.
Monebo ergo te, & ſigillatim ſignificabo, in quibus
potiſſimum putem te deliquiſſe. Attende, ſi iuuari viſ.
3. In libello tuo, de quo agimus, hæc ſunt. Primum,
Inſcriptio libelli. Secundum, Epiftola dedicatoria ad
Sereniſſimum Britanniæ Regem. Tertium, Præfatio ad
Catholicos in Anglia. Quattum, Reſponsio ad diſſi-
dium Anglicanum de primatu Regis, quod nuper à
me ſcriptum eſt. In qua quidem reſponsione, diſſidium
in concordiam transformate conatus eſt. De hiſ ordi-
ne dicam, quod ſentio.

Examen inſcriptionis.

3. **I**gitur inſcriptio libelli tui, eſt hæc; *Concordia An-*
glicana, de primatu Ecclesiæ Regio, aduersus Beganū
de Diſſidio Anglicano. Muſto aptior fuifſet hæc; *Concor-*
dia vulpium Anglicanarum de Primatu Ecclesiæ Regio.
Scis, quid velim. Talis nimirūm eſt Anglorum con-
cordia de primatu Regio, qualis olim fuit in vulpecu-
lis Samſonis, ſi meminiſti. Vulpeculae illæ, caudis
iungebantur; capitibus diſſidebant. In caudis erat con-
cordia; in capitibus diſſidium. Sic in Anglia fit circa
primatum Regium. Academici & Prædicantes, quo-
rum tu vnuſ eſt, caudis colligati ſunt; capitibus diſſi-
dent. Concordia eſt in adulatione; diſſidium in re ip-
ſa. Omnes blandiuntur Regi, & molliſſimiſ verbiſ ſpe-
ciosos titulos illi tribuunt. At cum queritur, quid la-
teat ſub illis titulis, aut quam potestatē & iuriſdi-
ctionem in Ecclesia Anglicana exercere poſſit Seren-
iſſimus Rex; omnes abeunt in diuerſas partes: Et
quot capita, tot diſſidia. De quo alibi latius.

Examen Epistolæ Dedicatoriæ.

4. IN Epistola dedicatoria, de solis Jesuitis sermo tibi est. Eorum originem, progressum, studium ac conatum, non aliter narras, quam si iuramento te obstrinxisses, mentiendo & calumniando velle ipsis nocere, si posses. Quod facile ostendam, percurrento singulas epistolæ periodos. Sic ergo incipis *annū Christi circiter 1526. in eīla pīmeīa, Ignatius Loyola ārwφύσοa,* ex qua noui cuiusdam, & ceteris in usitati nominis Societas, *vniuersa (si Diis placet & Deabus rīc adīn;) Iesuitarum na-*
tio est prognata qua quidem infinitis exemplis intelligimus, nihil turbulentius, nihil furiosius, nihil in omni genere, Regibus, rebusque publicis Christianis pernitiosius existere.

5. Nimirūm, hæc tam grandis calumnia, captandæ apud Regem benevolentiae loco, à te posita est. Sed primum, vnde habes, Ignatium anno 1526. exortum esse, vel ut tu loqueris, regerminasse? Vir iste, si primum eius ortum spectes, anno Christi 1491. in hunc mundum natus est. In adolescentia, militiæ ac vanitatib; se dedit. Anno deinde 1521. accepto luculento vulnere ad Deum conuersus est; & relicto militari baltheo, virtuti ac pietati se mancipauit. Postea, anno 1528. Lutetiæ Parisiorum ad grauiora studia se contulit. Deniq; anno 1534. aliquot Socios, qui eiusdem propositi erant, arctiori foedere coniunctos sibi esse voluit. Et tandem ea ipsorum Societas à Pontifice approbata & confirmata est. Hæc omnia in publicis historiis consignata sunt. Et tu ista nescis? Sed tam præceps fuisti in scribendo, vt parum curæ tibi esset, quid scriberes. Putasti sati esse, si nouem dierum spacio, rem totam, quantumvis mala fide, expediens.

6. Sed hoc relinquo. Ad calumniam venio, quam
Opusc. Tom. IV.

subdis. Ea triplex est. Prima , quod Ignatium vocas
 pīzav ῥmeίας, id est, radicem amaritudinis. Malitiosè qui-
 dem ; sed , quod mirum est , verissimè. Si nescis , au-
 di. Ignatius eo sensu , radix amaritudinis est , quo
 Christus lapis offensionis & petra scandali quo Apo-
 stolus odor mortis in mortem. Iam intelligis , opinor.
 Sin minus , explicabo , Christus , respectu credentium ,
 fuit lapis angularis , electus pretiosus : respectu non credē-
 rium , lapis offensionis & petra scandali . (1. Petri 2.8.) Si-
 militer Apostolus , respectu eorum , qui salui fiebant ,
 odor vita in vitam : respectu aliorum , qui peribant , odor
 mortis in mortem . (2. Corinth. 2. 15.) Pari modo dicen-
 dum de Ignatio. Radix suavitatis est iis , qui Pontificem
 agnoscunt : aliis qui illum aspernantur , radix amaritu-
 dinis. Hoc experientia vos docet.

7. Altera calumnia est , quod nationem Iesuitarum
 quæ ex Ignatio origine in trahit . noui cuiusdam & inusi-
 tati nominis Societatem appellas. Et ut manifestè signifi-
 ces , calumniosè te id facere , addis , Si Diis placet , &
 Deabus tñs ad n; Sine dubio , displicet tibi nomen Ie-
 suitarum , & Societatis Iesu. Malles , Non à Iesu , sed à Diis
 & Deabus infernalibus (quibus videris esse familiarior)
 nomen desumptum esse. Ac per me quidem licet , ut ti-
 bi tuæque Societati indas nomen quod velis. Nec in-
 video , vocari vos Puritanos , Calvinistas , Picarditas ,
 Geusios , Hugonotos , & si quid simile apud Nouato-
 res vñitatum est. Saltem nobis perte , liceat uti nomine ,
 quo hactenus vñsumus. Vocemur Iesuite ; vocemur So-
 cij Iesu ; voceinur de Societate Iesu. Nihil hic mali , nihil
 pudendi est. Iesum , ut animo , ita voce libenter agnoscim-
 us & profitemur. Et in hac re imitamur fideles pri-
 mitiuæ Ecclesiæ , qui le Christianos appellabant . (Act.
 11. 26.) Quid enim interest inter nomen Christiano-
 tum & Iesuitarum ? Idem qui est Christus , est & Iesus.

Si à

Si à Christo Christianos , cur non à Iesu Iesuitas appellari fas sit ? Sed vobis non sapiunt hæc nomina. In Lutherum , Caluinum , Zuinglium propensiōres estis. Ab illis titulum accipere, summum apud vos decus est. Credo tamen , qui prudentiores sunt , nobis potius , quām vobis astipulari. Audi si lubet , Magnum illum Galliarum Regem , Henricum Quartum , de hac re differentem in Oratione , quam habuit pro defensione Iesuitarum , coram Senatu Parisiensi , anno 1603 . Sic enim loquitur ; *At displicet hoc nomen Iesuitarum. Cur igitur non displicant , qui se Religiosos Trinitatis nominant ? Cur non filiae vestrae , quæ filiae Dei nominantur ? Cur non Equites mei , qui se Ordinis Spiritus sancti vocant ? Sanè malim dici Iesuita , quām alio nomine Religiosus . Aptissimè ad tuam criminationē retundendam.*

8. Tertia & præcipua calumnia est , quod dicis , *Iesuitis nihil turbulentius , nihil furiosius , nihil in omni genere , Regibus rebusq; publicis Christianis pernitosius existere.* Et quomodo hoc probas ? Multis mendaciis , quæ tuis verbis hic reponam . Sic igitur scribis , *Iesuitarum consilio , suasu , instinctu , sèpius impulsu , animus est additus sceleroso Balthasarō , ut Aurora Principem Guilielmū proditorie interficeret .* 2. *Insignis patriæ vindex Stephanus Botskay veneno extinctus est .* 3. *Quorum scilicet in officina est cusus culter , quo imperfectus est Henricus Valesius tertius , Rex Galliæ ; & sica , qua periret Henricus Quartus .* 4. *Funestam sibi expeditionem Africanam suscepit Sebastianus Lusitanus Rex ultimus .* 5. *Turbas intempestivas excitauit Sigismundus Poloniæ Rex , unde auitum regnum amisit .* 9. *Subditos suos in exiliū pepulit Ferdinādus Archidux Austriae , unde postea profugus , ditionē suā Turcis devastandam reliquit .* 7. *Adeo demētatus est Guilielmus Bauariæ Princeps , ut vitam monachicā Reipublicæ gubernaculo , cum magno Rei-*

publica detimento prætulerit, 8. Iesuitarū auaritia & ambitione celeberrima Respublica Veneta ad extremas nuper redacta est difficultates. unde tamen prudenter & animosè se expedivit, 9. Iesuitarum deniq^z, consilio & sacramēto nefandissimi proditores obfirmati, puluere suo pyrio abstrusè reconditio, magno Britānia Monarchæ Serenissimo, Reginæ, Principi, totique regno (nisi gratia id auertisset, & diuina, & summa) exitium ac vastitatem attulissent. Hactenus tua verba.

9. Dum hæc legerem, occurrebat illud ex Psalmista
Narrauerunt mihi iniquifabulationes. (Psal. 118. 85.) Nam certè, præter fabulas, nihil narrasti. Et miror, te vno quasi spiritu, tam multa, tam crassa & putida menda-
 cia efflate potuisse. Nisi fortè, quod probabile est, pri-
 uatim in hac maledicendi palestra, aliquot annis, te
 exercueris, antequam publicè specimen dares. Sed
 poteras eadem facilitate, & eodem metiendi æstu nar-
 rare etiam hæc, quæ sequuntur. Iesuitarum consilio,
 suasu, instinctu, 1. Serenissimus Rex Iacobus in utero
 materno penè extinctus est, antequā in lucem editus.
 2. Serenissima eius mater Maria, capite plexa. 3. Primo-
 genitus eius filius Henricus, veneno sublatu. 4. In Gal-
 liis conspiratio Hugonotorum in cædem totius fami-
 liæ regiæ occultè conciliata. 5. Inter Reges Daniæ &
 Sueciæ cruentissimum bellum nuper excitatum. Cur
 ab his, & similibus abstinuisti? Nam si mentiri volebas,
 eadem fronte poteras hæc in chartam coniicere, qua
 illa superiora. Sed videbas, in te tuique similes qua-
 drare ea potius quam in Iesuitas. Cur hæc saltē, quæ
 remotiora sunt, non attigisti? Iesitarum cōsilio & sua-
 fu, Adā & Eua, in Paradiso legem Dei transgressi sunt:
 Cain fratrem suum Abelem interfecit: Absalon contra
 parentem conspirauit: Achitophel laqueo se suspen-
 dit: David adulterium commisit: Salomon idololatra
 factus

factus est: Ieroboam subditos à cultu veri Dei abstraxit: Iudas Christum prodidit. An nimis antiqua hæc sunt? Sic suspicor. Vobis Nouatoribus noua placent.

De Principe Auraico.

10. **S**ed tamen videamus, quid garriendo profeceris. Primo sis, Iesuitarum consilio & instinctu, animum esse additum Balthasarō, ut *Auraicum Principem Guilielmum proditorie interficeret*. Quis tibi hoc dixit? An tu primus es, qui de hoc crimine reos agis Iesuitas? Si primus es, ubi sunt testes, ubi tabulæ, quibus id probas? Nihil horum adducis. Et tamen accusatori non creditur, nisi vel testibus crimen probet, vel certè confitentem habeat reum. Neutrum hic fit. An fortè alijs ante te, accusatoris officio perfunctus est? Sed quis ille? corā quo Iudice? quo euentu? An rei condemnati, an liberè abire permitti sunt? Nihil respondeſ ad hæc omnia? Sine dubio impostor es.

11. Et sanè, tantum abest, ut Iesuitarū consilio Princeps ille imperfectus sit, ut nulla vñquam ea de te fuerit suspicio: ne tunc quidem, quando imperfectus est. Imò, si historiam rei gestæ expendamus (quod tu, quia semper festinas, facere non soles) omnia alia potius suspicari fas erit. Historia sic habet. 1. Balthasar Gérartus Burgundus, anno 1584. à Regina Galliæ missus est ad Principem *Auraicum*, qui tunc Delphis in Hollandia erat, ut eum de morte Alenconij certiorem redderet. 2. Hoc officio perfunctus est Balthasar. 3. Et quia sciebat, Principem *Auraicum* à Philippo Hispaniarum Rege, tanquam perduellem & patriæ hostem, proscriptum esse; putabat se gratum Regi & patriæ facturum, si illum è medio tollereret. 4. Itaque data oportunitate, aggreditur accubantem ad mensam,

& sclopo traicit. 5. Et cum fugam pararet, comprehēditur torquetur, & examinatur accuratissimè. 6. Porro, rōto illo examine & crūciatu, qui plures sanè dies durauit, nec ipse dixit verbum de Iesuitis, nec ab aliis de ipsis interrogatus est. Nulla enim erat de Iesuitis suspicio. Solum percunctati sunt, an ab Hispaniarum Rege, vel alio quopiam, mercede ad hanc cædem perpetrandam conductus esset. Negauit factum; & constanter asseruit, se nec prece nec pretio, sed solo conscientiæ instinctu, & desiderio liberandi patriam à tyranno oppressam, hoc facinus aggressum esse. Nec dolere de successu, nec ullum mortis aut tormenti genus extimescere. Facerent illi secum, quod vellent se constanter omnia perpeccutum. Hæc historia rei gestæ est, quā & viri fide digni, qui intentuere, testantur veram esse; & iam pridem typis diuulgata est. Vide, si lubet, Michaëlem ab Isselt in *commentario rerum in orbe gestarum*, circa annum Christi 1584. Laurentium Beyerlinck in *Opere Chronologico uniuersi orbis*, & alios eiusdem temporis scriptores.

12. An tu Richarde, ex hac historia colligis, Iesuitarum consilio cædem illam perpetratam esse? Nec inde, nec ex circunstantiis illius id colligi potest. Circumstantiæ sunt hæc. 1. Nulli tunc erant Iesuitæ in eo loco, ubi cædes facta est. 2. Nulla erat suspicio de Iesuitis. 3. Nūquam auditum est. Reginam Galliæ, aut Balthasarum ab ea missum, cum Iesuitis de internecione Principis egisse. 4. Filius Principis, Comes Mauritius, nunquam Iesuitis obiecit hoc crimen. 5. Imò cum ipsi Mauritio, aliquot annis post, sica intentata esset, nec defensit, qui Iesitarum consilio intentatam calumniantur, nihil tamen à Mauritio contra ipsos tentatum est. 6. Neque iam suspectos habet Iesuitas de hoc crimen. Quid tu ergo, mi homo, in suspicionem eos

eos vocas? Si vir bonus es, abstineres ab hac calumnia. Et quia non es, nemo fidem tibi habet.

De Stephano Botskay.

13. Secundò ais, Iesuitarum consilio & instinctu, insignem patriæ vindicem, Stephanum Botskay, veneno extinctum esse. Et hoc, quomodo probas? Nec villo teste, nec signo, nec apice. Solùm ab eo persuasus es, qui dicebat, 3. Reg. 21. 22. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum*, id est, Prædicantium. Loquitur enim de talibus Prophetis, quales vos estis. Cur vero Stephanū Botskay appelles *insignem patriæ vindicem*, non satis intelligo. Hoc constat, rebellem fuisse Imperatori, & cum Turcis conspirasse. An tu eos igitur patriæ vindices interpretaris, qui in maiestatem Regiam aut Imperatoriam contumaces, à Christiani nominis & sanguinis infensissimis hostibus subsidiū pertunt? Sic apparent. Sed caue, ne Rex tuus id resciscat. Quanquam tam stupidus es, ut non aduertas, ubi, & quando linguam frænare necesse sit. Porrò de veneno ut scias, si adhuc nescis, audi quod res est. Ab eo datum est, qui non Catholicus, sed Calvinista, aut certè Lutheranus erat. Nunc conclude, quod vis. Addo, in tota Transyluania, ubi res contigit, nullum fuisse tunc Iesuitam. Vestri Prædicantes dominabantur.

14. Si nimis pauca dixi, lege historiā huius temporis, & plura inuenies; sed parum ad tuum stomachum. Quod si tibi, qui omnia festinanter facis, nō lubet tantillum otij in historię lectionem impendere; ego laborem hunc subibo, & suggerā quid authores de hac re scribāt. Sic igitur Iansonius in Mercurio Gallobelgico, circa annum Christi 1606. Sed ecce, vix hoc motu repre-

so, alius exoritur, Botskayo quodam Istuano duce, qui vel odio Belgiosæ Comitis, vel rerum nouandarum studio, vel ambitionis æstu percitus, huius tragediæ (cuius iam epitaphio sanè cruentam & funestam videmus) telam exorsus est. Conflarat is ex Turcis, Tartaris, Hungaris & Transyluanis magnum exercitum, iamque palam Transyluaniae Principatum, cuius à Turcis facta ipsi fides erat, affectabat. Et paulò post; Hac victoria, quamvis perfidè parta, elatus Botskaius, magnam rerum gerendarū spem animo cœcepit, Sultano maximè hominis ambitionem & vanitatem promissis alente. Monitus, ut tormenta in tutum locum dederet, arroganter respondit, aliam restare prædam, ad quam extorquendam his vti vellet. Posthac accepta à Sultano magna vi auri, publicè proclamari iussit, nullam aliam ob causam bellum a se suscepsum, quam religionis. Ita sanctissimo nomine, etiā maximè nefarij conatus velantur. Et infra, circa annum 1605. Georgius Baſta Botskayum rebellium Ducem literis admonuit, ut mutaret animum, arma poneret, seditionorum mentes ad obedientiam Cæsari debitam reuocaret. Hæc & similia Iansonius de Botskaijo.

15. Iam tu vide, mi Richarde, qualis fuerit vir ille, quem insignem patriæ vindicem appellasti. Nimirum, homo odio, ambitione, & rerum nouandarum studio æstuans; cruentæ & funestæ tragediæ author; Turcarum stipatus præsidio; Principatum Transyluaniae à Turcis promissum, palam affectans; perfidus, elatus, vanus, arrogans, nefarius, & contra Imperatorem rebellium Dux. Taceo cætera.

De Henrico III.

16. **T**ertiò aīs, In officina Iesuitarum cusum esse cultrum, quo interfectus est Henricus III. Galliarum Rex. Miror te ex Gallia exemplum petere. Nescis, qui

qui in Gallia, initio turbarum, conspirarunt in necem Regis & totius familiæ Regiæ? Loquor te Ambianensi Hugonotorum conspiratione. Nescis, qui anno 1562. in æde S. Crucis, Francisci II. Regis corpus flammis tradiderunt? Nescis, qui eodem anno, Ludouici XI. Regis statuam ludificati sunt, & abscessis curibus, brachiis ac capite, reliquum truncum in cloacas abiecerunt? Nescis, qui anno sequenti, Franciscum Guisum, ad Ligarim, tribus sclopeti globis traiecerunt? Interroga fratres tuos, & dicent tibi. Nihil tale unquam aggressi Iesuitæ: Fratum tuorum hæc prærogatiua est.

17. Quod de Henrico III. aduers, more tuo facis. Vis dicā planius? Mentitis. Henricus ille, anno 1589. à Iacobo Clemente, monacho Dominicanu*m*o interfec*t*us est. An tu monachum Dominicanum, & Iesuitam pro eodem accipis? Aut, si distinguis, an monachum istum à Iesuitis ad internacionem Regis inductum esse affirmas? At nemo vir bonus, ante te, hoc affirmauit. An alij fortè ignorarunt? Mirum est oimnes ignorasse. Magis mirum est, Henricum IV. successorem eius, in oratione sua pro defensione Iesuitarum, dixisse hæc verba; *Nec unquam inuentus est, qui ab iis (Iesuitis) necem Regum didicerit. Quare totum hoc, quod illis obiicitur, nihil est.* Audis, Richard? Nihil est, inquit magnus ille Rex, quod obiicis. Nullus unquam, vel ante, vel post Iacobum Clementem inuentus est, qui à Iesuitis necem Regū didicerit. Si credis Regi, mendax es: si non credis, mendacem facis. Vtrumque alicunum à bono viro. Interim remitto te ad Iansonium, qui totam rem gestam luculentè describit in Mercurio Gallobelgico, ad annum Christi 1589. Vide, an aliquid ibi contra Iesuitas reperire possis.

De Henrico IV.

18. **Q**uarto ais, etiam sicam, qua periit *Henricus IV.*
in officina Iesuitarum cusam esse. Hic vel maximè miror tuam impudentiam. Collige te, quæso, & aduerte, quæ in Gallia post mortem illius Regis facta sunt. Omnia testantur Iesuitarum innocentiam. Sunt autem hæc ferè. 1. Iesuita Cotonus, qui ante cædem erat in aula Regia, post etiam mansit; & adhuc manet. 2. Cor Regis traditum est Iesuitis, & solenni pompa apud ipsos in collegio Flexiensi sepultum. 3. Ludouicus, filius & hæres, regio diplomate, Iesuitarum studia, labores & industriam approbauit. 4. Episcopus Parisiensis, consiliarius Regius, de illorum innocentia preclarè testatus est. Denique, Ioannes Antonius Ioualinius, Bibliopola Caluinianus, eo quod libellum famosum in Iesuitas sparsisset, publicè comprehensus, & exilij damnatus est. Hæc sunt clarissima testimonia pro innocentia Iesuitarum. Et ne dubites, planius ea confirmabo.
19. Igitur Ludouici Regis diploma sic habet; *Cum Henricus Magnus dominus & pater noster, in obsequijs sui bonum, subditorumque suorum commodum, vitile ac valde necessarium indicasset, Iesuitas in regnum suum introducere ac statuere, habito cum Principibus consanguineis nostris, præcipuisque regni ministris maturo consilio; ex ipsorum iudicio, ac suo motu proprio, certa scientia, plena potestate, & authoritate Regia, eisdem Iesuitis, Edicto lato mense Septembri anni 1603. facultatem concessit redundi & habitandi in locis ac partibus prefato Edicto contentis, aliisque postmodum literis suis concedendis. Quo Edicto in Regio nostro Parlamento Parisiensi registrato 2. Januarij, anni 1604. prefatus Dominus & pater noster eisdem Iesuitis,*

suitis, plurimas regni huius ciuitates inhabitandi potestatē fecit: quod quidem summa cum subditorū nostrorum voluptate factum, & executioni mandatū est; qui in educatione filiorum suorū ad pietatem, iuncto bonarum literarū studio, quidquid optare potuissent, assecuti sunt; ac dicto Domino ac Patri nostro adeò probati sunt, ut in ipsorū manus proprium cor deponere statuerit. Quod quidem post eius obitum ipsis traditum, & in Flexianum Templū delatum fuit. Ideò, ne quis voluntatem nostram in dubium reuocare possit, ex certa scientia nostra, plena potestate, proprio motu, & auctoritate Regia, ob easdem rationes, quæ predictum Dominiū & Patrem nostrum permouerunt, quæque adhuc perseverant, præsentibus manu nostra subscriptis, ex iudicio dilectissimæ & honoratissimæ Reginæ Regentis Matris nostræ, consanguineorū nostrorum Principum, ac præcipuorum regni nostri Ministerorum laudauimus, confirmauimus, & ratā habuimus, laudamus, confirmamus & ratam habemus præfatorum Jesuitarum in hoc regnum nostrū partes terras, ac dominia nobis subdita admissionem. Ac quantū opus est, aut foret, denuò concessimus ac permisimus, concedimus & permittimus ipsis posse degere ac inhabitare, in quibus admissi sunt, aut in posterum admittentur, obseruando ea, quæ in præhabito mensis Septembris Edicto, anni 1603, continentur, aliisque literis ac ordinationibus à predicto Domino ac Patre nostro factis: quibus placet nobis, ac volumus eos vti & gaudere, eadē ratione, qua antehac usi sunt ac modo utuntur & gaudent. Præcipimus consiliariis nostris in curia Parlamenti, Seneschalchis, ceterisque Iustitia & administris, quorū opera requiretur, quatenus has literas nostras, ac Iesuitas integrè, pacificè, ac perpetuò vti & gaudere curēt, &c.

20. Hactenus Ludouici Regis diploma. Sequitur testimonium Henrici Gondij, Parisiensis Episcopi, & Consiliarij Regij, in hæc verba; Cum post crudele in defuncti Regis personam, quem Deus absolvat, per-

petra

petratum parricidium , plurimi rumores in hac ciuitate Parisiensi, in summum patrum Societatis Iesu damnum disseminati sint ; nos eiusdem societatis honori ac fame prouidere optantes , animaduerso, quod non aliunde , quam ex peruerso atq; inimico aduersus dictos Patres animo huiusmodi rumores processerint , omnibus , quorū intererit , praesentibus manifestamus , præfatos rumores meras esse calumnias & imposturas , malitiosè cōtra ipsos conquisitas & inuentas , in Catholice , Apostolice & Romanae religionis damnū . Atque predictos Patres , non modo penitus ab eiusmodi caluniis immunes esse ; verum etiam ipsorum Societatem , tum propter doctrinam , tum propter piam vitam , Ecclesia Dei maximè utilēm , & huic Regno valdē proficiam . In quorum fidem , &c.

XL. Addam etiam publicam Conilij sententiam de Iouiliā , qui libellum , *Anticottonum* nomine , (in quo Iesuitæ à Caluinistis accusabātur de Regicidio) in vulgus sparserat . Ea sic habet ; *Dictum habebitur ex Consilij sententia , auditio super hac causa Procuratore Regio , quod ad reparationem eorū casuum , qui fusiū in ipso litis instrumento continetur . Ioānes Antonius Iouiliāns danatus est , ipsumque dānamus ad multam honorariam foro faciendam , ipso die fori , cum forū agetur , ubi nudato præter induiū corpore , apertoque capite flexis genibus , suspēsa ē collo reste , ac faciem pondo duarum librarū manu gestans , alta voce ut exaudiri possit , renūciabit , quod scelē & malitiosè per diuersa huius urbis loca proiecerit & sparserit folia seu chartas impressas , extractas ex libro quodā perniciose & maligno , qui Anticottonus inscribitur ad turbandā quietem publicam , excitandas turbas , & seditionē in hac vrbe mouendam composite ; quod fusiū habetur in instrumento litis . Cuius facti pet et à Deo , Rege & Iustitia veniam . In ipsis autem praesentia predicta folia seu chartæ frāgentur & dilacerabuntur . Inhibemus autem illi , & iterdicimus sub pœna capitis , ne simile quid committat in posterum . Ceterū ad quinque integros annos Regni*

Regni Gallie exilio illum multauimus & multamus.

22. Quid iam dicas, Richard? Adhuc clamas, more Prædicantium, *Henricum Quartum*, consilio Iesuitarum imperfectum esse? At *Ludouicus*, filius & hæres illius, in suo diplomate longè aliter de ipsis sentit. Et *Henricus Gondius*, *Consiliarius Regius*, ait metam calumniam & imposturam esse, malitiosè & peruerso animo, à te ac tui similibus confictam. Et *Consilium Prætoris Parisiensis* grauissimè punit *Iouilianum*, quod eandem calumniam spargere & propagate ausus sit. Cave, ne simile quid tibi eueniat.

De Sebastiano Lusitanæ Rege.

23. **Q**uintò ais, *Sebastianum Lusitanæ Regem*, *Iesuitarum consilio & instinctu*, *funestam sibi expeditiō nem Africanam suscepisse*. Quid obsecro, hic carpis? An, quod Rex ille expeditionem Africanam contra Mauros suscepere? Nihil hoc mali est. An, quod ipsi funesta fuerit hæc expeditio? At etiam funesta fuit expeditio, quam olim filij Israël contra tribum Benjamin suscepserunt. Nam 40. millia ex illis interfecta sunt. An igitur accusabis Deum, cuius consilio & instinctu, expeditio illa suscepta est? Non opinor. Neque tamen verum est, quod obiicis, *Iesuitarum consilio fecisse Regem Lusitanæ*, quod fecit. Lege bonos authores, qui initium, progressum & exitum Africanæ illius expeditionis descripserunt, præsertim *Michaëlem ab Isselt* in *Commentario rerum in orbe gestarum*, circa annum 1578. *Aubertum Myræum* in *Chronico*, & *Genebrardum* in *Chronologia eiusdem anni*. Hi in tota narratione, nullam Iesuitarum mentionem faciunt. At sine dubio fecissent, si Iesuitarum consilio & instinctu, cepta fuissent expeditio.

24. Si hoc parum tibi est, lege Hieronymum Mendozam Lusitanum, qui peculiari libello de hac re edito, laculentissime redarguit eos, qui Iesuitas in hoc negotio suspectos habent. Lege testem omni exceptione maiorem, Fernardum Rebellum, & ipsum Lusitanum, qui in doctissimo suo opere, quod scripsit de *Obligationibus Iustitiae & Religionis*, disertè profitetur, se coram adfuisse, & oculatum inspectorem fuisse earum rerum, quæ tunc gerebantur, certoque sibi constare, Iesuitas, & nominatim P. Ludouicum Gonsaluum, qui tunc Sebastiani Praeceptor & Confessarius erat, omnibus modis egisse, ut Rex in Africam non transiret, nisi prius Principem aliquam fœminam, siue Hispaniarum, siue Galliarum Regis filiam, matrimonio sibi coniungeret, & ex ea aliquot regni hæredes in Lusitania relinqueret. Si id nollet, saltem nulla ratione, nisi ex cōsilio Pontificis & Episcoporum Lusitaniae, de Africana profectione cogitaret. Cūm nihilominus Sebastianus propositi sui tenax, nollet à cōpto desistere, eundem P. Gonsaluum mox ab aula Regia ad Collegium Conimbricense, quod plusquam centum & triginta millaria ab aula distabat, profectum esse; indeque epistolam ad Sebastianum iam in Africa existentem dedisse, qua ipsum ex Africa in Lusitaniam reuocabat. Et verò, tunc rediisse Regem in Lusitaniam: At postea, mortuo P. Gonsaluo, in Africam reuersum esse, ibique in bello contra Mauros periisse. Hæc, Richarde, si vir bonus es, negare non potes: Et, si neges, omnem historiæ fidem negare & labefactare, necesse est. Quod, an prudentis sit, tu ipse videris.

De Sigismundo Poloniæ Rege.

25. **S**extò ais, *Sigismundum Poloniæ Regem, consilio Iesuitarum, excitasse intempestiuas turbas, unde auitum regnum amiserit.* Audi Richard. Rex ille in viuis est, domi militiæque fortutatissimus: Iesuitas amore ac beneficiis prosequitur; nūquam de iis questus est. Quid tu ergo quereris? Cur, vt Iesuitis obtrectes, etiam Sere-nissimo & potentissimo Regi iniuriam facis? Cur obii-cis, intempestiuas turbas ab eo excitatas? Cur auitum regnum; culpa ipsius, amissum? Vbiique calumniandi occasionem quæris. Et hic quidem præpostere. Nam cùm alij hunc ipsum Regem, vt pientissimum & ca-tholicissimum Principem meritò venerentur; tu inter intempestuos turbatores accenseri vis. Sicut paulo ante, è contrario, cùm alij Stephanum Botskayum, vt per-fidum & Rebelliū Ducem aspernati sint, tu insignem patriæ vindicem interpretatus es. Nimirum ex illis pro diisti, quibus dictum est, *Isaiæ 5.20. Vt, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lu-cem tenebras.*

26. Quod addis de amissō regno Sueciæ, quod iure illi debetur, vt inam dolētis ea vox esset, non insultan-tis. Et valdè credibile est, optare te potius, quemlibet rebellum Ducem, quām optimum & moderatissi-mum Regem, ad Sueciæ coronam reuocari. Causa in promptu est. Nam ipse Catholicus; tu hæreticus es. Et tam arctè Catholicus, vt ne puer quidem, cùm septen-nis adhuc esset, à fide Catholica diuoueri vnquam potuerit, cùm non deessent; qui & minis, & blandi-tiis ad defectionem instigarent. Hinc tot victoriæ di-uinitus illi concessæ.

De Ferdinando Archiduce Austriae.

27. *S*optimò ais, *Ferdinandum Austriae Archiducem, consilio & instinctu Iesuitarum subditos suos in exilium pepulisse. Esto, pepulerit in exilium aliquot subditos, qui ab illo in fide & religione pertinaciter dissident. Esto, fecerit hoc consilio Iesuitarum, quod tu dicas, sed non probas. An apud vos non idem fit? An non Reges & Reginæ vestræ in exilium pellunt subditos, qui Catholicam & auitam religionem profitentur? Et quod crudelius est, an non bonorum priuatione, carceribus, squaloribus, ferro, laqueo, & equuleo in eos animaduertunt? An non Prædicantium consilio & instinctu hoc faciunt? Nega, si audes. Exempla publica & quotidiana sunt. Scio, qui hanc pœnam apud vos sustineant: nec alia, quam religionis causa, licet alio prætextu. Et fratres vestri in Hollandia, quid faciunt? An non publico edicto prohibent exercitium Catholicorum? An non Catholicos Sacerdotes & Parochos extra patriam faceſſere iubent? Res nota est.*

28. Et tamen inter vos & nos magna distantia est, Vos iniquè; nos iuste facimus, quod facimus. Vos enim expellitis Catholicos ex iis locis, vbi ab antiquis temporibus floruit & viguit Catholica religio; & submittitis Nouatores, qui in iisdem locis peregrini & incogniti sunt. Sic facitis in Anglia, Hollâdia, alibi Olim soli Catholici ibi vixerût. Nunc iis in exilium actis, ingrediuntur Lutherani, Caluinistæ, Mennonistæ, & nescio quæ monstra Prædicantium; de quorum doctrina & Euangeliō nihil scitum fuit à nostris maioribus. At nos eam ipsam fidem ac religionem, quam maiores nostri professi sunt, & ab antiquis Patribus per traditionem

tionem acceperunt, vbique sartam tectam conseruare cupimus; & nouas nouorum Prædicantium sectas ac dissensiones, tanquam perniciosa lolia, iute merito eradicas. Sic facimus in Austria, Bauaria, Franconia, Westphalia.

29. Accedit, quod vos in vestro negotio promouendo non modo iniqui sitis, ut iam dixi, sed etiam perfidi. Extant pacta contenta, quæ quotidie à vobis violentur. Et ne longè abeam, in Belgio, publica fide paceti estis, non impedituros exercitium Catholicorum Harlemij, Goësæ, Amsterodami, Ultraiecti, Grauiæ. Quotidie impeditis; quotidie proscribitis, arcetis comprehenditis Sacerdotes, qui huic exercitio destinati sunt. O perfidiam, O fidem punicam.

30. Vis, proferam pacta, quæ extant? Accipe. Ex pacatis in ditione Harlemensi, anno 1577. articulus secundus sic habet; *Ad religionem quod attinet functiones Romanae religionis in urbe Harlemensi exercendas, tam inter Ecclesiasticos & religiosos, quam inter seculares, inter viros & quæ ut fæminas, quibus illæ placebunt: Et quidem detimento, impedimento, iniuria omni semota ita severè, ut promulgandum sit & seruandum Edictum, quo mandabitur, eos omnes, qui Romanae religionis sectatoribus iniuriam ullâ, impedimentum, aut detrimentum intulerint, velut perturbatores publicæ tranquillitatis sine connuentia aut indulgentia acerbè castigandos.*

31. Ex pacto conuento cum Goësanis & Suistbeuerlandis initio anno 1577. articulus I. sic habet; *Quandoquidem urbs Goësanorum & Insula Suistbeuerlandia, præteritis bellis magna ex parte non conspirauerunt cum aliis Insulis & urbibus Zelandiæ, adhaerent etiæ exercitio Catholicae Romanae religionis, non aliter, quam illi, qui in Brabantia, Flandria, aliisque prouinciis viuunt; Placet dicto Principi, ut in dicta urbe & Insula, eadē religio cōtinuetur:*

promittendo rata fore, quæcunque in hanc rem articulo IV. pacificationis concessa & decreta sunt; & proinde non permittendum vlla ratione ut ullus, quicunque ille fuerit, in dicta urbe & insula quidquam molitur aduersus publicam tranquillitatem & pacem, nominatim vero aduersus dictam Catholicam Romanam religionem, & illius exercitia: non etiam permittendum, ut ullus, religionis illius causa, iniuriam, vexationem, molestiamve ullam subeat.

32. Ex satisfactione data Amsterodamensibus anno 1578. articulus I. sic habet; Nec in urbe Amsterodamensi, nec in toto dominio illius ac territorio, vlla aliam licebit promulgare, docere, vel exercere religionem, præterquam, antiquam, Catholicam Romanam. Et nulli licebit quicunq; qualiscunque fuerit, quicquam agere aut moliri contra publicam tranquillitatem, præsertim contra Catholicam Romanam religionem, aut functiones illius; aut illius causa, quenquam dicto factōne vexare aut ledere, aut scandalum adferre. Qui id egerint, plectuntur velut perturbatores publicæ tranquillitatis ac pacis.

33. Ex fœdere pacto cum Ultraiectensibus, anno 1579: articulus V. sic habet; Qui Romanæ sunt religionis, pro parochiali templo retinebūt sibi Ecclesiam S. Gertrudis, cui annexentur ij, qui in Paræcia sunt S. Nicolai. Qui vero suberant Paræcia Burckercke & Paræcia S. Iacobi, adoptiēt sibi, velut Parochiale templum, Ecclesiā Prædicatorum, ibique liberè suas functiones omnes obseruent & peragant.

34. Ex reconciliatione vrbis Grauiæ, anno 1602. articulus I V. sic habet; Veteribus & nouis Beginis & fratribus cruciferis Monasterij S. Agathæ potestas fiet manēdi in suis Monasteriis, & ibidem tranquille agendi, absque ullius infestatione. Placet quoque ut iidem fruantur ut tantur suis redditibus, tam patrimonialibus, quam monastrialibus, nec liceat census eorum aut conscribere, aut suspendere, quo cumque demum pratextu. Idem eodem modo concedetur omnibus

nibus aliis Ecclesiasticis personis utriusque capituli in hac urbe, quibuscunque placebit istic seruare residentiam: quibus etiam pastorem huius urbis nuper huc adductum connumerari & eodem nostro statuto gaudere volumus. Articulus verò III. sic habet; *Omnes Ecclesiastici, seu viri, seu fæmina, nullo dempto, Catholici etiam ciues & inquilini manebunt in exercitio Catholice religionis, sine cuiusquam contumelia, viuentes in omni tranquillitate. Quam ad rem concedetur iis Ecclesia noui Beginarij, ut in illa & Matrimonium & Baptismus Catholicorum perseveret, non ullo unquam tempore è medio tollatur.*

35. Hæc omnia pacta à vobis violentur. Ite nunc, & persuadete populo, Catholicos fidem datam non seruare; vos illibatam tenere. Contra fit: Catholici seruat, vos minimè. De quo argumento plura dicerem, nisi iam pridem contra Batauum quendam, aliquot libellis, satis prolixè id pertractassem. Eo te remitto. Et quod Batauo dictum est, tibi dictum puta. Estis enim eiusdem farinæ homines.

De Guilielmo Bauariae Duce.

36. **O** Crato ais, Guilielmum Bauariae Duce, concilio Iesuitarum adeò dementatum esse, ut vitam Monachicam Reipublicæ gubernaculo, cum magno Reipublicæ detrimento pretulerit. Quid audio? Serenissimus Bauariae Dux Guilielmus, qui in Germania prudentissimus semper habitus est, te iudice demeratus est? Nescio, maiori impudētia, an calumnia hoc dicas. Non legisti illud in Euāgelio; *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehenna ignis?* Et tu tanto Principi probrum hoc obiicis? Sed cur obsecro, dementatum putas? *Quia, inquis, Monachicam vitam Reipublicæ gubernaculo prætulit.* At, mi homo, etiam Angliæ Reges id fecerunt, Sige-

bertus, Elteredus, Chenedus, Offa, Inas, Ceolulphus:
 Etiam alij Reges, Rachisius & Pipinus in Italia, Bam-
 ba in Hispania, Veremundus in Castella, Ramirus in
 Aragonia, Carolomannus in Austrasia, Trebellius in
 Bulgaria, Ioannes in Armenia: Etiam imperatores, Lo-
 tharius & Hugo: nec pauci Duces, Algerius Aquita-
 niæ, Anselmus Mutinæ, Vigesius Spoleti, Guilielmus
 Burgundiæ, Dietlandus Sueviæ, Franciscus Gandiæ.
 Hi omnes deposito sceptro ac diademate priuatam ac
 religiosam vitam amplexi sunt, videre est apud Hiero-
 nymum Platum lib. 2. de bono status religiosi cap.
 26. & alios Scriptores. An tu ideo dementatos fuisse
 dixeris? Non sapis ea, quæ Dei, sed quæ mundi sunt. Et
 quæ coram Deo summa sapientia est, tu, qui carnalis
 est, dementiam interpretaris. Longè aliter res habet,
 quam tu putas, Status religiosus sceptro ac diademati
 præferendus est. Audi Chrysostomum de hac re disser-
 rentem in sermone de comparatione Regis & Mon-
 achi, vbi inter cætera sic ait; *Rex urbibus, prouinciis, popu-
 lisque multis præsidet: at Monachus ira, inuidia, auaritia,
 voluptati cæterisque animi morbis imperat, & cogitationem
 supra res omnes humanas eretiam tenet.* Atq; hunc quidem
 Regem verius, qui in illum dixerimus, quippe qui, si libidini,
 si timori seruiat, non ipse populis imperat, sed ea quibus ip-
 se paret, & quorum ex præscriptione mouetur. Ac Rex qui-
 dem cum Barbaris bellum gerit, idq; pro terrarum finibus,
 pro opibus, pro auro: At Monachus cum demonibus depu-
 gnat, quorum & impetus aciores, & natura excellentior est,
 atque ideo victoria preclarior: finis autem pro pietate, pro
 Dei cultu. Qualis autem virtusque vita consuetudo? Hunc
 videas cum Prophetis versantem, Pauli sapientiam haurien-
 tem à Mose ad Eliam, ab Eliam ad Ioannem, à Ioanne ad
 alium quempiam transeuntem. Itaque ut fieri solet, eorum,
 quibuscum versatur, similis efficitur. Rex vero cum parasi-
 tis,

tis cum adulatoribus, cum militibus glorioſis vitam tradu-
rit: Vigilat ille de nocte, vt cum Deo colloquatur, vt cum
angelis viuat, ut cœlestibus bonis fruatur. Hunc autem, qui
gentibus & populis dominatur, videas eo tempore in lecto di-
ſtendum & ſtertentem, parum à mortuo differentem. Rex, vt
valde ſit beneficus, aurum tamen largitur: ille vero ſpiritum
gratiae atque ipsorum etiam corporum beneficia à Domino
impetrat precibus suis: & nihil aquæ oderunt fugiuntque dæ-
mones, vt Monachi preces, ad quas leges ipſi non raro com-
pulsi configiunt, vt Achab ad Eliam, Ezechias, ad Isaiam.
Denique mors Regi horribilis eſt; Monacho etiam grata: Et
ille mortem ſemper timet, eamque ob causam milites ſemper
adhibet ſui corporis custodes: Hic autem non modo neminem
timet, ſed etiam alios urbesq; totas precibus suis, tanquam
muro communis. Hæc & ſimilia Chrysostomus.

36. Quæ tamen non ideò adduxi, quaſi verum ſit,
Sereniſſimum Bauariæ Ducem Guilielmum Mona-
chicam aut religioſam viuendi disciplinam ample-
xum eſſe, quod tu falſo comminiferis, ſed potius, vt
oſtenderem, quaſi inaniſ ſit hæc tua ratiocinatio;
Monachicam vitam prætulit Reipublicæ gubernaculo:
Ergo dementatus eſt. In qua quidem ratiocinatio-
ne, & antecedens falſum eſt, & inepta conſequen-
tia.

38. Quòd porrò addis, magno Reipublicæ detrimen-
to id factum eſſe, grandis in Serenissimi Principis filium
calumnia eſt. Nam perinde eſt, ac ſi dicas, Mazimilia-
nū Guilielmi filium, nō tam bene administrare Répu-
blicam, quaſi Guilielmus ante eum fecit; ideoque ma-
gnum Reipublicæ detrimen- tum eſſe, quod parens fi-
lio administrationem commiſerit. Nec alio funda-
mento nititur hæc calumnia, quaſi mera inſtitia &
impudentia, quæ ſumma in te eſt. Vnde enim tibi con-
ſtat de illo Reipublicæ Bauariorum detrimen- to? An

subditi Bauariæ apud te questi sunt? Ne notus quidem in Bauaria es. Nemo scit, tale portentum, quale tu es, in Anglia inclusum esse. An Prædicatæ tibi narrarunt? At fabulas illi narrant, sicut & tu soles. Sed tamen, si narrarunt, quod illud Reipublicæ detrimentum est? An fides Catholica labefactata? An opes patriæ exhaustæ? An pax Reipublicæ perturbata? Nihil horum. Floret nunc Bauaria sub serenissimo Maximiliano filio, sicut floruit sub serenissimo Guilielmo parente. Vterque prudentissimus est: vterque populo suo charissimus: vterque in gubernatione fælicissimus. Hoc interest, quod alter alteri, filius parenti, Iunior seniori, hæreditario iure in officio subrogatus sit. Nec sine exemplo hoc factum. An nescis Carolum V. superiori sæculo, sponte cessisse Imperio, & fratri Ferdinando, qui ipso iunior erat, regendum commisisse? Cur, quod licuit in Imperio, non liceat in Bauaria? Sed video, quid te premat. Serenissimus Maximilianus, superioribus annis, Donauerdam occupauit; Catholicæ religionis exercitium restituit; Prædicantes vestros abire iussit. Hoc te malè habet. Hoc magnum scilicet Reipublicæ detrimentum est.

De Venetis.

39. **N**onò ais, Rempublicam Venetorum, ambitione & auaritia Iesuitarum, ad extremas difficultates nuper redactam esse. Mirus homo es. Videris mihi, paucis illis diebus, quibus libellum tuum effudisti, totum orbem Christianum obiuisse. Nam primum, ex insula vestra in vicinam Hollandiam deportatus es. Mox in Galliam excurristi. Inde in Lusitaniam & Africam delatus. Repente in Poloniā, Sueciam, Austriam & Batiariam deuectus. Denique, transmisso mari, Venetias

tias appulisti. Quælo te, quomodo id factum est? An idem tibi cuenit, quod olim Heliæ contigit, qui à spiritu Dei arreptus, in remotissima loca, quasi momento temporis, deferri solitus est? Credat hoc tuus Heliæus: ego certè persuaderi non possum. An fortè, per somnium hæc omnis tua peregrinatio peracta est? Hoc verisimilius. Nisi (quod aliquis suspicari possit) is, qui apud Iob loquitur; *Circuii terram, & perambulan eam*, te comitem itineris sui esse voluerit. Nolim hoc asserere.

40. Sed ad rem. Ais Venetos, *Ambitione & auaritia Iesuitarum, ad extremas difficultates fuisse nuper redactos*. Et sine dubio, loqueris de lite, quæ inter Venetos & Pontificem fuit orta. Sed bis peccas. Primo, quia cum lis illa sopita sit, tu illam tuo flabello resuscitare non debes. Hoc seditionorum hominum est; & ab illo spiritu solèt inspirari, qui dormientibus aliis, in medio tritici superseminat zizania. Nosti quem dicam. Secundo, falsum est, item illam, Iesuitarum ambitione & auaritia fuisse excitatam. Extant acta vtriusque partis: Volute & reuolue, quoties lubet: Non inuenies culpam apud Iesuitas; nisi in tuo cerebello.

De Anglis.

41. Ecimò ais, *Proditores in Anglia, consilio & sacramento Iesuitarum, conatos esse Regem cum tota familia è medio tollere*. Proditionem non probo. At Iesuitarum consilio subornatam esse, fabula est, quām multi refellerunt. Tu nondum refellisti, quod fratribus tuis Caluinistis obiicitur, conatos fuisse, serenissimum Regem vestrum in utero materno extinguere, antequam lucem aspexisset. Nec unquam refelles, nisi Regem ipsum mendacij arguas. Ipse

enim de hoc crimine pridem eos accusauit. Si obli-tus es, audi. In præfatione Monitoria sic scribit; *Ego à Puritanis* (id est, Caluinistis) *non solum à natu-ita-te continuò vexatus fui*; verum etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem.

42. Hæc non libenter audis. Malles de Iesuitis, qui-bus præditione obiicis, audire aliquid. Sed quorsum? Si negem factum, non poteris probare. Et verò à Ca-tholicis negatum hactenus est: à vobis probatū nun-quam. Quid frustra tecum litigabo? Remitto te ad bonos authores, qui nullo sinistro affectu, sed solo ve-ritatis studio, rem totam publici iuris esse voluerunt. Eorum vox hæc est, totam accusationem, ex odio Ie-suitarum, à vobis confictam esse.

43. Et vide, quām parūm legitima sit accusatio. Ple-riique vestrum sic eam instituunt; Garnetus Iesuita au-diuuit confessiones eorum, qui fuerunt authores con-spirationis in Regem: Ergo in confessionibus factus est certior de eorum con spiratione. Ergo debuit mo-nere Regem de hac re: Non monuit. Dignus igitur su-pendio est: Et verò suspendatur. Tu sic instituis; Gar-netus Iesuita audiuuit confessiones eorum, qui fuerunt authores con spirationis: Ergo sciuit aliquid de con spiratione: Ergo consilio ipsius, cōspiratio facta est. Nam hanc particulam, *consilio Iesuitarum*, tu addis, quam alij prætermittunt.

44. Nec tua, nec aliorum valet consequentia. Tua hæc est; Garnetus sciuit aliquid de con spiratione pro-ditorum: Ergo consilium dedit, vt conspirarent. In-epitissimè. Perinde est, ac si dicas; Deus sciuit aliquid de con spiratione proditorum: Ergo consilium dedit, vt conspirarēt. Sic ex Caluini schola didicisti. Aliorum hæc est, Garnetus in sacramentali confessione intelle-xit factam esse con spirationem: Ergo debuit Regi si-gnifica

gnificare. Quin potius sic inferendum erat; Garnetus in sacramentali cōfessione intellexit factam esse con-spirationem: Ergo non debuit significare, sed secretō apud se seruare. Nescitis, quæ in confessione dicta sunt, sub sigillo dicta esse, & nullo modo (citra vo-luntatem pœnitentis) prodi aut manifestari posse? Nescitis, Deo potius, quam homini dicta esse? Nisi etiā in Deum accusationem institui posse arbitramini.

Nova accusationis capita.

45. **N**ondum est finis mendaciorum ac calumnia-
rum tuarum. Pergis eodem itinere, eadem
fronte, qua cœpisti. Quid ergo restat? Adducis noua
accusationis capita. Sed antequam illa percenseam,
quid hactenus à te effectum sit, obiter commemora-
bo. Summa eorum, quæ calumniosè effudisti, hæc est.
Primò, Iesuitas esse homines turbulentos, furiosos,
Reipublicæ noxios. Secundò, eosdem à Regibus &
Principibus in consilium adhiberi, & adhibitos esse,
præsertim à Sebastiano in Lusitania, Sigismundo in
Polonia, Ferdinando in Austria, Guilielmo in Bauaria.
Tertiò, hos ipsos Reges ac Principes, esse homines
intempestiuos, dementatos, sibi meti ipsi funestos, Reipublicæ detrimentoos. Est hoc, mi Richarde, Regum ac Princi-pum patrocinium suscipere, quod tu facere videri vis
Nemini persuaseris. Potius est, per latera Iesuitarum,
Reges ipsos ac Principes confondere. Si id negas, adi-gam te, ut reuoces, quod dixisti: Et quidem hoc di-lemmate; Reges illi ac Principes, quos nominasti, vel,
te Iudice, probi & prudentes sunt; vel improbi & im-prudentes. Si hoc posterius asseris, non patronus, sed
accusator eorum es. Si illud prius, etiam Iesuitas pro-

bos ac prudentes esse , affirmare debes , quod tanien negasti. Nam certè Reges & Principes, qui probi ac prudentes sunt , improborum ac imprudentium hominum consiliis uti non solent. Hic vide , quid respondeas.

46. An dicturus es, Reges illos ac Principes, de quibus sermo tibi est, probos quidem esse, sed non satis nosse malitiam & flagitia Iesuitarum ? Audio. Sed si illi non norunt, qui ipsis familiares sunt, quomodo tu nosti, qui vix unquam eos salutasti ? Et obsecro te, cur illi eos, quos tu nosti, non norint ? An non chartæ Prædicantium , quæ clamant noxios esse Iesuitas, æquè ad Regum & Principum , quam ad tuas aures deferri possunt ? Ne dubita. Sed narrabo tibi , quod res est. Norunt viri Principes , quotidie famosos libellos à vobis Prædicantibus spargi & eructari in Iesuitas; sed non credunt vobis. Sciunt , mentiendi ac calumniandi studio vos id facere. Sciunt, alios esse Iesuitarum mores; alios à vobis fangi & promulgari. Ex quo collige, quod opportunum hoc loco est, nullius fidei homines vos esse apud Magnates : Quia quantumuis clamosè vociferemini , Iesuitas esse improbos ac furiosos, illi vobis, etiā iuramento astruentibus, fidem non habent. Et quod mirum est , quos maximè vos vultis perditos & exterminatos , omni ope tuentur illi ac defendunt. Hæc vobis radix amaritudinis est, de qua supra querebaris : *Hic lapis offensionis & petra scandali.*

47. Si nescis , & hoc accipe. Inuictissimus Imperator Matthias; Potentissimi Reges Hispaniæ , Galliæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Hungariæ , Bohemiæ ; Recrendissimi & Illustrissimi Principes Electores, Siquidus Moguntinus , Lotharius Treuirensis , Ferdinandus Coloniensis; Serenissimi Archiduces Austriæ,

Duces

Duces Bauariæ, Lotharingiæ, Brabantia; Reuerendissimi & Illustrissimi Principes Imperij, Bambergensis, Herbipolensis, Paderbornensis, Monasteriensis, Hildesiensis, Spirensis, Wormatiensis, Argentinensis, Constantiensis, Augustanus; & quotquot præterea in Italia Principes sunt: Hi omnes, inquam, in suis Imperiis, regnis ac prouinciis, non modo admittunt Iesuitas, sed etiam fauore ac liberalitate prolixè eos prosequuntur. Nec curant vestras calumnias & mendacia, quibus obruere eos vultis. Imò cum necesse est, publicis testimoniis, edictis ac diplomatibus, illorum innocentiam tuentur, & vestras criminationes retundunt; quod non semel factum est.

I. ACCUSATIONIS CAPUT

48. **S**ed videamus nunc reliqua accusationis tuae capita. Primum est, *Iesuitis in Gallia & in omni regno, prepositum esse*, ut *Academicos omnes, vel maxime Sorbonicos, possessionibus suis iniuria pellant*, atque in eorum omnium fortunas longè latèque ac impunè dominantur. Vnde hoc scis? An ipsi suum propositum tibi aperuerunt? Non credam. An ex rumore Prædicantium audiisti? Sic opinor. Nam illorum calumnia est, Iesuitas auaros ac ambitiosos esse. Sed saepius refutata. Et quidem luculentissimè ab Henrico I V. Galliarum Rege, qui in oratione saepè citata sic habet; *Quod Iesuitæ sint ad rem attentiores, calunia est.* (Aduerte calumniator.) Et rursum; *Sane obstupesco, unde nā illis vitiū ambitionis affingitis.* Meritò obstupescit Rex. Et tu, mi homo, obstupesceres, si ratione vti velles. Nā Iesuitæ, quod nō ignoras, plerique honesto loco nati sunt: nec pauci inter illos,

ex nobilissimis Baronum , Comitum ac' Principum familiis oriundi. Quæ porrò insania esset , huiusmodi homines , cum sponte deseruerint opes ac dignitates , quibus in domo paterna augeri & cumulari poterant ; nunc in statu religioso , vbi paupertatis & modestiæ schola est , in alienas opes ac dignitates velle grassari ? Absit hoc à liberali indole , quæ in tali hominum genere esse solet. Sed vos, vestro pende vultis metiri alios. Vos,inquam , Prædicantes, qui domi pauperes & famelici , in Ecclesiasticorum bona & possessiones inuaditis ; Monasteriorum redditus ac fundos deprædamini,Sacerdotia , Prioratus & Abbatias , in vxorum & liberorum vestrorum usum conuertitis.Nostri cætera.

49. Et verò,ne hoc præteream , quis vnquam ex familia Baronum, vel Comitum , vel Principum repetitus est , qui in vestram Prædicanticam tribum transcribi aut transfire dignatus sit? Nemo,opinor : Aut, si aliquis , quis ille est? At plurimi tales , inter Iesuitas sunt. Ex iis aliquos recensebo. Ac primùm occurrit Pater Ignatius,è præcipua Cantabriæ nobilitate,Loiolani Comitis filius.Secundò,P.Franciscus Borgia,Dux Gandiensis. Terriò , P. Claudio Aquauia,Adriensis Ducis filius.Quartò,P.Rudolphus Aquauia,eiusdem nepos, & duorum Cardinalium frater. Quintò, Pater Antonius de Padilla,Adelantadus Castellæ. Sextò, P. Innicus de Gueuara , Bouini Dux. Septimò , P. Antonius Cordubensis, Ducis Feriæ filius.Omitto infinitos propè alios,qui ex nobilissimis Italiæ, Hispaniæ , Galliæ, Angliæ,Scotiæ,Belgij,Germaniæ, Poloniæ familiis oriundi,Iesuitarum Societatem amplexi sunt, & quotidie amplectuntur.

50. Audi rem lepidam,quæ in Polonia contigit , & nostro huic instituto accommodatam. Accepi ab homine,

mine, qui interfuit. Instructum erat solenne prandium, ad quod vocari viri Principes, tum Catholicæ, tum alterius religionis, non pauci. Ibi ut fieri solet, disceptatio de fide orta est. Qui doctiores habebatur, sua quisque proferebat. Astabat miles Catholicus, qui quod literis operam non dedisset, audiebat quidem, sed taccebat. Rogatus à quodam, festiuè magis, quam serio, quid ipsi de tota re videretur; respondit sine fuco, Catholicis se adhærere. Et quo argumento, inquit alter, probas, te recte id facere? Tum ille; Ego quidem, ait, literarum rudis sum, sed tamen, si bona vestra venia licet, dicam pro me, quod occurrit. Annuit iste, sicut & cæteri, qui assidebant. Hortantur hominem, ut pro se loquatur. Nec mora: Conuertit se primùm ad virum Principem alterius religionis, & sic eum affatur. Domine mihi, habes filios tres aut quatuor. Si unus ex illis Prædicantis officium obire veller, quid facturus essem? Ille, præ indignatione, stomachabundus respondit, malle se, ut quotquot haberet filios, in malam crux irent potius, quam ut quisquam tam infami nota familiam suam funestaret. Siluit aliquantis per miles, & mox ad alium Principem, qui Catholicus erat conuersus; Quid tu, inquit, de hac quæstione sentis? Si filius tuus Jesuitarum familæ se adiungeret, quo animo tu id ferres? Äquissimo, inquit ille: Et utinam Deus hanc mentem illi inspiret, ut tam laudabili Societati se adiungat. Tum miles; Nihil iam opus est, inquit, de religione amplius disputare. Audistis, qui Catholicam docent, in pretio esse; qui alteram, infames censeri. Secutus est risus & applausus: Et magno ludibrio, qui Prædicantibus fauebant, sublata mensa, discesserunt.

Si. Huc etiam spectat, quod memini, cum in Belgio adhuc adolescens essem, Vitum nobilem solitum esse

esse per iocum dicere, duo mala per nouam religionem
sublata esse, *morbos & flagitia*. Nam neque circumfora-
neos amplius, neque carnifices vispiā apparere: utroque
noui Euangelij præcones factos esse. Intelligis my-
sterium. Quām verē id dixerit, non dispuo. Hoc scio,
sæpe locum habere, quod in Prouerbio dicitur; *Iocan-
tem vera dicere, quid vetat?* Sed quia hæc bilem tibi mo-
uent, ad tuas calumnias & mendacia, quorum odore
vehementer video te oblectari, redeamus.

II. ACCUSATIONIS.

CAPUT

62. **I**gitur secundum accusationis tuæ caput est, *Ie-
suitas acriter persequi Sacerdotes Pontificios; & pu-
tare, suam salutem in sacerdotum ruina, suam gloriam in
sacerdotum infamia, suam fœlicitatem in sacerdotum cala-
mitate, positam esse.* Hic videris puerili quadam loquen-
tia calumniam exornare voluisse. Sed frustra. Nam
hoc quidem fugo, præsertim apud homines cordatos,
nihil efficies. Aliis argumentis opus est, si persuadere
vis. Et sane, nunquam persuadebis. Nam aliter res ipsa
loquitur. An non Iesuitæ palam tum editis libris, tum
publicis concionibus, acerrimè defendunt authorita-
tem Episcoporū, & totius ordinis Ecclesiastici immu-
nitatem tuentur? An non Parochis aliisque sacerdoti-
bus prolixè offerunt suam operam in excipiendis sub-
ditorum confessionibus, in habendis ad populum ex-
hortationibus, in instruenda per catechesin inuen-
te? An non erudiunt & promouent alumnos Princi-
pum, qui ad functiones Ecclesiasticas deputati sunt?
An non variorum ordinum religiosos, qui ad ipso-
rum scholas mittuntur, omni studio ac conatu, quo
par-

par est, iuuant, excitant, & ad maiora quotidie pietatis ac doctrinæ incrementa cohortantur? Nihil certius. Et extant passim exempla in Germania, Bauaria, Austria, Franconia, Belgio, alibi. Tu nihilominus tam malevolus es, vt hoc interpreteris, quasi Iesuitæ nihil aliud, quam Sacerdotum ruinam, infamiam, & calamitatem in votis habeant? Abi vipera. Nihil antiquius habent, quam illorum salutem, gloriam & fœlicitatem. Ac omnino dant operam, ut dignitas, splendor, & maiestas Ecclesiastica, quæ per hæreses collapsa videri poterat, pristino nitorि restituatur.

53. Sed quid moror in accusatione hac depellenda? In vestrum caput illa redundat. Vos hic rei ac nocentes estis. Vos, inquam, Prædicantes, qui ne nomen quidem Sacerdotis ad aures, sine stomacho, admittitis: qui in Anglia, Scotia, Hollandia, seuerissimis edictis, sacerdotes omnes proscribitis: qui illorum sacerdotia & prouentus Ecclesiasticos in spuria vitulamina absunitis. Et tamen, quasi viri boni essetis, totam hanc intuidiam in Iesuitas, qui innocentes sunt, detorquere, & vestram impudentiam quasi velo quodam obtregere satagit. Sed nemo, ut supra dixi, vobis credit.

III. ACCUSATIONIS

CAPUT.

54. **T**ertium accusationis caput est, *Iesuitas sumum dignitatis sua splendorem constituere in Regum coronis vel illudendis, vel labefactandis, vel transferendis, vel funditus delendis.* Iterum narras tua somnia, Richard. Sed tamen, de quibus Regibus hoc intel

intelligis? An de Rege Hispaniæ? At vos infensi illi estis, non Iesuitæ. Vos, ut verbis vestris utar, *omnibus omnium Euangelicorum armis*, ex regno suo expellendum esse decernitis. Vos coronam eius in Indiis illusam & labefactatam videre optatis. Vos in Hollandia, Phrygia, legitimam eius iurisdictionem excluditis. Vos denique passim conquerimini, potentiam illius, Iesuitarum studio ac industria, plus æquo quotidie excrescere.

55. An de Rege Galliæ? At iam supra monui, Regem Galliæ Henricum IV. cor suum Iesuitis tradi, & in illorum templo sepeliri voluisse, quod & factum est. An hoc voluisset, si suam coronam per Iesuitas illusam, deletam aut labefactatam aduentisset? Nihil minus. At cur vobis sectæ Caluinianæ Prædicantibus cor suum non credidit? Nimirum, ut apud Æsopum est, *terrebant illum vestigia*. Sciebat, quam crudeliter, quam ignominiosè, in corpus Francisci, & statuam Ludouici Undecimi, essetis olim in Gallia debacchati.

56. An de Rege Poloniæ? At ipsius corona quotidie crescit, magno Iesitarum applausu; non minore Prædicantium luctu. An de Regibus Daniæ & Sueciæ? At illi ipsi inter se nuper contendenterunt; & alter alterius coronam labefactare conatus est. Nec Iesitarum consilio id fecerunt. Utinam nec vestro.

57. An denique de Rege Britannia? Sed plus ille à vobis Prædicantibus sibi metuit, quam à Iesuitis. Et meritò. Adhuc meminit, quid sibi in Scotia, quid Serenissimæ Matri in Anglia acciderit à vestris Caluinistis. Vis repetam? Vestri Caluinistæ conati sunt illi vitam & coronam, cum adhuc in utero materno clauderetur, per summum scelus eripere: Matri verò, tē ipsa eripuerunt. Certè, si de una corona securus non fuit, quid nunc fiet, cum etiam altera insignitus est? An qui

qui vnam illi inuidistis, alteram non inuidebitis? Ca-
ueat sibi Rex. Notæ sunt Caluinistarum fraudes.

IV. ACCVSATIONIS.

C A P V T.

58. **Q**uartum accusationis tuæ caput est, Iesuitas
persuadere Regum subditis, se non tam Regum
suorum, utpote Papa & Vasallorum, quam Romani Pontificis,
supremi in temporalibus Domini totius mundi subditos esse,
Et iterum; Iesuitas in id iam vnicè incumbere, id enixè mor-
liri; ut Papa sit & agnoscatur totius mundi Dominus in tē-
mporalibus: Reges vero omnes nō fundi Domini, sed Papa & Va-
salli regnis suis pro arbitratu Pontificis exuendi. Post hæc
verba incipis exclamare in Iesuitas, & hortari Re-
ges Christianos, vt ipsos è suis regnis expellant. Sed
quid proficis? Nihil Reges Christiani, vt non semel di-
xi, vobis Prædicantibus non credunt. Imò hanc ipsam
calumniam quam inuidiosissimè obiicis, iam pridem
Christianissimus Galliarum Rex, Henricus Quartus,
in sua oratione, coram Senatu Parisiensi, refutauit his
verbis; *Quod Iesuite de Pontifice Maximo optimè sentiāt,*
eumq; reuereantur, id quog; ipse facio. Ac tamen non sum
nescius, nihil ab iis amplius de Summi Pontificis potestate di-
ei aut doceri, quam reliqui Theologi Catholicag; docet Ec-
clesia. Neque verò aliquid docent, quo Ecclesiastici mihi non
tribuant, quod est tribuendum. *Quid* clarius dici potuit?
aut quid aptius ad tuam criminacionem retundēdam?
Iesuitæ, inquit Rex, nihil amplius docent de potesta-
te Pontificis, quam reliqui Theologi & Ecclesia Ca-
tholica. Iam subsume, quod vis, & concludes, quod nō
vis. Si non potes iuuabo te. *Quæro* igitur, an reliqui
Theologi & Ecclesia Catholica bene doceant de po-
testate Papæ, an fecerū? Si bene, quid peccant Iesuitæ,

Opusc. Tom. IV.

Q

qui

qui idem docent? Si malè, cur solos Iesuitas in iniudicium vocas? Cur non similiter reliquos Theologos & Ecclesiam Catholicam, cum qua Iesuitæ consenserint, eadem accusatione perstringis? Sed nihil opus est hac dissertatione. Lege libros Iesuitarum, & vide, quid doceant. Lege, inquam, Bellarminum lib. 5. de Pontifice c.2. Ludouicum Molinam tractat.2. de iustitia disput. 19. concl. 1. Ioannem de Salas in tract de legibus disp. 7. sect. 4. & alios. Nihil inuenies pro tua calumnia.

Obiectiones in Becanum.

59. **E**T hactenus quidem in totum Iesuitarum ordinem debacchatus es. Nūc speciatim in me calatum stringis, his verbis; *Farina istius Iesuiticæ unus existit Becanus.* Verum est. Ego Iesuiticæ; at tu Prædicatricæ farinæ unus existis. Nec mihi hoc probro, ut tu putas, sed honori ducēdum esse interpretor. Nam farina Iesuitica, si nescis, ex puro tritico; at prædicantica, ex glandibus fabis & loliis collecta est. Et hæc quidem portatur à furibus, qui post tres dies suspendendi sunt; & volucres cœli ex ea comedunt (Gen. 40.16.) De illa verò prædictum est ab Helia 3 Reg. 17.14. *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Intelligenti pauca.

60. Sed tamen, quid habes contra Becanum? Hæc obiicis. Primo, quod variè sentiam de primatu Regio in temporalibus. Secundo, quod oppugnem primatum Regium in spiritualibus. Tertio, quod eundem primatum labore dissidijs Anglicani aspergere conatus sim. Quartò, quod hoc misere, false, frivole, pueriliter & scurriliter feci

fecerim. Quintò, quod nesciam, in quo consistat primatus Regius in Spiritualibus. Singula discutiam.

O B I E C T I O . I.

61. **P**rimò ergo sic obiicis; *Becanus in primatu Regio in temporalibus varius est. Nam in hoc libello (id est, in dissidio Anglicano) Paulum V. Pontificem & Bellarminum commendat, qui scriptis suis Roma buc transmissis, eundem oppugnarint: In illo autem contra Regis Præfationem Monitoriam, eidem his verbis suis fuit propitius; primatum in temporalibus quisque Rex in suo regno legitimè habeat.*

62. Respondeo. Scripsi varios libellos de primatu Regio. Tu duos ex iis citas: Alterum, qui inscribitur, *Dissidium Anglicanum de primatu Regio*: Alterum, qui inscribitur, *Serenissimi Iacobi Angliae Regis Apologia, & Monitoria Præfationis Refutatio*. In his duobus aīs me varium esse: Et in priori aliter sentire, quam in posteriori. Non ita est, mi homo. Ego varius non sum, sed tu ineptus es: Et quod rectè à me dictum est, tu sinistre interpretaris. In priori libello, commendaui Paulum Quintum Pontificem, & Bellarminum Cardinalem, non quod primatum Regium in temporalibus oppugnarint, ut tu falsò affirmas; Sed quod dixerint, Catholicos non posse salua conscientia prestare iuramentum fidelitatis, sub ea verborum formula, quā illis à Rege propositum est. Et causam addidi, quia in ea formula dicitur, Pontificem in nullo casu posse Regem, quantumuis flagitosum & Reipublicæ nocentem depонere. Hoc cum falsum sit, iuramento confirmari non potest,

63. In posteriori scripsi hæc verba; *Primatum in temporalibus quisque Rex in suo regno legitimè habeat*. Tu

putas hęc verba pugnare cum priori mea sententia: Nō pugnant: non magis, quām hęc duo inter se; Rex habet primatum temporalem in suo regno. Et, Rex potest priuari Primate temporali. Quis hoc neget? Ne vos quidem in Anglia. An non Serenissima Maria, Serenissimi Iacobi mater, habuit primatum temporalem in Scotia? Omnipotens habuit. An per vos, de facto, priuata non est? Nemo dubitat. An tunc, cum priuaretur, vestro iudicio pugnabant hęc duo inter se, *Regina habet primatum temporale*. Et, *Regina priuatur à nobis prima tu temporali*? Si tunc non pugnabant, quomodo nunc pugnant? Aut si vos non eratis tunc varij, quomodo in meliori causa me varium esse affiras? Repeto, quod dixi. *Tu ineptus es; Ego varius non sum.*

O B I E C T I O I I .

64. **S**ecundò sic obiicis; *Becamus primatui Regio in spiritualibus & Ecclesiasticis pertinaciter infestus aduersarius est. Respondeo.* Et tu primatui Apostolico in spiritualibus & Ecclesiasticis pertinaciter infestus es. Vter nunc rectius facit? Tu, qui aufers Apostolis & Episcopis, quod Christus illis dedit? an ego, qui non do Regibus, quod Christus illis non dedit? Audiamus argumenta vtriusq; partis. Ego pro Apostolis & Episcopis vrgo illud, *Actor. 20.28. Attende vobis & uniuerso Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos rege re Ecclesiam Dei.* Vos pro Regibus sic argumentamini; *Dictum est de Tiberio, Date Cesar, quae Cesaris sunt. Dicitum est de Herode, Dicite illi vulpeculae. Dicitum est coram Pilato, Ego sum veritas.* Quid concluditis? Hoc scilicet, Ergo Reges habent primatum Ecclesiae. Pudeat vanitatis & inscitiæ. Et tamen Tookerus vester in duello sic concludit,

O B I E C T I O III.

65. **T**ertiò sic obiicis, *Becanus cum primatum Regium in spiritualibus, suis scriptiunculis concutere non potuerit (neque enim ipsæ inferorum portæ eundem possunt euertere) Dissidij eum Anglicani labi aspergere, & tenebris offusis, quo minus appareat, obscurare conatus est. Respondeo. An meis scriptiunculis Primatum Regium in spiritualibus concusserim, iudicent illi, qui ab assentandi studio alieni sunt. Tu certè, qui Regis assentatores es, iudex esse non potes. Dissidium Anglicanum de primatu Regis, quod nuper euulgauit, nondum à te sublatum est. Scripsisti quidem Concordiam Anglicanam de eodem Primatu, sed quæ solo nomine Concordia est. Nam certè, tantum abest, ut sub prætextu concordiae sustuleris Dissidium Anglicanum, ut potius à te auëtum & confirmatum sit. Hoc infra ostendam. Quod addis, *Portas inferorum* nō posse Primatum Regium in spiritualibus euertere; non prudenter facis. Nam illa sententia de primatu Apostolico, nō de Regio, à Christo prolatæ est. Nec ullus tunc erat Primatus Regius in spiritualibus. Iam primùm in Anglia, nō um illud monstrum orbi Christiano, infelici portu natum est.*

O B I E C T I O IV.

66. **Q**uartò sic obiicis; *Sed quam id misere false, friuoile, pueriliter, scurriliterq; quasi fecit, Tractatus iste meus de concordia in primatu Ecclesiæ Regio Anglicanæ, faciet manifestum. Respondeo. Non possum aliam laudem à Prædicante expectare. Et vitio mihi vertendum esset, si à te laudari vellem. Sed tamen quam vera*

sint, quæ obiicis, examinandum est. Primò ais, me misere friuole & pueriliter scripsisse, quod scripsi. Si ita est, cur paulò post (nimirum in Præfatione ad Catholicos in Anglia) disertè fateris, me pulchre, astutè, & scienter id fecisse? Hæc non coherent. Aut quidopus erat tanto Heroe, quantus scilicet tu es, qui miseram friuolam & puerilem scriptionem refutaret? Addis, etiam falsò & scurriliter me scripsisse. An putas me vnum esse ex grege Caluinistarum, inter quos tu vnum es? Caluinistarum priuilegium est, mentiri & scurras agere. In meis libellis, quotquot scripsi, nulla scurrilitas, ut opinor, nullum mendacium demonstrari potest. In Caluino, Beza, Paræo, Græsero, Batauo, & similibus Nouatoribus, ista propudia quærenda sunt. Nec diu, & laboriosè quærenda: ubique obvia sunt.

O B I E C T I O V.

67. **Q**uintò sic obiicis; *Becanus, leuis armaturæ vix miles gregarius hæret in ipso limine, tò uen̄o μδυερ cum latet. Primum siquidem Ecclesiæ Regium ponit in potestate excommunicandi beneficia conferendi, & supremum fidei controversiarum Iudicem agendi. Respondeo. Si me conferam cum Scriptoribus Catholicis, qui hactenus vestros errores ac hæreses refellerunt, fateor me esse leuis armaturæ gregarium militem. Et hoc nomine, quam maximè gaudeo, quod Ecclesia nostra Catholica tam instructum ac ordinatum habeat exercitum in quo alij sunt cataphracti, alij leuis armaturæ milites: alij Duces seu Imperatores belli, alij in communem gregem redacti. Hic ordo apud vos non est. Singuli volunt esse militiæ Principes: nemō putat se aliis inferiorem esse. Nimirum hoc facit*

facit hæresis & superbia.

68. Sed tamen aduerto , nostros gregarios milites plus' negotij vobis facessere, quām velletis: Et qui Duces belli apud vos sunt (quales omnes esse vultis) vix vni ex nostris gregariis pares esse posse. Quantii Duces apud vos sunt, Episcopus Eliensis, Decanus Lichefeldensis, Richardus Thomsonius, Robertus Buthillus, Henricus Salcobrigiensis, & similes? Et tamen hi omnes, quantis possunt viribus, in me vnum, qui gregarius tantūm miles sum, vt tu affirmas, impetum faciūt. Nec fugio ex acie. Sto, stabōque , quamdiu spiritus hos reget artus.

69. Porrò , si tuo iudicio , gregarius miles ego sum, non video , quid sibi velint illa tua verba , quæ ibidem scribis ; *Primum Regium in temporalibus, Bellarminus; in spiritualibus, Beatus, ad conuellendum, Primarij à Papa designati & constituti sunt Emissarij.* Nam si ego cum Bellarmino Primarius sum, quomodo vix gregarium appellas? Aut, si vix gregarius sum , quomodo primarius esse possum? Mendacem oportet sui memorem esse, vt est in proverbio.

70. Quòd addis, hærere me in ipso limine, vide, quam verum sit. Potius dicā, mentiri te in ipso limine. Non enim, vt tu falsò mihi imponis, pono Primum Ecclesiæ Regium in potestate excommunicandi, beneficia conferendi, controversias fidei dirimendi. Nullum enim agnosco Primum Ecclesiæ Regium. Mera chimera est. Hoc solùm dico, inter vos Anglos diffidium esse, an illa potestas, quam recensui, pertineat ad Primum Ecclesiæ Regium, quem vos fingitis, nos repudiamus. Et ita res habet. Verè in hoc puncto diffiditis inter vos, vt ostendi in *diffidio Anglicano*, & alibi ostensurus sum.

Epilogus epistolæ Richardi.

71. **A**Tque hic est finis obiectionum tuarum cōtra Becanum. Deinceps, Epilogi loco, conuertis te ad serenissimum Regem, his verbis; *Iam vero, tractatus hic meus, licet minutus, utpote nouem dierum labore confectus, sub ala Maiestatis vestrae, Regio nomine, ve- lut numine tectus, gestit prodire; suppliciter ac demissè ro- gans Maiestatem vestram, ut primatum Ecclesiae Regium, quem nos arctè accuratèque defendimus calamo, vos dignemini sceptro propugnare, v. g. Aduersarios illi omnes per- ditè rebelles virga ferrea comminuere: in primis vero Jesuitas, qui huc haud pauci è transmarinis regionibus clancu- lum repentes, subditos vestros quamplurimos, venenato il- lius exotici ac heretici dogmatis poculo, de Primatu, Papa- li, infecerunt; utque latius serpent, & per omnes venas, ner- uos, arterias regnum vestrorum, sensim sine sensu dis- seminentur, nouam hanc, callidissimam, periculosisimam, & maxime compendiariam rationem, antiquus ille serpens, eo- rum mentibus iniecit, ut nouum erigerent sodalitum, quod Diuina Mariæ vocat, constans ex viris & mulierculis laicis, non tantum plebeis, sed etiam primaris nonnullis viris, etiā in Magistratu constitutis, quibus imponitur frequens con- fessio, qua secreta rerum publicarum & regnum expiscan- tur. Quod quidem nouum ac nuper institutum, in secta Je- suitica propagationem, in temporale totius mundi & abso- lutum Papæ dominium, in Regum denique ruinam verè Christianorum, affabre concinnatum, Pontifex confirmauit, & plenaria indulgentia adornauit.*

72. Hic est Epilogus epistolæ tuæ Dedicatoriæ ad serenissimum Regem, in quo tot vitia sunt, quot in malo scriptore esse possunt. Sunt autem hæc præcipua. 1. Rusticitas. 2. iactantia. 3. crudelitas. 4. calumnia.

5. men

73. mendacium. Rusticitas est, quod cum tota epistola sit dedicatoria ad serenissimum, ne semel quidem, nec in principio, nec in progressu, honoris causa, Regem compellaueris; sed iam demum in Epilogo id facias. In exordio factum oportuit. Ibi aut salutandus Rex erat, aut captandæ benevolentiae loco, aliquid illi insinuandum. Tu tam præposterus fuisti, ut nulla vel reverentia, vel obsequij præmissa significatione, epistolam tuam à mendaciis & calumniis ordiri volueris; & tandem in fine, omnem illam mendaciorū & calumniarum cloacam, in sinum Regiæ maiestatis effundere. Parum vrbane.

73. Iactantia est, cum addis; *Nos Primatum Ecclesiæ Regium arctè accuratèque defendimus calamo.* Sine dubio, alludis ad illud ex Fabulis; *Nos poma natamus.* Nam fabulis video te oblectari. Ad marginem notari poterat; *Hic author commendat seipsum.* Sed tamen, quam tu accuratè id feceris, postea videbimus. Nunc solum moneo, prodigiosæ cuiusdam iactantiæ signum esse, cum ita loqueris. *Becanus misere, falso, friuole, pueriliter, scurriliter scribit. Ego arctè & accuratè.*

74. Illud porro crudelitatis argumentum est, quod tam serio hortaris serenissimum Regem, ut omnes, quotquot non agnoscunt Primatum Ecclesiæ Regium, id est, omnes Catholicos, *virga ferrea comminuat.* Itanne, mi Richarde, qui Euangelij Christi præco esse vis, optas omnes Catholicos ferro trucidari? Agnosco spiritum Caluinisticum, sanguinarium, virulentum. Similem notaui in Tookero vestro, qui & ipse florentissimum Principem Henricum, serenissimi Regis primogenitum, in suo Duello, ad similem carnificinam cohortatus est.

75. Calumnia duplex est. Una, quod doctrinam de Primatu Pontificis, *venenatum exotici & heretici dog-*

matis poculum appellas. Altera , quòd assertis Sodalitium B. Mariæ Virginis ex instinctu diaboli erectum, in eoque primarios viros , & qui in Magistratu sunt, ascriptos esse. Ex priori sequitur, inuictissimum Imperatorem Matthiam , potentissimos Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ & Hungariæ Reges, serenissimos Austriæ, Bauariæ, Lotharingiæ, Brabantiaæ Archiduces & Principes, & quotquot præterea Primate Pontificis agnoscunt , hæreticos esse, & ex venenato poculo exoticum spiritum bibisse. Ex posteriori. Viros primarios, qui in Magistratu sunt, diabolico sodalitio mancipatos esse. Satin sobriè hæc scripsisti, mi homo ?

76. Mendacium triplex. Primum, Sodalitium B. Mettiæ Virginis nouum esse, ac nuper à Iesuitis institutū. Alterum, Iesuitas per illud Sodalitium moliri, vt Papa in totum orbem habeat absolutum dominium temporale. Tertium , Iesuitas in excipiendis confessionibus , scrutari secreta regnum & rerum publicarum. Hoc triplici mendacio obsignas epistolam tuam ad serenissimum Regē. Sed Rex facile aduertet signaturæ falsitatem. Et quis non aduertat? Ego memini, Sodalitatem B. Virginis ante annos 34. Horuissé Busciducis in Brabantia, cum nulli essent ibi Iesuitæ. Nam hi ante biennium istam urbem primum ingressi sunt. Nec tunc illius Sodalitij scopus erat, vt Papa haberet absolutum dominium temporale in totum mundum, vt tu inuidiosè comminisceris ; sed, vt ciues probi essent, & in vera fide ac religione constanter perseuerarent, quod etiam, magno vestro luctu & squalore, factum est. Porro, in confessionibus audiendis hoc agitur, vt conscientiæ ab omni scelere purgatae, facilius diuino scrutio mancipentur, & æterna fœlicitate post hanc vitam frui possint. Secreta regnum & rerum publicarum ad illud tribunal non spectant.

E X A M E N.

Præfationis ad Catholicos in Anglia.

Hactenus discussi Epistolam tuam Dedicatoria
Had Serenissimum Regem, & nullam ferè eius par-
tem prætergressus sum. Nunc vno tantum verbo, Præ-
fatio tua ad Catholicos discutienda est. Igitur in ea
Præfatione præter alia, hoc vnum præcipue occurrit
notatu dignum, quod per calumniam & mendacium
scribis, me de proditoribus usurpasse illud Apostoli,
Spectaculum facti estis Deo, Angelis & hominibus. Non
usurpaui de Proditoribus, sed de iis Catholicis, qui
propter fidem & religionem, vel in carceribus apud
vos detinentur, vel in exilium missi sunt, vel bonis om-
nibus ac fortunis spoliati, vel etiam martyrio affecti.
Nostri, qui sint.

E X A M E N.

Responsionis ad dissidium Anglicanum.

1. **H**actenus Epistola tua Dedicatoria cum Præ-
fatione examinata est, in qua nihil præter
mendacia & calumnias reperire potui. Venio nunc ad
id, quod controuersiae inter nos caput est, nimisrum,
ad concordiam tuam Anglicanam, vel potius, ad Res-
ponsionem, qua conaris dissidium Anglicanum, quod
vobis obieci, ad concordiam reuocare. In qua qui-
dem responsione, ut candidè dicam, quod sentio,
plus etiam, quam in Epistola Dedicatoria, videris
festinasse. Quo factum est, ut duo grauissimi erro-
res a te commissi sint. Vnus in citandis auctoribus.

Alter

Alter in augendo potius, quam tollendo dissidio. De
vtroque dicam.

Falsæ Richardi citationes.

2. **E**T quidem authores, qui à te citati sunt, adeò mala fide citati sunt, ut facile appareat, nunquam te ipsos inspexisse. Citasti Concilia, Patres, Ius canonicum, historicos, omne genus testium; sed ut plurimum prauè, oscitanter, distortè, ridiculè. Et quod mirum est, in solis quinque pagellis, plusquam viginti falsæ citationes notatae à me sunt. Aliquot earum recensabo, ex quibus, quid de cæteris sentiendum sit, facilis erit coniectura.

3. Igitur pag. 4. ex Gratiano dist. 9. cap. *Innocent.* citas Pontificem afferentem: *Sibi datam esse omnem potestatem, tam in celo, quam in terra.* Sed falsò. Nam dist. 9. nullus extat eiusmodi canon. Imò, percurre omnes distinctiones, quotquot apud Gratianum sunt, non inuenies. Extat quidem unus in secunda parte Decreti 22. quæst. 4. cuius initium est, *Innocens:* sed ibi nulla fit mentio eorum verborum, quæ à te citata sunt.

4. Ibidem ex Chrysostomo homil. 35. in Matthæum, citas hæc verba; *Quicunque desiderat Primum in terra, inueniet confusionem in celo.* Iterum falsò. Nam verba illa non habentur in Chrysostomo, sed in alio auctore, qui Chrysostomo coniunctus est. Nec prudenter à te citata sunt. Nam si nudè ea spectes, non minus contra Regem Angliæ, quam contra Pontificem, citari poterant. Nam sicut tu subsumis; *Pontifex desiderat Primum in terra: Ergo inueniet confusionem in celo;* Sic ego subsumam; *Rex Angliæ desiderat Primum in terra: Ergo inueniet confusionem in celo.* Si autem sensum spectes, qui reuera spectari debet, non faciunt contra

Prima

Primatū, sed contra ambitionem. Nam author distinguit hæc duo; Desiderare honorem Primatus, & consequi Primatū. De priori sic loquitur; *Primatū honoris concupiscere, vanitas est.* De posteriori sic; *Primatū autem consequi, indicij Dei est.* Loquitur autem promiscuè de utroque primatu, tam sacerdotali, quam Ecclesiastico, ut ex textu patet. Igitur sensus est, vanitatis arguendos esse, qui ambiunt Primatū honoris. Qui verò legitimè & sine ambitu consequuntur primatum, diuino iudicio consequi. Quis hoc neget?

5. Pag. 5. citas ex vita Bonifacij VIII. quæ habetur in sexto Decretalium, hæc verba; *Bonifacius VIII. per supplicationum solennia, Imperatoris habitu ornatus incessit. Corona aurea, Cæsar is in modum, redimitus, toga picta fulgens, strictoque iussu ipsius, prælato gladio.* Etiam falsò. Nihil tale ibi est. Sed nec in Platina, à quo constat totam vitam Bonifacij accuratè scriptam esse. Fortè, in fabulis Anglicanis simile aliquid reperisti. Sed illæ fidem extra Insulam non habent.

6. Pag. 7. citas ex c. *Cum inter nonnullos, in Extrauag. pag. 22.* hæc verba; *Reges & Imperatores, de iussu & voluntate Christi, à Papa accipiunt potestatem.* Nescio, magis falsò, an ridiculè. Falsò quidem, quia in illo capite, nihil tale habetur. Ridiculè verò, quia pro Extrauagante Ioannis 22. posuisti Extrauagantem Pag. 22. Et cum in sexto Decretalium habeantur hæc verba. *Extrauag. Cum inter, Ioann. 22. de verborum significatione:* tu ex membra inscitia & ignauia, supposuisti hæc; *Extrauag. Cum inter pag. 22.* An idem tibi est, *Ioannes, & pagina?* Certè pueri in citando ineptiores esse non possunt. Nisi alter proficias, Doctores canonici iuris, ad Baccalaureatum nunquam te admisuri sunt.

7. Pag. 8. citas ex Concilio Africano c 92. hæc verba;

Ad transmarina iudicia qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Vnde colligis, non licuisse tunc appellare ad Pontificem Romanum? At hactenus nullum vidi Concilium Africanum quod cap. 92. habeat huiusmodi verba. Et constat ex optimis authoribus, semper licitam & usitatam fuisse appellationem ad sedem Apostolicam. Vide Concilium Sardicense cap. 3. 4. & 7. & Honorium Imp. in Epist. ad Arcadium, quæ refertur in tomo primo Conciliorum, inter Epistolas Innocentij primi.

8. Ibidem ex Concilio Constantinop. 2. ca. 36. citas hæc verba Cypriani; *Nemo nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit.* At nec illa verba ibi reperiuntur; nec Cyprianus unquam interfuit ulli Concil. Constantin. Vbiique rufus & peregrinus es. Nullam temporum aut locorum cognitionem habes. Et repente Magister esse vis?

9. Ibidem adducis hæc verba; *Plenitudo potestatis Papæ superat omnem legem posituam:* Et sufficit, quod in *Papa sit pro ratione voluntas;* cum hac citatione; *Extra de constitut Ecclesiast. Sanctæ Mariæ, n. 9.* Iterum falsò & ridiculè. Nam neque illa verba habentur ibi; neque locū legitimè citalisti. Sic oportuit citare; *Extra, de Constitutionibus, c. Eccl. Sanctæ Mariæ,* Saltem, nunc aliquid addisce, ne semper in citādo puer ac ignavus videaris.

10. Ibidem ex Gratiano, 9. q. 3. *Neq; ab Augusto,* citas hæc verba; *Et si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, standum esset sententia Papæ.* Iura enim omnia in scrinio pectoris sui habere videtur. Nihil proficis. Richard. Adhuc semel docebo te. Debebas hoc modo citare; *Cap. Nemo iudicabit, 9. q. 3.* Nam initium capitis non incipit ab his verbis, *Neq; ab Augusto,* ut tu somnias; sed ab his, *Nemo iudicabit.* Nec tamen ibi reperiuntur verba à te citata.

11. Pag. 9. citas ex glossa dist. 19. cap. Si Romanorum. hæc verba; *Quod Papa approbat vel reprobatur, & nos approbare vel reprobare debemus. Quisquis ergo non obedit statutis Romana Ecclesiæ, hereticus est censendus.* At glossa non habet hæc posteriora verba. A te, nouo Glossatore, addita sunt. *Quanti autem momenti sint huiusmodi noui Glossatores in Anglia, non satis scio. Certè, extra Angliam nullius sunt.*

12. Pag. eadem, citas ex alia glossa, dist. 40. c. Si Papa, hæc verba; *Sacrilegij instar esset, disputare de facto Papæ.* Sed eadem fide, qua ante. Glossa non habet huiusmodi verba sed potius contraria. Sic enim disertè loquitur; *Si notorium est crimen Papæ, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, credo quod inde possit accusari.* Facilè apparet, te nec canones, nec glossas vidisse unquam. In fabulis melius versatus es.

13. Pag. 10. Ex beato Rhenano, qui scripsit annotationes in librum Tertulliani aduersus Præxeam, citas hæc verba; *Episcopus Romanus montaniꝫat, id est, sequitur hæresin Montani.* Iam toties te monui de mala fide. Sed videor oleum & operam in te perdere. Beatus Rhenanus in suis annotationibus non habet illa verba, sed hæc; *Rectissime egit Romanus Pontifex, qui illam confictam Montani prophetiam damnauit.* Quæ planè repugnant istis prioribus. Nisi in tua Grammatica idem valeant hæc duo, *Montaniꝫare, & Montanum damnare.* Sed scio, quæ terroris tui causa sit. Typographus, vel alius quispiam (præter annotationes Rhenani) posuit ad marginē libri Tertulliani quasdam notulas, quæ Lectori indicant materiam, de qua agitur. Itaque quodam loco posuit has duas voces, *Episcopus Romanus*, quia ibi sermo erat de Episc. Romano. Et paulo post, posuit separatim hæc. *Montaniꝫat,* quia scilicet Tertullianus defendebat ibi Prophetiam Montu-

Montani, quām Pontifex damnauerat. Tu, nulla habita ratione veritatis ac fidei, coniunxisti illas voces, hoc modo; *Episcopus Rom. montanizat. Pudeat imposturæ.*
 14. Pag. 11. ex Concil. Constantinop. act. 6. 13. citas hæc verba; *Anathematizari curauimus Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, quia in omnibus mentem Sergij securus est, & impia dogmata confirmauit.* Nec dum rectè citare didicisti. Sic oportuit, *Concil. 6. Generali, Act. 13.* Deinde sequeris fraudem & versutiam Græcorum, qui ex inuidia inseruerunt nomen Honorij, cum constet Honorium non fuisse ibi damnatum, ut ex Athanas. Bibliothecario & aliunde probat Bella. lib. 4. de Rom. Pont. c. 11,

15. Pag. 12. ex Gratiano, dist. 81. ca. *Si quis*, citas hæc verba Pontificis; *Qui præcepto nostro obedire noluerit (scilicet ad necandum Dominum suum Regemq; natuum) idolatriæ peccatum & paganitatis incurrit.* Non legisti hoc caput. Nec initium eius est. *Si quis, sed. Si qui.* Nec Pontifex ibi decernit, eum incurrire peccatum idolatriæ, qui non voluerit ipsi obedire in necando nativo Rege, ut tu nequiter calumniaris; sed presbyteros & diaconos, qui moniti non voluerint abstinere à criminе fornicationis; itēmque eos, qui huiusmodi presbyterorum & diaconorū, postquam Ecclesiæ introitus interdictus ipsis est, officium audire præsumperint Consule canonem & inuenies.

16. Ibidem ex Bellarmino lib. 4. de Roman. Pont. cap. 5. §. vltimo, citas hæc verba: *Si Papa præcipiteret vitium, aut prohiberet virtutem, Ecclesia teneretur credere, virtutem esse malam, & vitium esse bonum, Pessima fide.* Ballarmin. sic habet; *Non potest fieri, ut Pontifex erret, præcipiendo aliquod vitium, vel prohibendo virtutem; quia iuncerraret etiam circa fidem:* *Nam fides Catholica docet, omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum.* Si autem

autem Papa erraret, præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare. Ex hoc discursu patet, Bellarminum absolutè non affirmare id, quod tu illi affingis, sed sub conditione argumentari hoc modo: Dato vno absurdo, sequitur aliud. Si ergo demus vnum absurdum, nempe, Pontificem posse errare in necessariis præceptis morum, sequitur alterum absurdum, nempe, subditos debere credere erranti.

17. Omitto reliquos authores, qui in iisdem pagellis, & alibi falsò à te citati sunt, præsertim Cyprianū, Martinum Polonum, Æneam Sylvium, Conciliū Carthaginense, Hostiensem Panormitanum, Clementem plures alios. Quos certum est, nūquam te legisse. Quid putas dictum Serenissimum Regem, quando hæc intelliget? Qua fronte, quibus oculis aspecturus est tuū libellum, quem tot falsitatum criminibus infamem, ipsius Regiæ Maiestati, nullo veri aut honesti respectu, dedicasti? Meminisses saltem, quid in simili casu, Philippo Plessæo contigisset. Nosti, opinor, historiam. Aut si nescis, sicut pleraque alia nescis, verbo repetam. Plessæus superioribus annis scripsit Tractatum de Eucharistia. In eo plusquam 400. falsæ citationes ab Episcopo Ebroicensi, qui nunc Cardinalis est. Notatæ sunt. Et cum Plessæus tergiuersaretur, coram Christianissimo Rege, Henrico Quarto, publice de hoc crimine conuictus est. Sape alterius malo. Et certè si tuus libellus ad eam molem, qua Plessæi Tractatus est, seruata proportione ex crescere, non 400. tantum, sed 800. aut mille falsitates in eo reperiri possent. Nisi fortè alter rem institueres, quam hactenus coepisti.

DISSIDIVM.

QVAM ignauus & improbus fuisti in citandis auctoribus, tam infelix es in componendo Dissidio, & afferenda Concordia Anglicana. Nec mirum. non enim potest esse stabilis ac vera concordia, quæ nō nisi falsis tabulis ac testibus probari potest. Nec dissidiū tolli, sed augeri necesse est, cum à veritate receditur. Quod sanè tibi accidit. Nō sustulisti dissidium, sed auxisti. Id facile ostendam repetendo singula Dissidij capita, quæ alias à me posita sunt, & simul discutiédo, quid tu ad singula respondeas. Sunt autem hæc capita.

1. An Rex Angliæ habeat aliquem primatum in Ecclesiâ?
2. An Primatus ille sit Ecclesiasticus & spiritualis?
3. An Rex ab eo primatu vocari possit Primas Ecclesiæ?
4. An ab eodem vocari possit supremum caput Ecclesiæ?
5. An Primatus ille consistat in aliqua potestate vel iurisdictione Ecclesiastica?
6. An Rex, ratione sui Primatus, possit indicere concilia, & in iis præsidere?
7. An possit leges Ecclesiasticas condere?
8. An beneficia Ecclesiastica conferre?
9. An Episcopos creare & deponere?
10. An contumaces excommunicare?
11. An iudicem controveneriarum agere?
12. Vnde Rex habeat suum Primatum?

In his capitibus, vt alias ostendi extremè dissident Scriptores Anglicani, præsertim hi. 1. Sacellanus in Tortura Torti. 2. Guilielmus Toocker in Duello. 3. Richardus Thomsonius in Elencho refutationis Torturæ

turæ Torti 4. Robertus Burhillus in responsione pro Tortura Torti. 5. Henricus Solcolbrigiensis in refutatione examinis Becanici. An tu eos ad concordiam redegeris, breuiter inquirendum est.

I. CAPVT DISSIDII.

An Rex Angliæ habeat aliquem Primatem Ecclesiæ?

1. **P**rimum dissidium est de nomine *Primatus*. Ple-
rique admittunt hoc nomen. At Richardus Thomsonius malit *Suprematum*, quam *Primatum* appelle. Ratio ipsius est, quia *Primatus* significat potestatem eiusdem ordinis: At Rex in Ecclesia Anglicana non habet potestatem eiusdem ordinis cum Episcopis & Pastoribus, sed altioris ac diuersi ordinis. Ergo non habet *Primatum*, sed *Suprematum*. Verba Thomsonij, pag. 33. sunt hæc: *Nos in Anglico nostro idiomate belliores longè sumus, quam per inopiam Latinis sermonis, nobis Latinè esse licuit. Non enim dicimus, The Kings Primacie, Regis *Primatum*, sed, The Kings Supremacie Regis *Suprematum*. Quo vocabulo nos quoque deinceps utemur. Multum enim differunt *Primatus* & *Suprematus*. Illud enim potestatem eiusdem ordinis videtur significare, hoc non item.*

2. Hinc duo colligimus. Vnum est, omnes Anglos, qui vtuntur nomine *Primatus*, vel errare, vel impropriè loqui, si Thomsonio credimus. Nam si propriè loquuntur, cum *Primatus* propriè significet potestatem eiusdem ordinis, planè sentiunt, Regem habere potestatem eiusdem ordinis cum Episcopis & Prælatis Ecclesiæ. At hic, iuxta Thomsonium, error est. Vel igitur errant, vel impropriè loquuntur.

3. Alterum est , de re significata conie&eturam sumi posse ex voce significante. Vox *Suprematus* , noua & nuper inuenta est; incognita antiquis Patribus ; inusitata in Scripturis; orbi Christiano inaudita. Quid porro significat? Supremam potestatem Regis in Ecclesia. Et hæc igitur noua est. Sanè, si antiqui Patres , tam Latini, quām Græci agnouissent hanc potestatem reperissent aliquod saltem vocabulum , quo eam propriè expressissent. Id verò à nemine factum est.

Responsio Richardi examinatur.

4. **D**Vo hic obiicis, Richarde. Primo, hanc litem esse de nomine. Ita est. Nec aliud vrgeo. Nisi quod ego Dissidium; tu litem appelles. Igitur ex mea sententia , Angli dissident , ex tua, litigant de nomine Primatus. At si dissident & litigant , vbi Concordia est, quām promittis? Ni mirum, in ipso ingressu de concordia desperas. Et, si litem de nomine dirimere non potes, quid de re ipsa futurum est?

5. Sed tamen, si Thomsonium audis, hæc lis de nomine contemnenda non est. Nam qui aiunt Regem habere Primatum Ecclesiæ , significant habere Potestatem eiusdem ordinis cum Episcopis & Pastoribus. At hic magnus, non modo in voce, sed in re ipsa error est: Igitur non modo in voce, se in re ipsa errant qui ita loquuntur quid respondes ad hoc? Planè dissimulas.

6. Secundo obiicis, hanc meam consequentiam non valere: Thomsonius nouam vocem *Suprematus* excoxitauit. Ergo res ipsa noua est. Et similiter esse huic: Patres in Concilio Nicæno nouam vocem *Suprematus* excoxitarunt: Ergo res ipsa noua est. Hanc potius admitti posse: Vox *Iesuitarum* nuper inuenta est. Ergo Iesuitæ sunt nouitij. Vbique erras. Primo , quia falsò impo

imponis mihi illam consequentiā. Non dixi esse consequentiam, sed coniecturam. Secundò, quia tibi ipsi contrarius es. Nam ex vna parte negas hanc consequiam : *Vox Suprematus noua est* : *Ergo res noua est*. Ex altera, admittis hanc; *Vox Iesuitarum noua est* : *Ergo res noua est*. Si hæc valet, cur illa non valeat? Aut contra, si illam negas, cur hanc admittis? Tertiò, falsum est, vocem Iesitarum nouam esse. Tam antiqua est, quam vox Christianorum. Et utraque voce, idem significatur. Hoc supra monui. At Calvinistarum, Puritanorum, Geusiorum, Hugonotorum vox noua est. Quartò, ridiculum est, vnum Thomsonium conferre cum tot Patribus Concilij Nicæni, & quod his licuit, etiam illi licitum esse, affirmare. Esto, Patres illi, qui totam Ecclesiam repræsentabant, vnanimi consensu, & ex instinctu Spiritus sancti, excogitarint nouam vocem in negotio fidei ac religionis; an ideo quilibet priuatus homo, ex priuato cerebro, præsertim aliis aliter sentientibus, legitimè facere id potest? Nisi forte in eo sit apta comparatio, quod sicut Patres illi excogitarunt nouam vocem ὁμοσίᾳ, ad abolendam vocem ὁμεσίᾳ, quam Ariani vtebantur; sic Thomsonius excogitarit nouam vocem *Suprematus*, ad abolendam vocem *Primatus*, qua Rex Sacellanus, Burhillus & alij Academici vtuntur. Et rursum, sicut Patres Nicæni habebant omnes pro hæreticis, qui vtebantur voce ὁμεσίᾳ, sic Thomsonius habeat pro hæreticis, qui vtuntur nomine *Primatus*. At, quæ hæc concordia est? Immane potius dissidium.

II. CAPVT DISSIDII.

*An Primatus ille, quem rex habet in Ecclesia,
sit Ecclesiasticus & spiritualis?*

1. **S**vb Henrico & Edouardo, semper appellatus est Primatus Ecclesiasticus & spiritualis, vt patet ex Sandero de Schismate Anglicano, vbi sic habet; *Caluinus Henrici Primate Ecclesiasticum oppugnauit. Itē. Episcopus Roffensis, quod Henrici Primate Ecclesiasticum nollet confiteri, ad mortem producitur. Item, Multi in custodiis propter negatum Ecclesiasticum Regis Primate deteniti. Item, Henricus mandauit, vt filius in fide Catholica educaretur, excepto Primatus Ecclesiastici titulo, quem ei reliquit. Item, Stephanus Vintonensis, Edmundus Londinensis Cutbertus Dunelmensis, Nicolaus Vigorniensis, & Datus Cestrensis Episcopi, timide restiterunt pueri Regis Primate spirituali: Imo impliciter subscripserunt.*

2. Sub Maria, quæ Edouardo fratri successit, sublatus est hic titulus in Comitiis Londinensibus, vt testatur Iacobus Thuanus lib. 9. Historiarum sui temporis his verbis; *Antiquatus iisdem Comitiis, Primatus Ecclesiastici titulus.* At sub Elisabetha iterum restitutus est, vt refert idem author lib. 15.

3. Hoc tempore, sub Iacobo, in controuersiam vocatur. Aliqui non audent appellare Primum Ecclesiasticum & spiritualem, sed Primum quoad Ecclesiastica & spiritualia. Inter quos est Sacellanus Regis in Tortura Torti, pag. 90. Vbi sic habet; *Neque vero quoad spiritualia, aliū nos Regi Primum tribuimus, neque quoad temporalia, alium Pontifici detrahimus, quam debemus. Prior ille, Regibus omni iure, posterior hic, Pontifici nullo iure debetur. Ego, cum primū legerem hæc verba*

Sacellani,

Sacellani, putabam illum pro eodem usurpare hæc duo, *Primatus spiritualis*, & *Primatus quoad spiritualia*. Et similiter hæc duo, *Primatus temporalis*, & *Primatus quoad temporalia*. At defensores & interpres Sacellani, Thomsonius & Burhillus, aliter sentiunt. Sic enim de hac re scribit Burhillus, pag. 55. *Non dicit (Sacellanus) Primatum spiritualem, sed Primatum quoad spiritualia, deberi Regibus omni iure*. Et pag. 133. in fine; *Etsi enim Regi tribuimus Primatum in Ecclesiam, non tamen Primatum spiritualem aut Ecclesiasticum ei tribuimus, sed potius Primatum quoad res & personas spirituales & Ecclesiasticas*. Et Thomsonius pag. 31. *Non dixit (Sacellanus) Primatum Ecclesiasticum aut spiritualem, quasi formaliter intelligat; sed quoad spiritualia, id est, obiectuè & materialiter*. Quo sensu idem author, pag. 95. ait; *Diximus Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiastice*.

4. Igitur, si quæras in Anglia, an Rex habeat Primum Ecclesiasticum, necne? Respondebitur hoc modo: Henricus, Edouardus & Henricus habuerunt Primum Ecclesiasticum; Iacobus autem habet Ecclesiasticum, sed solum, quoad Ecclesiastica. Ergone minus hic habet, quam illi habuerunt? Sic apparent. Ergone tam breui interuallo accisus & imminutus est *Primatus Regis in Anglia?* Ita aiunt. Ergone prope interitum est? Non dubito. *Quid causæ?* Audi ex triuio; *Quod citò fit, citò perit*. Audi ex sacro Codice; *Si est ex hominibus consilium, hoc aut opus, dissoluetur*. (Act. 5. 38.)

Responsio Richardi examinatur.

5. **H**ic tria respondes. Primò, *Primatum Regium sub Henrico, Edouardo, Elisabetha, Iacobo, vnum*

& eundem semper, fuisse, esse, & fore. Secundò, ab hoc Primatu posse Regem, iure diuino, vocari supremum caput Ecclesiæ, indicere Concilia, leges Ecclesiasticas condere, Pontifices etiam summos constituere & deponere. Tertiò, eos qui negant hunc Primatum Regis esse Ecclesiasticum & spiritualem, hoc tantum velle, quod Rex non possit ea exequi, quæ propriè sunt Sacerdotum, sed ea tantum, quæ Regum. Singula discutiam.

6. Igitur primò dicis, Primatum Regium sub illis Regibus, vnum & eundem semper fuisse, esse, & fore. At contrarium ego ostendi. Nam sub Henrico, Edwardo & Elisabetha, fuit spiritualis & Ecclesiasticus; iam sub Iacobo, non est. Qualis post Iacobum futurus sit, non possum augurari. Tu quidem affirmas, vnum & eundem fore, qui nunc est, & hactenus fuit; sed de futuris contingentibus, ut Philosophi loquuntur, non est determinata apud nos veritas. Nec vaticinium tuū fidem apud nos meretur. Valeat apud Prædicantes Angliæ, quantum potest; extra Angliam, fabula est.

7. Secundò dicis, Regem Angliæ, ratione sui Primatus, vocari posse supremum caput Ecclesiæ, indicere Concilia, leges Ecclesiasticas condere, Pontifices etiam summos constituere & deponere. At hæc partim negantur ab Anglis scriptoribus, quos ad concordiam reuocare vis, partim noua figmenta sunt. Certè Tookerus & Burhillus, nullo modo admittunt, Regem vestrum appellari posse caput Ecclesiæ, vt infra ostendam. Igitur ab illis apertè dissides in hoc puncto. Vbi ergo Concordia? Larua duntaxat est. Quod addis, eundem Regem posse etiam summos Pontifices constituere & deponere, figmento simile est. Nemo ante hoc dixit. Nec ipse Rex ausit sibi hoc arrogare. Quid enim iuris aut potestatis habet Rex Angliæ extra suum regnum, vt Romæ vel alibi constituantur

summum Pontificem, qui præsit toti orbi Christiano? aut, posteaquam constitutus est, ab officio iterum deponat? Audi, quid ipse de hac re sentiat, post finem præfationis Monitoriæ, vbi ad Lectorem ita scribit: *Mihi decretissimum est, rebus alienis me non immiscere.* Et paulò post; *Absit à me, eos ut iudicem, quos Deus à iurisdictione mea voluit esse immunes.* Eos autem censet immunes, qui extra ditionem ipsius sunt.

8. Tertiò dicis, eos qui negant Primatum Regis esse spirituale & Ecclesiasticum, hoc tantum velle, quod Rex non possit ea exequi, quæ propriè Sacerdotum, sed quę Regum sunt. At sic non tollis dissidium, sed auges. Nam si hæc duo idem valent, *Rex non habet Primatum Ecclesiasticum, &c., Rex non potest exequi, quæ propriè Sacerdotum sunt,* ut tu supponis; necesse est, eos qui vnum concedunt, etiam alterum concedere; & qui vnum negant, etiam alterum negare. At aliqui concesserunt Henricum & Edouardum habuisse Primatum Ecclesiasticum, ut supra ostendi. Ergo etiam concesserunt, potuisse ea exequi, quæ propriè sunt Sacerdotum. Et nunc aliqui negant, Iacobum habere Primatum Ecclesiasticum: Ergo etiam negant, posse ea exequi, quæ propriè sunt Sacerdotum. Ergo manet dissidium. Si autem illa duo non idem valent, falsa est tua concordia. Si denique tibi idem valent, aliis diuersa sunt; iam inter te & alios dissidium est. *Quocunque te vertas, non appetet concordia.*

9. Sed esto; Consentiant Angli in eo, quod Rex non possit exequi, quæ Sacerdotum, sed quæ propriè Regum sunt; adhuc lis sublata non est. Nam de hoc ipso puncto, quænam scilicet propriè Regum sint litigant inter se Angli. Alij affirmant hæc esse, conuocare Concilia, sancire leges Ecclesiasticas, creare Episcopos & Pontifices. Alij negant. Igitur in re ipsa ma-

net dissidium, nec modus loquendi, in quo videntur conuenire, idem apud ipsos significat.

III. CAPVT DISSIDII.

*An Rex à suo Primate posse vocari
Primas Ecclesiæ?*

1. **H**enricus Salcolbrigensis simpliciter affirmat. Sic enim scribit pag. 140. *Dico Regem Angliae, Ecclesiæ Anglicanæ Primate esse. Imò tam certum & indubitatum hoc esse vult, ut putet peccare contra publicam professionem Anglicanam, qui id neget.* Nam pag. 177. sic habet; *Anglia Regem, Anglicanæ Ecclesiæ Primate esse, in professione publica Anglicana veritatis sacris literis nixa ponitur.*
2. Tookerus & Burhillus simpliciter negant. Sic enim habet Tookerus pag. 3. *Olere autem malitiam, & clamitare audaciam tuam illud videtur, cum Regem caput Ecclesiæ Primateque configas.* Et Burhillus pag. 133. *Nec Primate quidem omnino Regem nostrum dicimus, multo vero minus Primate Ecclesiasticum.*
3. Hinc formo duplex argumentum. Alterum ex Tookero, in hunc modum; *Qui dicit, Regem esse Primatem Ecclesiæ, audax & malitiosus est: At Henricus Salcolbrigensis dicit Regem esse Primatem Ecclesiæ: Ergo audax & malitiosus est.* Alterum ex Henrico, hoc modo; *Qui negat Regem esse Primatem Ecclesiæ, peccat contra publicam professionem veritatis in Anglia receptæ: At Tookerus negat Regem esse Primatem Ecclesiæ: Ergo peccat contra publicam professionem veritatis in Anglia receptæ.* Nimirum, sic mulus mulum scabit.

4. Sed quæri potest, vter rectius sentiat in hac re, Salcolbrigiensis, qui affirmat Regem esse Primatem Ecclesiæ; an Tookerus, qui negat? Hæc lis pendet ex alia quæstione, an scilicet hæc duo nomina, *Primas*, & *Primatus*, sint necessario connexa seu coniugata? Salcolbrigensis putat necessariò cōnexa esse. Igitur, quia semel dixit, Regem habere Primum Ecclesiæ, consequenter affirmat, Regem esse Primatem Ecclesiæ. Valet enim apud ipsum, hoc argumentum à coniugatis: *Rex habet Primum: Ergo Rex Primas est.* Sicut & istud: *Sacellanus habet Episcopatum: Ergo Episcopus est.*

5. Tookerus contra sentit. Nam pag. 6. disertè ait, Regem habere quidem Primum Ecclesiæ; non tamen esse Primatem Ecclesiæ. Et è contrario, Archiepiscopum, Cantuariensem non habere Primum Ecclesiæ; sed tamen esse Primatem Ecclesiæ. Igitur negat has duas consequentias à coniugatis. 1. *Rex habet Primum: Ergo Primas est.* 2. *Archiepiscopus est Primas: Ergo Primum habet.* Fortè & has negaret: 1. *Sacellanus habet Episcopatum: Ergo Episcopus est.* 2. *Tookerus Decanus est: Ergo Decanatum habet.*

Responsio Richardi examinatur.

6. **H**ic primùm, duo mihi obiicis. Deinde, Tookeri & Burhilli mentem ex iuramento ipsorum interpretaris. Denique, ex dissidio concordiam moliris. At nihil horum rectè. Hæc igitur mihi obiicis. Primo, asinum me esse, qui dicam Anglos in hoc punto dissidere. Secundo, me mihi ipsi repugnare. Nam hoc loco distinguere inter Primatem & caput Ecclesiæ; alibi pro eodem sumere. Audi Richard. Si asinus sum, quid tecum contendis? An cum solis asinus lutari didicisti? Putas, opinor, cum aliquo Prædicante nego

negotium tibi esse. Non sum ex illa tribu. Nec repugnantia in me inuenies. Non enim distingo inter Primatem & Caput Ecclesiæ, ut tu vis; sed ostendo. Anglos de viroque inter se dissentire, quod verissimum est. Nam, alij affirmant, alij negant, Regem esse vel Primatem, vel Caput Ecclesiæ.

7. Porro, quid Tookerus & Burhillus sentiant, aut sentire debeant de hoc punto, colligis ex ipsorum publica professione & iuramento. Ais utrumque *palam professos esse, subscriptisse, iurasse, Regem esse unicum supremum Gubernatorem in rebus omnibus Ecclesiasticis, & supra omnes personas Ecclesiasticas in regno Angliae.* Sit ita. At ego non quæro, quid de supremo Gubernatore professi sint, aut iurauerint; sed quid scripserint de Primate Ecclesiæ, seu, quid scripserint de hac quæstione, An Rex possit vocari Primas Ecclesiæ? Utique scripsit, non posse. Utique contrarius est Henricus, qui scribit, posse. Igitur inter illos dissidium est.

8. Hoc tamen dissidium sic putas componi posse: Tookerum & Burhillum, qui negant Regem esse Primatem Ecclesiæ, non negare eo sensu, quo id affirmat Henricus, sed sensu Papistico, id est, negare Regem esse Primatem Ecclesiæ sacerdotalem. Falsum est. Nam verba Burhilli sunt hæc: *Nec Primate quidem omnino Regem nostrum dicimus; multo vero minus Primatem Ecclesiasticum.* Igitur Burhillus non tantum negat Regem esse Primatem Ecclesiasticum & sacerdotalem, sed omni modo ac sensu negat. Quod etiam aliunde poteras colligere. Nam Tookerus & Burhillus, locis citatis, contra me disputant. Igitur eo sensu negant Regem esse Primatem Ecclesiæ, quo ego dixeram, Regem usurpare sibi Primum Ecclesiæ. Nam si alio sensu negent, non rectè me oppugnant. At ego non dixeram. Regem usurpare Primum Ecclesiæ sacerdotalem.

talem. Imò contrarium dixeram. Verba mea, in refutatione Apologiæ Serenissimi Regis, sunt hæc; *Certum est, Regem non vendicare sibi potestatem ordinis, multo minus in ea superiorem esse Episcopis & Pontifice.* Et postea subiungo, Regem usurpare sibi Primum Ecclesiæ, quoad gubernationem exteriorem. Et hoc sensu, velle esse Primatem seu Caput Ecclesiæ. At Tookerus & Burhillus apertè id negant. Henricus affirmat. Manet ergo dissidium. Imò auctum est. Nam antea consistebat inter Henricum, Tookerum & Burhillum; nunc etiam inter te & ipsos. Nam aliter interpretaris mentem Tookeri & Burhilli, quam ipsi velint.

IV. CAPVT DISSIDII.

An Rex à suo Primitu posſit vocari supremum caput Ecclesiæ.

1. **H**ic titulus primum usurpari cœpit sub Henrico VIII. vt testantur passim authores, tam aduersarij, quam nostri. Sic enim scribit Iacobus Thuanus, lib.1. historiarum sui temporis; *Henricus post diuortium, se caput Ecclesiæ constituit.* Et Polydorus Virgilius libro 27. historiæ Anglicanæ; *Interea, post diuortium, habetur Concilium Londini, in quo Ecclesia Anglicana formam potestatis nullis ante temporibus visam induit.* Henricus enim Rex, caput ipsius Ecclesiæ constituitur. Et Genebrardus lib.4. chronologiæ; *Henricus anno 1534. in publicis comitiis, se caput Ecclesiæ Anglicanæ appellavit.* Et Nicolaus Sanderus in schismate Anglicano; *Ex qua dicendi formula primam occasionem sumptam aiunt, ut Rex supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ diceretur.* Item, *Proponebantur eis nona Comitiorum decreta, & iubebantur iureurando affirmare, Regem supremum Ecclesiæ esse caput.*

Et

Et Caluinus c.6. Amos Prophetæ; *Qui tantopere extulerunt Henricum Regem Angliae, certe fuerunt homines inconsiderati. Dederunt enim illi summam rerum omnium potestatem; & hoc me grauiter semper vulnerauit. Erant enim blasphemi, cum vocarent eum summū caput Eccl. sub Christo.*

2. Eodem titulo usus est Edouardus, Henrici filius & successor, ut patet ex rescripto ipsius ad Thomam Crammerum, Archiepiscopum Cantuariensem, quod sic incipit; *Edouardus, Dei gratia, Angliae, Franciae, & Hiberniae Rex, supremum in terris Ecclesiae Anglicane & Hiberniae, tam in causis spiritualibus, quam temporalibus, caput, Reuerendo Thoma Cantuariensi Archiepiscopo salutem.* Eundem titulum tribuit illi Crammerus in Rescripto ad Episcopos sibi subiectos, ubi sic habet; *Thomae permissione diuina, Cantuariensis Archiepiscopus, per Illustrium in Christo Principem Edouardum Regem VI. supremum in terris caput Ecclesiae Anglicane & Hiberniae, sufficienter & legitime authorizatus, tibi Edmundo Londonensi Episcopo, & omnibus fratribus Coepiscopis, vice & nomine Regiae Majestatis, quibus in hac parte fungimur, mandamus, ut imagines ex Ecclesijs cuiusq[ue] Diocesis tollantur.* Et Sanderus in schismate Anglicano; *Quam primum usum est, Henrici VIII. mortem diuulgare, statim Edouardus Henrici filius, nonum etatis annum agens, Rex Angliae proclamatur & summum Ecclesiae Anglicane in terris caput, proxime secundum Christum constituitur.*

3. Elisabetha, tametsi fœmina esset, non tamen putauit inferiorem se esse patre & fratre, in hac re. Itaque & ipsa supremum Ecclesiae Anglicane caput appellata est. Sic enim de ea scribit Iacobus Thuanns libro 15. historiarum sui temporis; *Elisabetha, recepta a patre & fratre titulo, Ecclesiae caput per Angliam cœpit appellari.*

4. At hoc tempore, sub Iacobo, periclitatur hic titu

titulus. Admittit quidem illum Sacellanus in Tortura Torti; sed Tookerus & Burhillus repudiant. Verba Tookeri, quæ paulò ante citaui, sunt hæc; *Olere autem malitiam & clamitare audaciam tuam videtur illud, cum Regem caput Ecclesiæ, Primatémque configas.* Similiter Burhillus, pag. 133. reprehendit me, tanquam scurram, petulcum & audaculum, quòd dixisse, Regem Angliæ velle esse caput, pastorem & Primatem Ecclesiæ Anglicanæ.

5. In hoc dissidio, quid agat Rex? si admittit titulum *supremi capitatis Ecclesiæ* in Anglia, murmurabūt Tookerus & Burhillus: si respuit, quid dicet Sacellanus? Fortè sopiri hæc lis poterit, si Rex, ut Sacellano dedit Episcopatum Eliensem; ita Tookero & Burhillo duos similes largiatur. Tunc facile, ne ingrati videantur, concedent Regi hunc titulum, & multo ampliorem.

Responsio Richardi examinatur.

6. **P**rimùm ais, hæc tria vocabula, *Caput, Primas, superius, Gubernator*, vnam eademque rem significare. Secundò, omnes Scriptores Anglicanos palam ac publicè profiteri, Regem esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ sub Christo. Tertiò, Tookerum & Burhillum, quando id negant, non negare eo sensu, quo allij id asserunt, sed eo sensu, quo Papistæ somniant Papam esse caput Ecclesiæ, nempe Sacerdotale. Hoc autem caput dicitur esse huiusmodi. Primò, *Cuius motione omnes subiecti sunt.* (Ex Cleméte Papa.) Secundò, *A quo in consortium individua unitatis assumpto, quasi quodā capite, dona sua Deus velut in corpus omne diffunderet.* (Cap. Fundamenta, de Electione & Electi potestate in 6.) Tertiò, *a quo omnes Episcopi descendunt, tanquam membra à capite.* (Ex Durando, de Minist. & ord. libr. 2.)

Quar

Quartò, *Quod potest omnia, quæ Christus potest.* (Ex Hostiensi, cap. quando.) Denique, *cuius Christique vnum est tribunal & consistorium.* (Ex Abbate, de Electione, cap. Venerabili.)

7. Accipio, quod primo loco dixisti, nomen *Capitis & Primatis*, eandem rem significare. At hinc cōcludo, falsa esse, quæ addis. Nam si nomen *Capitis & Primatis* eandem rem significant, necesse est, Tookerum & Burhillum eodem sensu, quo negat Regem esse Primatem Ecclesiæ, negare etiam esse caput Ecclesiæ. An non solum negant esse Primatem Ecclesiasticum & Sacerdotalem, sed omni modo ac sensu, ut euidenter paulò ante ostendi. Ergo similiter omni modo ac sensu negant esse caput Ecclesiæ. Nihil certius.

8. Et quid obsecro, dicturus es Sacellano, qui in Tortura Torti, pag. 331. sic scribit; *Monstrosum vero, corpus, cui plus uno sit capite.* Et infra, pag. 398. *Vnicum est caput vni corpori. Ecclesiæ vnum corpus.* Nisi bicipitem aquilam fingas, aut tricipitem Gorgonem, cui tot capita sunt, quot in mitra Pontificia corona. Christus ergo solus Ecclesiæ caput, non Papa. Ex quibus verbis sic concludo; Ecclesia Anglicana est vnum corpus: Ergo nisi monstrosa sit, habet vnum tantum caput: At caput illius, sine dubio, est Christus: Ergo vel Rex non est caput illius, vel certè habet duo capita, & sic monstrum est. Quid inquam, hic dicturus es? An Sacellanum loqui etiam de capite tantum Sacerdotali? Sed si de illo tantum loquitur, maius monstrum concedit in Anglia, quam apud nos. Nam magis monstrum est, si vnum corpus habeat duo capita diuersi generis; quam si duo eiusdem. Verbi gratia. Plus monstri est, si infans habet duo capita, alterum hominis, alterum canis; quam si utrumque hominis. Ergo, si Sacellanus putat, Ecclesiam fore monstrum,

sam si habeat duo capita Sacerdotalia , Christum & Pontificem ; multo magis censebit monstrosam , si habeat duo capita diuersi ordinis , alterum Sacerdotale , alterum alterius formæ , ac naturæ . Hoc autem fieret , si non solùm Christus , sed etiam Rex esset supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ . Si ergo omnes Angli , palam profitentur , ita rem habere , iam omnes profitentur , Ecclesiam Anglicanam monstrosam ac bicipitem esse .

9. Dices fortè , Sacellatum loqui de tota Ecclesia Christiana , non de aliqua eius parte , cuiusmodi est Ecclesia Anglicana . Esto . At sic non tollitur monstru , sed crescit . Nam si Ecclesia monstrosa esset , si ipsa tota constaret duobus capitibus totalibus ; multo magis monstrosa esset , si ipsa tota constaret uno capite totali , & singulæ ipsius partes constarent singulis capitibus partialibus . Hoc facile ostendi potest ex proportione corporis humani . Illud enim non solum monstrum esset si in toto trunco haberet duo capita totalia , sed multo magis , si in singulis membris , præter unum caput totale , haberet singula capita partialia , ut verbi gratia unum caput in pectore alterum in ventre , tertium in brachio , quartum in femore , & sic deinceps . Tale monstrum vos fingitis in Anglia .

10. Quæ porrò adducis de Capite Ecclesiæ Papistico , breuiter attingam . Primò citas illud ex Clemente Papa : *Cuius motioni omnes subiecti sunt .* Cur non addis locum , vbi Clemens hoc habet ? Nō vidisti , opinor , Clementem . Nimium festinasti . Deinde , non aduertis , in præiudicium Serenissimi Regis , id citatum à te esse ? Nā si Rex vester , ut tu affirmas , non est tale caput , cuius motioni omnes in Anglia subiecti sunt , consequens est , ex tua quidem sententia , non omnes in Anglia

obligatos esse parere Regi. Quod caue, ne dixeris. Nam modus ille loquendi: *Omnes subiecti sunt motioni capitinis, nihil aliud significat ex cōmuni hominum vsu,* quām omnes subiectos esse imperio sui Superioris. An tu igitur eximis aliquos ab imperio & motione vestri capitinis in Anglia? Fortasse te, & tui similes Prædicantes.

II. Secundò, citas ex Iure canonico truncata aliquot verba, quæ nec legisti ibi, nec intelligis. Ut intelligas, integra citabo. Sic igitur habent; *Huius muneric Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum voluit officium pertinere, ut in beato Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret;* ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Verba sunt Nicolai Pontificis. Continent autem tria puncta. Primum, quod Christus Sacramentum prædicationis Euangelij (nam de illo expressè loquitur Pōtifex) principaliter posuerit in Petro, quando per visum exhibuit illi vas quoddam velut linteum magnum, è cœlo submissum, *In quo erant omnia quadrupedia, & serpenta terræ, & volatilia cœli.* Et dixit illi; *Surge Petre, occide & manduca.* Actor. 10. 11. Alterum, quod virtutem & effectum Euangelij, voluerit à Petro tanquam à capite per prædicationem diffundi in gentiles, quod & factum est. Tertium, quod assumpserit Petrum in consortium individuæ unitatis, non ratione naturæ & substantiæ, ut tu falso imaginatis; sed ratione nominis ac dignitatis. Nam voluit illum vocari petram & fundamentum eiusdem Ecclesiæ cuius ipse petra & fundamentum est. Quid iam colligis hinc contra Pontificem? Nihil penitus. Solum prodis ignauiam & ignorantiam tuam.

12. Tertiò, citas ex Durando hæc verba ; *A Pontifice omnes Episcopi descendunt tanquam membra à capite.* Et negas, Regem Angliæ esse tale caput. Verè id quidem; Sed contra Academicos Anglicanos. Nam Episcopos descendere à Pontifice, tanquam à capite, nihil aliud apud nos est , quām accipere iurisdictionem fori exterioris à Pontifice. Ad secundum Academicos vestros , Episcopi in Anglia accipiunt huiusmodi iurisdictionem à Rege ut patet ex Duello Tookeri , pag. 64. & 304. Ergo secundum vestros Academicos, Episcopi in Anglia descendunt à Rege, tanquam à capite. Ergo tu dissides ab Academicis. Et tamen cōcordiam, specioso titulo, polliceris ? Reliqua , quæ ex Hostiensi & Abbe citas , nec bene citas, nec intelligis. Piget toutes monere, & nihil impetrare.

V. CAPVT DISSIDII.

An Primatus Regis consistat in aliqua potestate vel iurisdictione Ecclesiastica?

Hic magnum inter Anglos dissidium est. Nec facile intelligitur, nisi præmissa distinctione. Igitur potestas Ecclesiastica triplex est, vt docent Theologi. Vna ordinis ; altera iurisdictionis interioris : tertia iurisdictionis exterioris. Ad primam spectat Sacra menta confidere & ministrare: ad secundam, regere Ecclesiam in foro conscientiæ: ad tertiam, regere eandem in foro externo. Certum est, Regem , ratione primatus, non habere potestatem ordinis. Hoc fatetur Tookerus p. 14. cum ait ; *Reges non habent potestatem administrandi Sacra menta.* Certum quoque non habere iurisdictionem fori conscientiæ. Et hoc fatetur p. 63. *Omnis, inquit,*

iurisdictio in foro interiori, Sacerdotum est; nulla Regum.

2. Tota controuersia est, an habeat Rex iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. Hic litigant Angli. Aliqui affirmant; alij negant; alij distinguunt. Affirmat Tookerus, pag. 305. his verbis; *Qui habet plenissimam & amplissimam iurisdictionem in foro exteriore, potest eandem dare & auferre: Rex eam habet: Ergo potest eandem dare & auferre. Totum hoc liquet ex veteri & nouo Testamento.* Et Henricus Salcolbrigensis, pag. 140. *Reges sacro oleo uncti capaces sunt iurisdictionis spiritualis.* Et ibidem ex legibus Anglicanis; *Rex est persona mixta, utpote, qui & Ecclesiasticam & temporalem iurisdictionem habet; & quidem supremam.* Et p. 144. *Per leges Ecclesiasticas in hoc regno approbatas, unus Sacerdos duo beneficia habere non potest, nec Bastardus sacris initiari.* Verum Rex, Ecclesiastica potestate & iurisdictione, quam habet, in utroque dispensare potest.

3. Negant Thomsonius & Burhillus. Et quidem Thomsonius p. 80. sic scribit; *Primatus Ecclesiae non est definiendus per iurisdictionem Ecclesiasticam, sed per gubernationem supremam.* Et pag. 95. *Diximus Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiastice, quia scilicet non habet iurisdictionem Ecclesiasticam, sed duxat tempore. Burhillus vero, pag. 234. concedit hanc propositionem negatiuam; *Rex nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam, nec in foro interiori, nec in exteriori.**

4. Distinguit Episcopus Eliensis, apud Tookerum: pag. 305. his verbis: *Habet Rex omnem iurisdictionem spiritualem in foro exteriori, exceptis quibusdam censuris.* Igitur, ad hanc questionem, an Rex, quatenus est Primas seu Caput Ecclesiae, habeat aliquam iurisdictionem ecclesiasticam seu spiritualem fori exterioris, sic respondentum est. Primo, cum Tookero & Salcolbrigensi, *Habet amplissimam, plenissimam, supremam.* Secundo, cum

cum Episcopo Eliensi: *Habet aliquam non omnem.* Ter-
tiò, cum Burhillo & Thomsonio: *Nullam, nullam pe-*
nitus habet.

Responsio Richardi examinatur.

5. **D**upliciter respondes ad hoc dissidium, gene-
ratim & speciatim. Pro generali responsione
citas legem Anglicanam, quæ iam obtinet, his verbis; *Ea*
Ecclesiastica iurisdictio, que potestate aliqua spirituali vel
Ecclesiastica antea exercebatur, vel legitimè exerceri pote-
rat, ad visitandum statum & ordinem Ecclesiasticum, item
ad reformandum, in ordinem redigendum, & corrigendum
homines Ecclesiasticos, omnimodos errores, heresies, schismata;
imperiali huius Regni coronæ in perpetuum unita & anne-
xa est; qua Rex Angliae, plena potestate sua per literas suæ
patentes, possit assignare, & authoritate muniri eorum subo-
ditis eos, quos idoneos existimarit ad exequendum & exer-
cendum, sub sua Celsitudine, omnimodam iurisdictionem,
privilegia, præminētias ullo modo spectantes ad iurisdictionem
spiritualalem vel ecclesiasticam infra hoc regnum? Dein-
de, sic argumentaris; Omnes Angli Protestantes, in
iuramento Primatus, quod suscepérunt, palam te-
stantur, se propugnaturos omnem iurisdictionem,
*quæ coronæ regni Anglicani annexa est: At iurisdi-*cio Ecclesiastica, per legem iam citatam, annexa illi**

est: Ergo omnes palam testantur se iurisdictionem Regis ecclesiasticam propugnaturos. Omnes ergo, sine dissidio, agnoscunt Regem habere huiusmodi iu-
risdictionem.

6. In hac generali responsione supponis, legem An-
glicanam, quam citasti, intelligendam esse de Primatu
Ecclesiæ, ac proinde cum dicit *ecclesiasticam iurisdictio-*
nen annexam esse coronæ Regie, nihil aliud velle, quam

Primum Ecclesiæ annexū esse coronæ Regiæ. Quod etiam disertè affirmat vester Henricus Salcolbrigiensis, pag. 140. vbi ex eadem lege Anglicana, quam fateatur ab Elisabetha factam esse, conatur ostendere, Regem Angliæ esse Primatem Ecclesiæ Anglicanæ. Accipio, quod vltro offertis. At hinc colligo varia dissidia. Primum, inter legem iam citatam, & Thomsonium. Nam lex definit Primum Ecclesiæ per iurisdictionē Ecclesiasticā, ex vestra concessione. At Thomsonius expressè dicit, non esse definiendū per iurisdictionem Ecclesiasticā, ut supra ostendi: Ergo Thomsonius dissentit à lege Anglicana, quæ iam obtinet.

7. Alterum, inter eandem legem & Thomsonium. Nam lex dicit, Regem habere iurisdictionem Ecclesiasticam. At qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam, gubernat Ecclesiasticè, sicut qui habet politicam, gubernat politicè, cum sit par ratio. At hoc negat Thomsonius, pag. 95. cùm ait; *Diximus Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiastice.* Ergo hic rursum dissentunt.

8. Tertium, inter Sacellanus & Salcolbrigensem. Nam Salcolbrigensis ait, hanc legem ab Elisabetha factā esse. Ergo tunc primum Primatus Ecclesiæ unitus est coronæ Regiæ, cum antea unitus non esset. Ergo Primatus Ecclesiæ Regius, res noua est. At Sacellanus dicit esse antiquissimam, & iam inde à temporibus Mosis usitatam. Dissident ergo hi duo inter se.

9. Dices fortè, Primum Ecclesiæ iam ante sub Henrico V I I. & Edouardo unitum fuisse coronæ Regiæ; sed cum postea sub Maria separatus esset à corona, & Pontifici ac Episcopis restitutus, tandem ab Elisabetha, per legem iam citatam, iterum coronæ fuisse annexum. Quod insinuat Salcolbrigensi, pag. 141. Et videtur colligi posse ex ipsa lege, quæ sic habet;

bet; Ea Ecclesiastica iurisdictio, quæ antea (sub Maria) exercebatur vel legitimè exerceri poterat, potestate aliqua spirituali vel Ecclesiastica, nempe Pontificis & Episcoporum, &c. Hoc etiam accipio. Sed tamen, si ita est, Primatus Ecclesiæ Regius planè euertitur, quod sic ostendo. Si iurisdictio Ecclesiastica, seu Primatus Ecclesiæ (quæ duo idem hic valent, ex tua concessione) sub Maria exercebatur, & legitimè exerceri poterat à Pontifice & Episcopis; ergo tunc legitimè separatus fuit à corona Regia: ergo iure diuino non est vnitus coronæ Regiæ. Nam si iure diuino vnitus illi esset, non posset ab ea separari & legitimè exerceri. Hæc de prima tua responsione.

10. Speciatim vero respondes pro Burhillo & Eliensi. Pro Thomsonio sic; *Eam, quam leges Anglie vocant iurisdictionem Ecclesiasticam, Thomsonius vocaret potius supremam gubernationem.* Audi Richard. Thomsonius non dicit, Primatum Ecclesiæ potius vocari supremam gubernationem, quam iurisdictionem Ecclesiasticam, quasi utroque nomine vocari posset, ut tu interpretaris; sed simpliciter affirmat, nullo modo vocari posse iurisdictionem Ecclesiasticam. Sic enim scribit pag. 80. *Maior propositio falsa est.* (Nimirum hæc; Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam.) *Nititur enim fictitia & falsa definitione Primatus, seu Suprematus Ecclesiæ, qui non erat Becano per iurisdictionem Ecclesiasticam, sed per gubernationem supremam definiendus.* Igitur, ex sententia Thomsonij, falsum & fictitium est asserere. Primatum Ecclesiæ consistere in iurisdictione Ecclesiastica. At hoc asserit lex Anglicana. Ergo, secundum Thomsonium, assertio illius falsa & fictitia est. Hæc cinc vestra est concordia?

11. Pro Burhillo sic respondes; *Burhillus Regi omnem*

Ecclesiasticam iurisdictionem, in foro etiam exteriori, detrabit, nimirum sacerdotalem. Hic supponis, Sacerdotes ratione ordinis seu Sacerdotij habere aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. At hoc negat yester Tookerus, pag. 63. his verbis; Sacerdotum omnis iurisdictionis in foro interiori. Ergo, dum vis excusare Burhillum, dissentis à Tookero. Hoc non est componere dissidium, sed ut unum effugias, alterum seminare.

12. Pro Eliensi non aliter respondes, quam citando quædam ipsius verba ex Tortura Torti, pag. 151. præfertim hæc; *Nos Principi censuræ potestatem non facimus; in eoque plus multo Abbatissæ vos, quam nos Reginæ tribuimus.* At hæc verba, nec tollunt dissidium, nec vera sunt. Priorem partem dupliciter probo. Primo sic, Eliensis nullam agnoscit iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris, nisi potestatem censuræ, ut patet ex Tortura, pag. 41. At Rex non habet potestatem censuræ, iuxta verba eiusdem Eliensis à te citata: Ergo Rex nullam habet iurisdictionem fori exterioris. At hoc est contra Henricum, Tookerum, legem Anglicanam, & ipsum Eliensem. Nam Henricus & Tookerus dicunt, habere supremam, amplissimam, plenissimam. Lex Anglicana dicit habere omnimodā. Eliensis apud Tookerum dicit, habere aliquam, non omnimodam. Igitur repeto hanc quæstionem supra propositam. An Rex habeat aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori? Et respondetur his modis. Primo, cum Henrico & Tookero; *Habet amplissimam, plenissimam, supremam.* Secundo, cum lege Anglicana; *Habet omnimodam.* Tertio, cum Eliensi; *Habet aliquam, non omnem.* Quartò, cum eodem Eliensi, Burillo & Thomsonio; *Nullam, nullam penitus habet.*

13. Secundò sic; Scriptores Anglicani non faciunt Regi

Regi potestatem censuræ, iuxta verba Eliensis citata: At lex Anglicana facit illi potestatem censuræ: Ergo Scriptores Anglicani dissentient à lege Anglicana. Minor probatur, quia lex Anglicana tribuit illi *omnemodam potestatem & iurisdictionem ad corrigendos homines Ecclesiasticos*, ut ex verbis ipsius patet. Vnde sic concludo; Qui habet omnemodam potestatem corrigiendi Ecclesiasticos, habet etiam potestatem corrigiendi illos per censuram, quia hic modus corrigiendi per censuram, est præcipuus & maximè usitatus in extero foro Ecclesiastico. At Rex, iuxta legem Anglicanam, habet omnemodam potestatem corrigiendi Ecclesiasticos: Ergo etiam habet potestatem corrigiendi illos per censuram. Igitur in hoc punto dissidium est inter Scriptores Anglicanos & legem Anglicanam.

14. Posterior pars, quod scilicet verba Eliensis à te citata, non sint vera, facile probari potest. Nam falsum est, nos plus tribuere. Abbatissæ, quam vos Reginæ. Vos omnia tribuitis Reginæ, quæ Regi. Nam sicut Henricus VII I. & Edouardus, sic Elisabetha habuit apud vos Primum Ecclesiæ, & appellata fuit supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ. Hoc nos Abbatisse non tribuimus. Nec verum est, Abbatissam apud nos habere potestatem censuræ, quod Eliensis insinuat, & tu aperte affirmas in epistola Dedicatoria ad serenissimum Regem, his verbis; *Potestas excommunicandi apud Papistas, competit Abbatissis & Priorissis.* Et pag. 41. *Apud vos fæmina capaces & compotes sunt iurisdictionis spiritualis, Sacerdotalis vel Episcopalis; potestatis etiam clericos excommunicandi, absoluendi, visitandi, instituendi.* Hoc, inquam, verum non est. Abbatissæ apud nos, potestatem excommunicandi non habent, sicut Elisabetha apud vos habuit. Audi, quid de hac re sentiant nostri canones. Nam cap. *Mulierem, 33. quæst. 5.*

sic legimus ; *Mulierem constat subiectam dominio viri esse, & nullam autoritatem habere : nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec iudicare : quanto magis non potest imperare ? Hoc apud nos seruatur. At apud vos , Elisabetha habuit omnimodam potestatem iudicandi & corrigendi Ecclesiasticos , errores , hæreses, schismata : habuit imperium in clerum & populum: nulli, nulli penitus voluit esse subiecta.* Rursum, cap. *De Monialibus*, De sententia excommunicationis, sic legimus ; *De monialibus tua à nobis fraternitas requisiuit, per quem eis sit beneficium absolutionis impendendum, si vel in se iniucem, vel in conuersos & conuersas suas, aut clericos etiam manus iniecerint temere violentas? Super hoc igitur tue consultationi taliter respondemus, ut per Episcopum, in cuius diœcesi monasteria fuerint, absoluantur. Hinc colligunt Canonistæ, moniales excommunicatas, non posse absolui ab Abbatissa, sed ab Episcopo. Si absolui non possunt ab Abbatissa ; ergo nec excommunicari. Nam una eadémque potestas est , excommunicandi, & absoluendi ab excommunicatione. Et hoc in præxi apud nos seruatur. Vide Suarez tom. 5. d. 2. sectio. 2. & 3.*

15. *Quod tu addis, fœminas etiam sacerdotalis iurisdictionis compotes apud nos esse , nouum mendacium est, quod nec Tookero placet. Nam, ut ipse ait, omnis iurisdiction Sacerdotum est fori interioris. At fœminæ non habent ullam iurisdictionem fori interioris , ut etiam fatetur Eliensis loco à te citato, his verbis; Negantur fœminis, quæ ordinis sunt, vel interioris fori. Vbi- que dissensionem facis?*

VI. CAPVT DISSIDII.

An Rex propria authoritate possit Synodos indicere?

Sequitur dissidium de officiis Primatus Regij. Sunt autem sex officia, de quibus disputari potest. Primum, indictio Synodorum. Secundum, sanctio legum Ecclesiasticarum. Tertium, collatio beneficiorum. Quartum, creatio & depositio Episcoporum. Quintum, excommunicatio. Sextum, controversiarum decisio. Est ergo quæstio, an hæc officia pertineant ad Primum Regis? Dicam de singulis ordine.

2. Primò quæritur, an Rex, ratione sui Primatus, possit propria authoritate conuocare Synodos, & in iis præsidere? Hoc certo persuasum fuit tempore Henrici, Edouardi & Elisabethæ. Nunc sub Iacobœ controvenerit. Affirmat Salcolbrigiensis, pa. 121. his verbis; *Christiani Principes in regnis suis cum laude, propria authoritate Synodos conuocarunt, constitutiones condiderunt, causas audiuerunt & cognoverunt. Et p. 146. Rex Anglie potest Synodos indicere, & in iis præsidere. Et p. 155. Reges Angliae suprema sua authoritate, de iure, Synodos conuocarunt.*

3. Tookerus in hoc punto varius est, & nunc sibi ipsi, nunc aliis contradicit. Hoc patet ex variis eius testimoniosis. Primum habetur pag. 37. vbi sic ait; *A quibus magis æquum est indici Concilia, quam ab illis, penes quos semper fuit authoritas ea congregandi? Cum autem communiter triplex poni soleat Concilium, Generale, Provincialle & Diœcesanum; Concilium generale solius Papæ iussu celebrari vultis. Sed neque illud, nisi ab Imperatoribus & Regibus simul consentientibus, hodie indici debet. Provincialle à Metropolitano, cum suis Suffraganeis. Diœcesanum ab*

ab Episcopis cum Curatis, Rectoribus & Clericis Diocesanos.
 Ex hoc testimonio colligitur, Regem Angliae, nullum Concilium, propria autoritate, posse indicere. Non Generale, quia hoc pertinet ad communem consensum Regum & Imperatorum. Nec Provinciale, quia hoc pertinet ad Metropolitanum. Nec Diocesanum, quia hoc pertinet ad Episcopum. Quid ergo reliquum est Regi?

4. Alterum habetur, pag. 41. his verbis; *Abunde liquet ex Conciliis ipsis & historia Ecclesiastica, Provincialia Concilia & Nationalia ab Imperatoribus ac Regibus fuisse congregata. Hoc planè pugnat cum præcedente. Ibi assertitur, Concilia Provincialia indici à Metropolitanis: hic, à Regibus & Imperatoribus. Ibi distinguitur triplex tantum Concilium, Generale, Provincial, Diocesanum: hic, additur quartum, Nationale.*

5. Tertium habetur; p. 42. vbi proponit hanc quæstionem; *Quo igitur iure tantā sibi potestatem arrogat Pontifex solus? Num diuino? Et paulò post subdit; Erat Apostolorum omnium, non unius tantummodo, & indicere Concilium, & statuere cum verborum solennitate; Visum est Spiritui sancto & nobis. Quasi dicat; Iure diuino, non solus Petrus, sed omnes Apostoli, pari potestate, indixerunt Concilium Hierosolymitanum, & sancierunt legem de sanguine & suffocato. Ergo, similiter iure diuino, non solus Pontifex, sed omnes Episcopi, pari potestate, debent indicere Concilium, & sancire leges Ecclesiasticas. Sane, si ita est, omnino sequitur potestatem indicendi Concilia, non ad Reges & Principes saeculares, sed ad Apostolos & eorum successores, iure diuino pertinere.*

6. Quartum habetur, pag. 63. vbi ait; *Mixtum autem ius & resultans ex utroque, & iure Regio & Episcopali, est legum sanctio, & Synodorum indictio, & præsidendi in*

in iis prærogatiuæ , & controveriarum decisio , aliorumque actuum, qui his finitimi sunt, exercitium: quæferè ab origine Primatus Regij descendunt , & communicantur Sacerdotibus. Hoc iterum pugnat cum præcedente. Ibi dicitur, inductionem Synodorum , iure diuino , ad Apostolos pertinere. Hic dicitur , primario pertinere ad Reges , & ab illis ad Episcopos deriuari. Hæc non cohærent.

Responsio Richardi examinatur.

7. **H**ic tria præmittis , antequam componas dissidium. Ac primò dicis, *hactenus de nominibus grāmaticē litigatum esse*. Sit ita. Sed qui illi sunt, qui de nominibus Grammaticē litigarunt? Non alijs certè, quām vestri Angli, quorum lites & dissidia hactenus proposita sunt. Igitur hoc asseris, Anglos vestros, qui de primatu Regio scripserunt, non nisi de vocibus , de nominibus, de titulis, more Grāmaticorum, inter se disceptasse; nec aliud, præter umbras ac titulos, sub pretextu Primatus Regij, suo Regi tribuisse. Ingenua confessio. Ex qua sequitur, hæc puncta esse merē nominalia: An Rex habeat Primatum Ecclesiæ? An Primatum Ecclesiasticum? an iurisdictionem Ecclesiasticam ? an sit Primas, & supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ? Et sic potius dici oportere: An non Primatus Ecclesiæ , cui nihil aliud subest, honoris causa tribui possit Regi? An etiam nomen, seu titulus supremi capitilis Ecclesiæ ? & sic deinceps. Vno verbo : An Rex sit nominalis vel Titularis Primas, & caput Ecclesiæ Anglicanæ? Et tamen, quod mirantur exteri , hæc lis Grammatica de nominibus, adeò incaluit in Anglia, ut capite plecteretur, qui alteri parti nollent acquiescere. Nam Roffensis Episcopus,

vt supra notaui, supplicio affectus est, quod Henrici VII. Primate titularem nollet confiteri. Alij propter eandem causam, in carceribus detenti sunt. Non metuis, Richarde, ne similis pena expectet alios, qui in hac lite nominali & Grammatica, inter se dissentient? Forte, ne id accidat, mature ad concordiam reuocare eo vis, & litem quae tot mortibus ac suppliciis stetit, nominali concordia sopire aut extinguere. Bonam scilicet operam nauas.

8. Mox queris, an sex illa officia, quae initio capitinis a me enumerata sunt, propriè spectent ad Primum Petri? Et, an ex Scripturis probari possit, Petrum aliquando exercuisse huiusmodi officia? At haec quæstiones sunt extra scopum, Richarde. Hoc solùm hic queritur, an Angli putent haec officia pertinere ad Primum Ecclesiæ, quem Rex sibi usurpat? Hic dissident Angli. Hic tu illis succurre, si potes.

9. Postremò addis, Reges Christianos, ex sententia Henrici Salcolbrigiensis, posse exercere omnia ista officia, excepta excommunicatione. Scio Henricum ita sentire. Sed queritur, an alijs Angli idem sentiant? Iam ostendi Tookerum dissentire, non modo ab Henrico, sed etiam a seipso: Et uno loco afferere, inductionem Synodorum iure diuino pertinere ad Apostolos; alio, ad Reges & Imperatores. Hoc dissidium componendum tibi est. Et iam accingeris ad opus.

10. Igitur, his præmissis, pro Tookero, sic scribis; Neque in hoc puncto Tookerus ab Herico, vel a seipso varius est. Cum Hierosolymitanum illud primum Concilium congregatum est, utrum regnarunt Principes Christiani, an Ethnici? At queritur duntaxat de Christianis. An igitur idem hic sonant Sophista & Iesuita? Vix video, quid velis. Sed tamen respodebo ad quæstionem a te propositam. Cum Concilium Hierosolymitanum congregatum est, regnarunt

gnarunt Principes ethnici. Nec ab illis, sed ab Apostolis legitimè congregatum est. Et quidem iure diuino, ut fatetur Tookerus, loco supra citato. Hinc infero, potestatem indicendi Concilia, iure diuino pertinuisse tunc ad Apostolos & eorum successores, non ad Reges & Principes sacerdetales. Et hoc concedit Tookerus. Quomodo ergo verum est, quod alibi dicit, potestatem indicendi Concilia, primariò couenire Regibus, & ab illis ad Episcopos deriuari? Hoc dissidium compone, si potes. Nec poteris. Nam si Apostoli habuerunt hanc potestatem iure diuino, certè non habuerunt à Regibus. Et, si illi non habuerunt à Regibus, quomodo eorum successores habeant à Regibus? Aut unde Reges, qui aliquot sacerulis floruerunt post Apostolos, hanc potestatem consecuti sunt? Hic Rhodus, hic saltus.

11. Pergis; At si Petrus tunc unicus ille Primas Ecclesiæ, cursus solus Concilium illud non indixerit? Cur Iacobus Præfatem in Concilio egerit? Si Petrus supra Concilium, quid illa sibi verba volunt, visum est nobis? Hæc nihil ad rem præsentem. Non disputamus hic, an Petrus fuerit unicus Primas Ecclesiæ, aut solus Concilium indixerit: sed, an Rex iure diuino habeat potestatem indicendi Concilia, nec ne? Nos negamus. Et ex vestra concessione sic argumentamur; Petrus & alij Apostoli habuerunt illam potestatem iure diuino: Ergo Reges non habent. Aut si habent, necesse est, ab Apostolis, post aliquot sacerda, ad Reges iure diuino translatam esse. At hæc translatio ex scripturis probari non potest:

12. Concludis: Concilia Provincialia à Metropolitano, Diœcesana ab Episcopo, quid ni conuocentur vi legis Ecclesiastice Christianorum principum: præsertim cum (ut rete D. Tookerus) eorum indicatio primariò ad Reges pertineat, & ab illis ad Episcopos derinetur. At ex Tookero iam

ram contrarium ostendi. Nam ipse affirmat Apostolos iure diuino habuisse potestatem indicendi Concilia, non vi legis Ecclesiasticae Principum Christianorum, qui cum nulli erant. At Apostolis successerunt Episcopi. Igitur & hi eandem potestatem habent iure diuino, non vi legis Principum Christianorum. Quod repetis ex Tookero, inductionem Conciliorum primariò pertinere ad Reges, & ab illis ad Episcopos deriuari, non cohæret cum eo, quod hactenus à Tookero concessum est de Apostolis & eorum successoribus. Nam si hi iure diuino nacti sunt hanc potestatem, certè à Regibus nacti non sunt. Igitur Tookerus adhuc varius est, & secum ipse non sentit.

VII. CAPVT DISSIDII.

An rex possit leges Ecclesiasticas condere?

I. COnstat, Henricum VIII tum per se, tum per Vicarium suum generalem, id fecisse. De Henrico sic scribit Sanderus in Schismate Anglicano: *His diebus, vigilans hic Ecclesia Pastor Henricus, quo in posterum sciretur, qua cui rite nupta esset, legem ediderat perpetuam de nuptiis, Comitiorum etiam auctoritate firmatam, qua statuebatur, ut si qua personae in Leuitico non prohibita, solo consensu, per verba de presenti, matrimonium, nulla carnis copula subsecuta, contraxerint: et vero ambæ postea, vel earum altera nuptiis cum altera persona in Leuitico non prohibita contractis, carnali copula easdem consummauerint; haec posteriores, quas firmasset copula, non priores illæ, quas solus consensus statuisset, rate atque legitime haberentur; adeo ut cum olim iuris gentium fuisse regula; Nuptias non concubitus, sed consensus facit; Iam deinceps Henrici regula esse cœperit; Nuptias non consensus, sed*

sus, sed concubitus facit. Et tamen ipse legislator, contra suam ipsius regulam, uxorem Annam Clivensem, cuius nuptias non solo consensu, sed septem etiam mensium concubitu firmauerat, eo solum pretextu reiecit, ipsaq; viuente aliā superinduxit, quod alteri, nescio cui, consensum ante prabuisse fingeretur. Huius ergo legis tantopere postea puduit ipsos Protestantes, ut mortuo Henrico, eam ipsi reuocauerint, atq; irritam fecerint.

2. De Vicario autem generali sic habet; Septembri mense authoritate sua Vicaria, Canones quosdam Ecclesiasticos sigillo Vicariatus sui munitos, Archiepiscopis, Abbatibus, & reliquo Clero prescrispsit, in quibus, praeter cetera, iubebatur Parochi sub grauissimis pœnis, ut orationem Dominicam cum salutatione Angelica, Symbolum item fidei, & decem Decalogi precepta aliaq; huinsmodi, Anglicè in posterum in Ecclesiis docerent.

3. Angli, qui hoc tempore scribunt de Primatu Regio, non consentiunt in hoc punto. Nam aliqui dicunt, sanctionem legum Ecclesiasticarum, iure diuino, pertinere ad Episcopos; alij ad Reges & Imperatores. Priorem partem docet Tookerus, pag. 42. vbi ait, Apostolos in Consilio Hierosolymitano lanciuisse hanc legem ecclesiasticam; *Vixum est Spiritui sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, nisi hac necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato.* Et hoc fecisse eos iure diuino. Posteriorem docet Thomsonius, pag. 80. vbi dicit, Episcopos & Concilia non posse condere ullam legem ecclesiasticam, que habeat vim legis, nisi accedente autoritate Regis vel Imperatoris. Verba eius sunt haec; *Decreta Conciliorum & Patrum Ecclesiasticis censuris & excommunicatione tantum stetissent, nisi legum vim Cæsarea aura ipsis afflasserent.*

4. Hinc iam patet dissidium. Nam illa Lex Ecclesiastica, quam Apostoli considerunt, habuit sine dubio

vim legis. Hoc enim colligitur ex illis verbis ; *Visum est, nihil ultra imponere vobis oneris, nisi haec necessaria.* Hanc autem vim non habuit ab afflato auræ Cæsaræ, quia neque Tiberius, neque Pilatus, neque Herodes, neque ullus alius Princeps sacerularis, qui tunc viixerit, afflauit illi vim legis ; Sed habuit ab ipsis Apostolis. Ipsi enim auctoritate & potestate Apostolica, quam à Christo acceperant, legem illam sanxerunt & promulgarunt. Eandem potestatem nunc habent Episcopi, non Reges aut Imperatores.

Responsio Richardi examinatur.

5. **D**e lege Ecclesiastica, quam tulit Henricus VIII. prudenter dissimulas. Pudit te, credo, de ea mentionem facere. Circa dissidium inter Tookerum & Thomsonium, tria dicis. Primo, componi illud posse, distinctione temporum. Alia enim fuisse tempora persecutionis; sub Regibus ethnicis; alia pacis, sub Regibus Christianis. Itaque Apostolos sanxisse leges Ecclesiasticas, tempore persecutionis, quod assertur à Tookero; Reges Christianos, tempore pacis, quod assertur à Thomsonio.

6. Sed quæro, an Apostoli, qui tempore persecutionis sanxerunt leges Ecclesiasticas, iure diuino habuerint potestatem eas sanciendi? Affirmat Tookerus. Et rectè. Nam à Christo eam acceperunt. Iterum quæro, an haec potestas, cessante persecutione, tandem ab Apostolis ad Reges & Imperatores, iure diuino translatâ sit? Si non est, manet apud Apostolos & eorum successores, nec Reges eam usurpare debent. Si est, unde translatio haec probari potest? Non enim temerè afferenda est. Certè ex scripturis canonicis probari non potest. Nam de illa translatione, nulla ibi fit mentio.

tio. Et tu disertè affirmas , *solis scripturis canonicis* in hac re credendum esse. Si ergo translatio probari non potest, non poterit etiam, distinctione temporum pacis & persecutionis, componi hoc dissidium. Alia ergo via insistendum tibi est.

7. Secundò ait, Thomsonum non negare , *Legem Apostolicam habuisse vim legis Ecclesiasticae*, sine afflatis aure & Cæsareæ , sed non habuisse vim corporalibus censuris coactiuam. Hoc constare ex ipsius verbis supra citatis, quæ sic habent ; *Decreta Conciliorum & Patrum Ecclesiasticis censuris tantum stetissent, nisi legum vim Cæsarea aura ipsis afflasset*. Si ita est, iam hæc duæ propositiones, secundum Thomsonum, veræ sunt. Prior ; *Decreta Consiliorum & Episcoporum*, ex se habent vim legis Ecclesiasticae ; & quidem vim cogendi per censuras Ecclesiasticas. Posterior ; Eadem decreta ex se non habent vim cogendi per censuras seu pœnas corporales, sed illam debent accipere à Regibus, qui gladium portant. At hinc sequitur, quod nos contendimus, Reges tantum subseruire Prælatis Ecclesiæ in externa executione. Quamuis enim hi Prælati possint propria authoritate leges ecclesiasticas condere, & subditos per censuras ecclesiasticas ad earum obseruationem compellere ; non tamen possunt virgere executionem per pœnas corporales, sine adminiculo Principum sæcularium, præsertim ubi est effusio sanguinis. Quod verissimum est. Si ita sentit Thomsonius, nobiscum sentit. Sin aliter, concordia tua nulla est. Elige quod vis.

8. Tertiò ait, stultum esse existimare , leges Episcoporum habere tantam vim & autoritatem, quantam habuit lex Apostolica. Quod dupliciter probas. Primo, quia lex Apostolica habetur in sacris litteris : non autem leges Episcoporum. Secundò, illa fuit diuinitus inspirata; hæc non item. Hinc tacitè concludis, etiam si

Apostoli iure diuino habuissent potestatem condendi leges: non tamen Episcopos eam habere. Non vides, Richarde, te tuo gladio feriri posse? Nam quod obijcis sic regeram. Lex Henrici Regis de nuptiis, de qua supra dictum est, non habetur in sacris litteris, nec à Deo inspirata est: Ergo non habet eam vim & autoritatem, quam habuit lex Apostolica: Ergo licet Apostoli iure diuino habuerint potestatem condendi leges ecclesiasticas, non tamen Rex Angliae eam habet. Quid hic dicturus es? Non video. Nam certum est, legem Henrici Regis non haberis in sacris litteris, quod non negabis. Certum quoque, à Deo inspiratam non esse. Nec dixisse illum, cum legem conderet; *Vixum est Spiritui sancto & mihi, Nuptias non consensu, sed concubitu fieri & obsignari.* Non enim Spiritus sancti, sed alterius inspiratio illa est. Intelligis mysterium.

9. Sed hanc legem Henrici, vndeunque inspirata sit, tibi ac tuis Prædicantibus relinquo. Ego pro Episcopis respondebo. Ais igitur, Episcoporum leges non habere eam vim ac potestatem, quam habuit lex Apostolica, eo quod hęc scripta sit in sacris litteris; illae non item. Si hoc intelligis de vi ac potestate obligandi, quæ legi propria est, non recte ratiocinaris. Alioqui, quid dicturus es de legibus Persarum, Medorum, & aliorum gentilium, quarum in sacris litteris fit mentio? An ideò plus potestatis ad obligandum habent, quam leges Principum Christianorum, quæ ibi scriptæ non sunt? Et lex vestra Anglicana, per quam Primatus Ecclesiæ unitus est coronæ Regiae, an minorem vim habet, quam Edictum Assueri, eo quod hoc in sacra historia scriptum sit, illa non item? Audi Richarde. Diccam, quod res est. Lex humana (qualis etiam fuit Apostolorum) non accipit maiorem vim obligandi ex eo præcisè, quod in hoc vel illo Codice scripta sit; sed

ex eo potius, quia Legislator maiori usus est potestate, & voluit eam magis obligare. Vnde haec duæ regulæ seruandæ sunt. Una; Lex habet vim obligandi ex potestate & voluntate Legislatoris, iuxta illud Vlpiani; *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Altera; Lex habet eandem vim obligandi, siue scripta sit, siue non sit, modo ex potestate & voluntate Legislatoris sufficienter sit promulgata, iuxta illud Aristotelis, lib. 10. Ethicorum, cap. 9. Scriptane sint leges, an non scriptæ, interesse nihil videtur.

10. Quod addis, legem Apostolicam diuinitus fuisse inspiratam, non nego. Sed quare tu negas, Episcoporum leges diuinitus inspirari? Non rectè id facis. Nam Episcopi sunt successores Apostolorum, ac proinde assistentia Spiritus sancti, quæ Apostolis promissa est, etiam successoribus eorum promissa censeri debet, iuxta illud Ioannis 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Quomodo potest in æternum manere cum Apostolis, nisi simul intelligantur successores Apostolorum? Eodem spectat illud. Matth. 28. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Quod necesse est, sic interpretari; Ego vobiscum & cum vestris successoribus sum in gubernatione Ecclesiæ, usque ad finem mundi.

11. An etiam negabis, Regum & Principum leges à Deo inspirari? Quid ergo fieri de legibus vestris Anglicanis? Sane, si semel populo persuaseris, non esse diuinitus inspiratas, actum erit de earum autoritate. Nemo magnopere in conscientia obligatum se arbitrabitur. Aut si has à Deo inspiratas concederis, cur Episcopis tam infestus es, vt eorum existimationi detractum velis? Non intelligat hoc Archiepiscopus Cantuariensis, aut certè Episcopus Eliensis. Alio-

qui , non feceris impunè.

12. Hæc de dissidio ; Tandem ; desperata Concordia, petis à me, ut in gratiam Thomsonij reddam solidam rationem, cur Episcopi in Concilio Constantinopolitano quinto, scripserint ad Theodosium Imperatorem hæc verba; *Rogamus Clementiam tuam, ut per litteras tuæ pietatis, ratum esse iubeas, confirmesque Concilij decretum.* At ego vicissim à te peto, vbi vnquam legeris, tempore Theodosij Imperatoris celebratum fuisse quintum Concilium Constantinopolitanum ? Vbiq[ue] erras. Non fuit quintum, sed primum, quod inter Concilia generalia secundum locum obtinet. Illius Concilij Patres scripserunt ad seniorem Theodosium verba à te citata. Cur id fecerint, quid rationem à me petis? Tu ipse iam dedisti. Hanc nimirum, quod tametsi Patres illi condidissent decretum, quod haberet vim legis Ecclesiasticæ , & vim etiam cogendi per censuras Ecclesiasticas; rogarint tamen Imperatorem , ut ipse confirmaret idem decretum, apponendo vim cogendi per pœnas temporales. Hæc tua ratio est, qua paulò ante defendas Thomsonium. Vel igitur solida est , vel non est. Si solida est, cur illa contentus non es ? cur aliam à me postulas ? Si solida non est, non solidè defendisti Thomsonium. Ego igitur iure abs te aliam postulem, quâ solidè illum defendas.

VIII. CAPUT DISSIDII.

An Rex propria authoritate posset conferre beneficia Ecclesiastica ?

1. **A**ffirmat Henricus Salcolbrigensis , pag. 121. his verbis ; *Christiani Principes in suis regnis cum laude*

laude propria authoritate , beneficia contulerunt. Et pag. 150. *Aud in Iesuita , non modo collationes beneficiorum ad Angliae Reges spectare , sed ad eosdem illos spectare , vii Ecclesiæ Anglicanae Primates , vel supremos Ordinarios?* Et pag. 142. *Rex ratione supremæ suæ Ecclesiastice iurisdictionis , præsentabit ad liberas capellas.*

2. Negat Tookerus , pag. 36. vbi de Regibus Angliae sic loquitur ; *Beneficia autem curata vel non curata , non conferunt omnino in quempiam , maiora minoraque : multo minus dignitates Ecclesiasticas , sive Episcopatus , sive Archiepiscopatus , per uniuersum ambitum regni sui. Eorum certè collatio vel institutio est , quorum est destitutio , id est , Episcoporum comprovincialium , qui potestatem habent personas ipsas sacrandi. Hoc habet iuris Regia Majestas , quod minor & subordinata potestas habet ; ius , inquam , nominandi & præsentandi apud nos.*

3. En triplex dissidium inter hos duos authores ; & quidem in re quotidiana & vulgari. Primum est : Henricus , collationem beneficiorum spectare ad Reges Angliae , quatenus sunt Primates Ecclesiæ Anglicanæ : Tookerus contra , non ad Reges , sed ad Episcopos pertinere. Alterum , Henricus dicit , Reges propria autoritate sæpe contulisse beneficia . Tookerus , nunquam conferre aut contulisse. Tertium , Henricus dicit , Reges ratione supremæ iurisdictionis Ecclesiasticæ , præsentare ad beneficia : Tookerus , Reges in hac re non habere plus iuris , quam subditos & inferiores . *Hoc , inquit , iuris habet Regia majestas , quod minor & subordinata potestas habet.* Vtri credat Rex Iacobus , si pingue beneficium , aut Archiepiscopatus conferendus sit ?

Responsio Richardi examinatur.

4. **A** Is Henricum & Tookerum re ipsa non dissentire. Nam Henricum loqui de collatione, donatione, præsentatione & nominatione: Tookerum, de institutione presbyterorum aut sacratione Episcoporum. Igitur Henricum affirmare, Regem posse conferre, donare, præsentare, & nominare ad beneficia, quod non negat Tookerus: Hunc verò negare, Regem posse instituere presbyteros & sacrare Episcopos, quod non affirmat Henricus. Nullum ergo inter ipsos esse dissidium. Fateor, nullum esse, si ita sentiant, ut dicis. At aliter eos sentire, manifestè conuincitur ex eorum verbis. Nam Tookerus disertis verbis hæc duo dicit. Primò, Rege m Angliae, per uniuersum ambitum regni sui, nulla penitus conferre beneficia, siue maiora, siue minora, siue curata, siue non curata. Secundò, Regem hoc solum iuris circa beneficia habere, quod habent subditi & inferiores, nempe *ius nominandi & præsentandi*. Hinc formo duplex argumentum. Vnum; Conferre beneficia minora, & non curata, non est idem, quod instituere Presbyteros & sacrare Episcopos; quia minora & non curata beneficia, possunt conferri clericis inferioribus, antequam perueniant ad presbyterium vel Episcopatum: Ergo Tookerus, cum negat Regem conferre beneficia minora & non curata, non loquitur de institutione presbyterorum aut sacratione Episcoporum, ut tu singis. Ni si consequenter affimes, sola simplicis beneficij collatione, apud vos institui presbyteros & sacrari Episcopos, quod credibile non est. Alterum; Qui non habet aliud ius circa beneficia Ecclesiastica, quam nominandi & præsentandi,

non

non potest ea donare vel conferre, quia plus est donare vel conferre, quam nominare & præsentare. At Rex Angliæ, iuxta Tookerum, non habet aliud ius, quam nominandi & præsentandi : Ergo non habet ius donandi & conferendi.

5. Vides, Tookerum adhuc dissidere ab Henrico ? Henricus concedit Regi ius donandi & conferendi beneficia ; Tookerus præsentandi duntaxat & nominandi. Et tu ab utroque dissides. Primum, à Tookero, quia cum ille aperte loquatur de collatione beneficiorum, tu fingis illum loqui de sola institutione presbyterorum & sacratione Episcoporum. Deinde, ab Henrico, quia ipse dicit, collationem beneficiorum pertinere ad Regem Angliæ ; tanquam ad Primatem Ecclesiæ Anglicanæ, quod tu negas cum Tookero. Sic enim scribis ; *Ostendat Iesuita, beneficiorum collationem ad Primatem Ecclesiæ Christianæ pertinere, & victoriam reportet.* Non est meum hoc ostendere, sed Henrici, qui id affirmat. Meum est tantum ostendere, Anglos inter se dissidere de hoc punto. Hoc iam feci. Reportem igitur victoriam.

6. Atque hæc generatim de hoc dissidio. Nunc, quia ego posui triplicem partem huius dissidij, tu similiter opponis triplicem concordiam. Quo euentu, paucis examinandum est. Prima pars dissidij est hæc ; Henricus dicit, collationem beneficiorum spectare ad Reges Angliæ, quatenus sunt Primates Ecclesiæ Anglicanæ : Tookerus contra, non ad Reges, sed ad Episcopos pertinere. Tu opponis hanc concordiam ; Henricus dicit, collationes quorundam beneficiorum spectare ad Reges Angliæ per viam lapsus, quatenus sunt Primates Ecclesiæ Anglicanæ : Tookerus, non ad Episcopos, ob lapsum temporis plusquam sesquianni, sed ad solos Reges pertinere. Falsum est. Tookerus, nulla facta mentione lapsi temporis,

simpliciter ait, ad Episcopos; non ad Reges pertinere. Deinde, vel Tookeru per collationem beneficiorum idem intelligit, quod Henricus, vel diuersum. Si diuersum, non est concordia. Si idem, falsum est, quod antea dixisti, Henricum loqui de collatione seu donatione; Tookerum de sola institutione presbyterorum & sacratione Episcoporum. Igitur à teipso dissides.

7. Altera pars dissidij est; Henricus dicit, Reges propria authoritate s̄aþe contulisse beneficia: Tookerus, numquam conferre aut contulisse. Tu opponis hanc cōcordiam; *Henricus dicit, Reges propriā authoritatē saþe contulisse beneficia: Tookerus quandoque 40. 50. 60. aut plurabeneficia singulis annis contulisse.* Hoc affinis Tookero, qui nihil tale habet. Imò, disertè scribit, Regem nulla beneficia, siue maiora, siue minora, siue curata, siue non curata, in toto regni ambitu, vñquam contulisse. Deinde populo ante dixisti, Tookerum loquitantum de institutione presbyterorum & sacratione Episcoporum. An ergo Rex Anglæ aliquando singulis annis instituit 40. 50. 60. aut plures presbyteros, aut totidem Episcopos sacrauit? Vbi que te implicas.

8. Tertia pars dissidij est; Henricus dicit, Reges, ratione supremæ iurisdictionis Ecclesiastice, præsentare ad beneficia: Tookerus, Reges in hac re non habere plus iuris, quam subditos & inferiores. Tu opponis hanc concordiam; *Henricus dicit, Reges, ratione supremæ iurisdictionis Ecclesiastice, præsentare ad liberas Capellas, neque Episcopos aut Archiepiscopos, easdem posse visitare.* Tookerus dicit, solos Reges, non subditos & inferiores, nisi ex donatione Regis, hoc ius habere. At ubi Tookerus hoc dicit? Tu fingis eum dicere, quod non dicit. Imò contrarium dicere, iam antea ostendi, nempe, ius præsentandi commune esse Regi & subditis. Verba eius sunt hæc; *Hoc habet iuris Regia Majestas, quod minor & subor-*

subordinata potestas habet ; ius, inquam, nominandi & praesentandi apud nos. An tu hinc colligis, solos Reges, non subditos habere hoc ius ? Nec ullam Tookerus mentionem facit de liberis capellis.

IX. CAPUT DISSIDII.

An Rex possit Episcopos creare & deponere.

1. **A**ffirmat Henricus Salcolbrigensis, pag. 121. his verbis ; Christiani Principes in suis regnis , cum laude propria authoritate , Episcopos crearunt & deposuerunt. Et pag. 144. Rex Anglia Archidiacono Richmundiæ Episcopalem concessit iurisdictionem. Et pag. 155. Reges Angliae suprema sua authoritate, de iure , atque cum laude omnium ordinum, Episcopos elegerunt, ac proinde deponere potuerunt. Et pag. 167. Constat Christianos Principes cum laude Episcopos elegisse & deposuisse, etiam Romanos.

2. Negat Tookerus, loco citato. Ibi enim duo requirit ad constituendum seu creandum Episcopum. 1. Consecrationem personæ. 2. Episcopatum. Addit, Regem neutrum praestare posse. Nec enim posse conferre vlla beneficia , multo minus Episcopatum aut Archiepiscopatum : nec habere potestatem faciandi personas. Vnde etiam alibi fatetur, tantum abesse, ut Rex Iacobus possit Episcopos creare & deponere ; ut potius agnoscat se illorum alumnum & Discipulum. Sic enim scribit pag. 311. Serenissimus ac potentissimus Rex noster Iacobus non habet quicquam antiquius & onorificientius , quam vt cum Valentiniano filium se Ecclesiæ profiteatur , & cum Theodorico Italiae Rege , se alumnū

Eccle-

Ecclesia & discipulum Archiepiscoporum suorum & Episcoporum libenter recognoscat.

3. Hoc dissidium magni momenti est. Nam si Rex non potest creare seu constituere Episcopos, ut ait Tookerus; planè sequitur, Thomam Crammerum, qui à Rege creatus est Archiepiscopus Cantuariensis, non fuisse verum, sed falsum Episcopum: non pastorem, sed prædonem: non per ostium intrasse in ouile ouium, sed aliunde ascendisse. Ex quo rursus tria sequuntur. Primò, omnes alias Episcopos, qui postea, vel à Crammero, vel à Rege creati sunt, fuisse similes Crammero. Secundò, quidquid ab iis, authoritate & iurisdictione Episcopali factum est, nullius roboris & momenti esse. Tertiò, eosdem teneri ad restitutionem omnium prouentuum, quos ratione Episcopatum acceperunt. Quid hic consilij capiendum? Videant Academici.

Responsio Richardi examinatur.

4. **H**ic duo facis. Primò, confirmas sententiam Henrici, auctoritate Serenissimi Regis. Secundò, contendis Tookerum idem sentire cum Henrico & Rege. Hoc posterius punctum examinandum est. De priori nihil attinet dicere. Scio sententia Henrici ex Monitoria Serenissimi Regis Præfatione confirmari posse. Neque de hoc controversia est.

5. Igitur Tookerum sentire cum Henrico & Serenissimo Rege, probas tribus argumentis. Primò, quia quæ solidè à Rege disputata sunt, libenter amplectitur Tookerus, ut orthodoxa: At solidè à Rege disputatum est, se posse creare & deponere Episcopos. Ergo hoc libenter amplectitur Tookerus, ut orthodoxum. Secundò, quia Tookerus, pag. 311. & 312, scribit, Reges habere

habere Primitatum Ecclesiæ : Ergo fatetur eos habere potestatem creandi & deponendi Episcopos. Tertio, quia pag. 152. scribit, Salomonem Regem, propria auctoritate, deposuisse summum Pontificem : Ergo sentit, Regem Angliæ idem posse facere.

6. Miseret me tui, Richarde. Magnum suscipis laborem, & nihil proficis. Verba Tookeri clarissima sunt, quæ sic habent ; *Reges Angliae non conferunt omnino in quempiam beneficia curata, vel non curata, maiora minoraque: multo minus dignitates Ecclesiasticas, sive Episcopatus, sive Archiepiscopatus, per uniuersum ambitum regni sui, Eorum certè collatio vel institutio est, quorum est destitutio, id est. Episcoporum comprouincialium, qui potestatem habent personas ipsas sacrandi.* Ex quibus sumuntur hæ tres propositiones. Prima ; Reges Angliæ non conferunt ulli Episcopatum, aut Archiepiscopatum. Altera ; Reges Angliæ non habent potestatem sacrandi personas. Tertia ; Collatio, institutio, & destitutio, non est Regum, sed Episcoporum. Quid hinc aliud colligas, quam Reges Angliæ, ex sententia Tookeri, non posse creare & deponere Episcopos?

7. Porro argumenta, quæ contra obiicis, causam tuam non iuuant. Vel enim solida sunt, vel non sunt. Si solida sunt, solidè probant Tookerum à seipso dissentire. Et si ita est, non ostendunt concordiam, sed dissidium. Si solida non sunt, frustra à te afferuntur. Ut quid chartam occupant? Et sanè, meo iudicio, solida non sunt. Reperam singula, & discutiam. Primum est ; *Quæcunque solidè à Rege disputata sunt, libenter amplectitur Tookerus, ut orthodoxa: At solidè à Rege disputatum est; se posse creare & deponere Episcopos: Ergo hoc libenter amplectitur Tookerus, ut orthodoxum.* Hic primum, negabitur minor propositio. Quam falsam esse, facile ostendam ex opposito discursu, in hunc modum,

dum ; Quæcunque Tookerus non libenter amplectitur, ut orthodoxa, non sunt solidè à Rege disputata : sed, Regem posse creare & deponere Episcopos, non libenter amplectitur Tookerus, ut orthodoxum, quia in verbis supra citatis contrarium asserit : Ergo Regem posse creare & deponere Episcopos, non est solidè à Rege disputatum. Deinde, regeri potest argumentum, hoc modo ; Quæcunque solidè à Rege disputata sunt, libenter amplectuntur Academicci Anglicani, ut orthodoxa : At à Rege in Monitoria Præfatione, solidè disputatum est de Antichristo : Ergo Academicci Anglicani libenter hoc amplectuntur, ut orthodoxum. In hoc discursu consequens falsum est, quia Gabriel Pouellus, Baccalaureus Oxoniensis non sequitur doctrinam Regis de Antichristo. Nam Rex dicit, hanc propositionem, *Papa est Antichristus*, non esse certam : At Baccalaureus dicit esse articulum fidei. Sic enim scribit ; *Deum sancti testor, me tam certo scire, Pontificem Romanum esse Antichristum, quam Deum ipsum esse in cœlo creatorem visibilium & inuisibilium.* At si consequens falsum est, cum forma syllogismi bona sit, necesse est, alterutram p̄missarum falsam esse. Vel igitur maior, vel minor falsa est. Vtra sit, perinde mihi est. Sufficit, si demonstrem, nullius momenti fuisse argumentum tuum.

8. Alterum est tale ; Tookerus scribit Regem Anglia habere Primatum Ecclesiæ ; Ergo fatetur eum posse creare & deponere Episcopos. At hæc consequentia, apud vos, nulla est. Imò principium petit. Nam hoc ipsum controuertitur inter Anglos, an creare & deponere Episcopos, sit officium Primatus Ecclesiæ ? ac proinde conueritur, an hæc sit bona connexio ; Rex habet Primatum Ecclesiæ ? Ergo potest creare & deponere Episcopos. Alij affirmant apud vos, alijs negant. Tu affir-

affirmantem partem, quæ probanda est, sumis pro argumento. Quid hoc aliud, quam principium petere? Eodem vitio laborat tertium argumentum, quod est huiusmodi; Tookerus scribit Salomonem deposuisse Pontificem. Ergo sentit Regem Angliae idem posse. Hæc enim consequentia nulla est. Nam grauissimi authores docent, aliud de Regibus in veteri, aliud in nouo Testamento, statuendum esse. Itaque constanter negant hanc & similes consequentias; Reges in veteri Testamento, hanc vel illam potestatem habuerunt: Ergo etiam Reges in nouo Testamento habent vel non habent. De qua re alias scripsi.

X. CAPUT DISSIDII.

*An Rex posset subditos contumaces
excommunicare?*

1. **H**ic Angli redigunt Regem suum ad communem ordinem: Et quæ prius illi concesserant, videntur hic reuocare. Aiunt, Regem non posse quemquam suorum subditorum excommunicare; posse tamen ab iis excommunicari, & ex Ecclesia Anglicana, cuius supremum caput est, expelli. Priorem partem tradit Tookerus, pag 15. his verbis; *Rex non habet potestatem distingendi gladium spirituale, vel quempiam excommunicandi.* Et Sacellanus, pag. 151. *Nos Principi censuræ potestatem non facimus:* Et Thomsonius, pagina 83. *Excommunicare nullo modo ad Suprematum Ecclesiæ pertinet.* Et pag. 84. *Omnis fatetur, Regem excommunicandi potestatem nullam habere.*

2. Posteriorem tradit Burhillus, pag. 137. cum ait; *Quod Ambrosio licuit in Theodosium, idem & alii in Regem simili de causa liceat, id est, sicut Ambrosio Episcopo*

copo licuit excommunicare Theodosium Imperatorem; ita & nostris Episcopis licet excommunicare Iacobum Regem, si similiter peccet. Et pag. 242. *Supremus Ecclesiae Gubernator*, nempe Rex, potest eiici ex Ecclesia. Et pag. 267. *Rex et si iustissime excommunicatus, non amittit Primatum.*

3. Non video, quomodo haec cohærent cum iis, quæ hactenus tributa sunt Regi. Tributum illi est, quod sit Primas & supremum Caput Ecclesie Anglicanæ, quod sit supra omnes personas, tam Ecclesiasticas, quam laicas, in suo regno, quod habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam, non minus, quam politicam & temporalem. Et tamen, cum tantus sit, non potest quenquam suorum, subditorum, nec laicum, nec Ecclesiasticum, quantumuis rebellem & contumacem, excommunicare. Imò, cum tantus sit, potest à suis subditis excommunicari, & eiici ex Ecclesia Anglicana, cuius supremum Caput est. Non capio hoc mysterium.

4. Addam tria argumenta, quæ augebunt difficultatem. *Primum est*; Qui habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in aliquo regno, potest exercere omnes actus, qui pertinet ad iurisdictionem Ecclesiasticam illius regni: sed Rex habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in regno Angliae, ut fatetur Tookerus & Salcolbrigensis. Ergo potest exercere omnes actus pertinentes ad iurisdictionem Ecclesiasticam regni Angliae. Ergo etiam potest excommunicare. Nam excommunicatio, quæ per sententiam fit, Ecclesiasticae iurisdictionis actus est. Vel contra, si vis: *Qui non potest exercere omnes actus Ecclesiasticae iurisdictionis in aliquo regno, non habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam*.

sticam in illo regno : sed Rex Angliae non potest exercere omnes actus Ecclesiasticae iurisdictionis in suo regno , quia non potest quenquam excommunicare: Ergo nō habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in suo regno.

5. *Alterum est;* Qui alteri dat potestatem excommunicandi, is sine dubio habet potestatem excommunicandi , quia nemo potest alteri dare , quod ipse non habet : sed Rex Angliae dat Episcopis potestatem excommunicandi : Ergo ipse habet potestatem excommunicandi. Minor probatur ex Tookero, pag. 304. vbi fatetur, Episcopos omnem iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris accipere à Rege. At potestas excommunicandi pertinet ad iurisdictionem fori exterioris, ut expressè docet Sacellanus, pag. 41. & Tookerus, pag. 305. cum ait; *Rex habet omnem iurisdictionem spirituali in foro exteriori , exceptis quibusdam censuris.* Excipit autem excommunicationem. Vbi iterum notanda est contradictione Tookeri. Nam censuras, inter quas est excommunication , refert ad iurisdictionem fori exterioris. Rectè quidem. Sed duo addit, quæ pugnant. 1. Regem dare Episcopis omnem iurisdictionem fori exterioris. 2. Regem non habere omnem iurisdictionem fori exterioris.

6. *Tertium est;* Qui alicui alteri subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, non habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris: sed Rex alicui alteri, nempe Episcopo , subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, quia potest ab eo per sententiam excommunicari , & ex Ecclesia eiici, ut fatetur Burhillus. Ergo non habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris. Vel , si maius, contra. Qui nulli alteri subiectus est in iurisdi-

ctione Ecclesiastica, non potest ab ullo per sententiam excommunicari: Sed Rex, si habet supremam iurisdictionem Ecclesiasticam, nulli alteri subiectus est, in iurisdictione Ecclesiastica: Ergo non potest ab ullo per sententiam excommunicari. Aduertis, opinor hæc non cohætere.

Responsio Richardi examinatur.

7. **R**espondes, nullum hic esse dissidium. Omnes scriptores Anglicanos fateri, Regem non habere potestatem excommunicandi. Audi Richard. Maximum hic dissidium est. Primo, quia omnes scriptores Anglicani, qui hoc fatentur, manifestè à se ipsis dissident, ut conuincunt argumenta à me allata. Deinde, ut supra monui, dissident, à lege Elisabethæ. Nam illa lege sancitum est, Regem habere omnimodam potestatem corrigerendi Ecclesiasticos: At sub hac omnimoda potestate continetur etiam potestas corrigerendi per censuras Ecclesiasticas, ut per excommunicationem, suspensionem & interdictum. Si ergo omnimodam habet, etiam hanc habet: aut si hanc non habet, omnimodam non habet.

8. Argumenta à me allata conaris dissoluere; sed frustra. Ad primum tuis dicis. Primo, negas maiorem propositionem, quæ erat hæc; *Qui habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in aliquo regno, potest exercere omnes actus, qui pertinent ad iurisdictionem Ecclesiasticam illius regni.* Sed non video, cur neges. Nam sicut hæc vera est; *Qui habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem ciuilem in aliquo regno, potest exercere omnes actus, qui pertinent ad iurisdictionem ciuilem illius regni;* sic etiam ista. Est enim par ratio.

9. Secundò dicas, potestatem excommunicandi nō pertinere ad Primatum Ecclesiæ : Ethoc probas, quia alioqui sequeretur ; omnes Episcopos & Archidiacanos habere Primatum Ecclesiæ , quia omnes illi possunt excommunicare. Hoc non sequeretur , quia potestas excommunicandi , tametsi pertineat ad primatum Ecclesiæ , potest tamen ab eo deriuari ad inferiores Prælatos, ad quos non deriuatur Primatus. Et hoc sensu, nos dicimus, Pontificē ratione sui Primatus habere potestatem excommunicandi, independenter ab ullo homine ; reliquos habere eandem dependenter à Pontifice, qui potest illam dare & auferre. Eodem sensu, vos dicitis, Regē vestrum ratione sui Primatus, habere potestatem indicēdi Concilia, independenter ab ullo homine, in suo regno, Episcopos verò habere eandem dependenter à Rege, qui potest illam dare & auferre. Quæro nunc, an apud vos valeat hæc consequētia; Si potestas indicendi Concilia pertinet ad Primitū Ecclesiæ Anglicanæ, sequitur omnes Episcopos habere Primatum Ecclesiæ quia omnes possunt indicere Concilia, dependenter à Rege. Si valet, euertitis vos ipsos. Si non valet, cur eam adhibes.

10. Tertiò dicas, Regem , tametsi non possit excommunicare, posse tamen cum consensu ordinum regni vel Parlamenti, condere leges Ecclesiasticas, quarum vi hic aut ille excommunicari debeat. Quid hoc est, Richardus Henricus Salcolbrigensis iam ante dixit , Regem propria auctoritate posse leges Ecclesiasticas condere ; Et tu astringis illum ad consensum ordinum, vel Parlamenti : Nouum dissidium hoc est. Quid ergo fiet , si Rex propria authoritate , sine consensu ordinum vel Parlamenti, decernat aliquid circares vel personas Ecclesiasticas ? Habebit decretum hoc vim aliquam & robur , an secus ? Apud Henricum habebit, quia illi suffi-

cit sola Regis auctoritas. Apud te vilesct, quia autho-
ritas Regis, sine consensu ordinum aut Parlamen-
ti ex tua quidem sententia, nullius momenti est. Ni-
mium detrahis Primati & Capiti Ecclesiæ Angli-
canæ.

11. Quod addis, leges Ecclesiasticas à Rege latae,
habere quidem vim excōmunicandi, quam tamē Rex
non habeat, nouum paradoxum est. Hæc enim certis-
sima iureconsultorum est regula; Quicunque habet
potestatem condédi legem pœnalem habet etiam po-
testatem puniendi. Vel quod idem est, qui potest infli-
gere pœnam per legem à se latam; potest etiam infli-
gere per sententiam. Quæ regula applicanda est potes-
tati ciuili & Ecclesiasticae seruata proportione, hoc
modo: Princeps qui potest ferre legem ciuilem, prohi-
bentem aliquid sub pœna exilij aut amissionis honorū,
potest etiam per sententiam infligere huiusmodi pœ-
nam. Similiter Episcopus, qui potest ferre legem Eccle-
siasticam prohibentem aliquid sub pœna excommu-
nicationis potest etiam per sententiam infligere ean-
dem pœnam excommunicationis. Cur Regem excipis
ab hac communiregula? Cur illum in angustias redi-
gis? Si potest ferre legem Ecclesiasticam, quæ subdi-
tos obliget sub pœna excommunicationis; Cur non
potest eandem pœnam per sententiam infligere in de-
linquentes? Nulla ratio est.

12. Hæc de primo argumento. Alterum erat hoc, Rex
dat alteri potestatem excommunicandi: Ergo ipse habet po-
tentiam excommunicandi: Aut si non habet, non potest alteri
dare. Tu negas consequentiam: Et ut ostendas, non te-
merè te id facere, adducis ex Diuo Bernardo, hæc ver-
ba; Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse:
zuo forsitan nutu, et si non tua manu euaginandus. Vierque
ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis:
sed is

ed is quidem pro Ecclesia; ille verò, & ab Ecclesia exercen-
dus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum
Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Locum in quo habeat
illa verba Bernardus, nō citas, quia festinasti. Sed quid-
quid de loco sit, qui mihi notus est, non tectè negas
consequentiā. Ego sanè, sic eam probavi; Nemo potest
alteri dare qnod ipse non habet: Ergo si Rex dat alte-
ri potestatem excommunicandi, necesse est ipsum ha-
bere eam potestatem. Quid ad hoc respondes? Nihil.
Nec Bernardus te iuuat, sed damnat. Primo, quia diser-
tè confirmat meam consequentiam, quām tu negas.
Nam lib. 2. de consideratione, c. 5. sic loquitur de Apo-
stolo Petro; *Nec enim tibi ille dare, quod nō habuit, potuit.*
Quod habuit, hoc dedit. Ex quo principio sic argumen-
tatur; Nemo potest alteri dare, quod non habet: sed
Petrus non habuit possessiones temporales: Ergo non
potuit eas alteri dare. Habuit autem curam totius Ec-
clesiae. Eam igitur successori dedit. Ex eodem princi-
pio, sic ego concludo; Nemo potest alteri dare, quod non habet: Sed Rex Angliae dat Episcopis potestatem
excommunicandi, ex vestra suppositione: Ergo ipse ha-
bet potestatem excōmunicandi: vel si non habet non
potest eam dare. Vides, mi homo, Bernardum eodem
modo argumentatum esse, quo ego sum? Et eam esse
vīm in meo, quæ in ipsius argumento est? Igitur pro
me facit Bernardus, non pro te.

13. Porro sententia Bernardi, quæ à te citata est, mul-
to minus iuuare te potest. Primo, quia confirmat po-
testatem Pontificis, quām tu negas. Secundò, quia
nihil ad propositum nostrum facit. Nos enim disputa-
mus, an hæc consequentia sit bona; *Hic dat alteri pote-*
statem excommunicandi: Ergo ipse habet potestatem excom-
municandi. Ego affirmo; Tu negas. Bernardus, quem
citas, nihil de illa dicit. De alia dupli loquitur. Vna

est, Pontifex habet gladium seu potestatem temporalem indirecte : Ergo per se potest omnia officia illius potestatis exequi. Hanc negat. Altera est haec; Pontifex habet gladium seu potestatem spiritualem directe : Ergo per se potest illum exercere. Hanc concedit sed vide, an pro tuo stomacho. De nostra, ne meminit quidem, praesertim in verbis à te citatis. At alibi, non solum meminit, sed etiam confirmavit, ut iam ante dixi.

14. Tertium meum argumentum erat huiusmodi. Qui alicui alteri subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, non habet supremam plenissimam & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris: sed Rex alicui alteri, nempe Episcopo, subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, quia potest ab eo excommunicari, & ex Ecclesia eiici: Ergo Rex non habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris. Tu respondes, si hoc argumentum obtineat, Pontificem non fore Primatem Ecclesiae, quia subiectus est Sacerdoti, cui confitetur. Valde erras, Richard de: Nec distinguis inter iurisdictionem fori exterioris & interioris. Primatus Ecclesiae non consistit in iurisdictione fori interioris, sed exterioris. Itaque qui habet Primum, non potest alteri esse subiectus in foro exteriori, potest tamen in interiori. Meum argumentum procedit de foro exteriori. Et recte. Si tu similiter velis procedere de interiori, sic concludendum tibi erit; Qui alicui alteri subiectus est in iurisdictione fori interioris, non habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem fori interioris: At Pontifex alicui alteri, nempe confessario suo, subiectus est in iurisdictione fori interioris: Ergo Pontifex non habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem fori interioris. Totum concenserо. Nam Pontifex, sicut in externa iurisdictione est

supra

supra omnes Christianos; sic in interna est par aliis Sacerdotibus. Nam potestas absoluendi à peccatis, seu interna iurisdictio in habitu immediate à Christo confertur omnibus Sacerdotibus, vi ordinis: Nec quo ad habitum est maior in uno, quam in alio, sed in omnibus aequalis. Hoc interest, quod alij habent plures, alij pauciores subditos, in quos legitimè exercere possint hanc iurisdictionem fori conscientia.

XI. CAPVT DISSIDII.

*An Rex sit Index omnium controv
uersiarum in Ecclesia?*

¶ **C**ontroversiæ, quæ oriuntur in Ecclesia, sunt duplices: aliae circa fidem & religionem; aliae circa res alias Ecclesiasticas. Est ergo prior quæstio, an Rex, ratione sui Primatus, sit supremus Iudex omnium controversiarum, quæ pertainent ad fidem & religionem? Affirmat Henricus Salcolbrigensis, pag. 163. his verbis; *Sic luce clarius est, Christianos Principes, cum laude, controversias fidei diiudicasse & diremisse, etiam in uniuersalibus octo Conciliis, id est, Nicæno I. Constantiopolitano I. Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. Constantinopolitano III. Nicæno II. Constantinopolitano IV. in quibus variæ controversiæ fidei diiudicatae & dilempæ sunt; præsertim de diuinitate Christi, contra Arium; de diuinitate Spiritus sancti, contra Macedonitum; de una Christi persona, contra Nestoriū; de duabus in Christo naturis, contra Eutychen & Dioscorum; & sic deinceps. Has omnes controversias, ait Salcolbrigensis, ab Imperatoribus &*

Principibus sacerdotalibus diiudicatas ac diremptas esse.
 2. Contrarium asserit Tookerus, qui nullo modo
 vult Reges aut Imperatores esse Iudices cōtrouersiarū
 fidei. Sic enim habet pag. 3. *Otere autem malitiā ac cla-
 ritate audaciam tuam illud videtur, cum Regem caput Ec-
 clesiae Primatemq; configas, omniumq; causarum & con-
 trouersiarum, quae ad fidem & religionē pertinent, Iudicem
 tribuas. Et pag. 50. *Rex in suo regno, omnibus superior sit,
 nulli subditus, fidei Iudex ne appelletur quidem. Et pag.
 313. Reges Christiani non sunt fidei ac religionis Iudices.**

3. Igitur si in Anglia oriretur dissensio de alioquo
 puncto fidei ac religionis, ut v. g. de reali præsentia
 Christi in Eucharistia: quid facerent Academici? quid
 ciues, quid reliqui subditi? An adirent Regem, tan-
 quam Iudicem, & ab eo sententiam peterent? Non fa-
 ceret Tookerus: An alium Iudicem postularent? At
 alium non ferret Salcolbrigiensis. *Quid ergo futurum
 esset? Id planè, quod hactenus factum est in dissen-
 sione de Primitu Regio. Semper litigat Angli de hoc
 Primitu: nunquam finiri lis potest. Quid causæ? quia
 diuersi sentiunt, & certum Iudicem, qui litem dirimat,
 reperire non possunt: vel potius, non volunt. Hæc hæ-
 reticorum proprietas est.*

4. Posterior quæstio: An Rex sit Iudex omniū con-
 trouersiarum, quæ alias res Ecclesiasticas concernunt?
 Affirmat Salcolbrigiensis, pag. 165. cùm ait; *Audim con-
 trouersias Episcopales ab Imperatore diremptas? Quid sen-
 tiat Tookerus, non satis constat. Aliquando videtur
 affirmare, ut pag. 24. Nēmini, inquit, dubium est, quin in
 primitua Ecclesia, de rebus & personis Ecclesiasticis, ius di-
 cierent Imperatores. At pag. 23. videtur negare: Non est
 princeps, inquit, supra res, sed supra personas. Et pag. 49.
*Rex in suo regno supremus est, non supra res, sed supra
 homines. Vbi que dissidium,**

Responsio Richardi examinatur.

5. **A**ls nullum hic esse dissidium inter Henricum & Tookerum: Vtrumque idē negare; vtrumque idem asserere. Miror impudentiam tuam, Richard. Repetantur verba vtriusque, quæ paulo ante posui; & apparebit dissidium. Verba Henrici sunt; *Luce clarus est Christianos Principes cum laude cōtrouersias fidei dijudicasse & diremisse. Verba Tookeri; Reges Christiani nō sunt fidei ac religionis Iudices. Hæc illis ex diametro repugnat. Nam si Reges Christiani nō sunt Iudices fidei, quomodo cum laude iudicant & dirimunt cōtrouersias fidei? Et viceversa, si cum laude iudicat & dirimunt cōtrouersias fidei, quomodo Iudices fidei nō sunt? Nemo tam cæcus sit, qui nō videat hoc dissidiū.*

6. Quod prætendis, Henricum nō loqui de supremo Iudice, frustra est. Nam hic per supremū Iudicem non intelligimus eum, qui absolutè & simpliciter supremus est, quem constat esse Deum, (neque enim disputamus, an Rex sit Deus) sed supremum inter homines in hac vita. Iam autem certum est, Henricum sentire, Regem esse supremum fidei Iudicem inter homines in hac vita, quia nullum aliud mortalium in hoc genere agnoscit supra Reget. At Tookerus, nec supremum vult esse inter homines, nec ullo modo Iudicem, *Fidei, inquit, Iudex, ne appelletur quidem Rex.*

7. Poteras hoc ex alio capite aduertere, Nam quæstio de supremo Iudice controvenerat fidei, eo sensu solet ac debet accipi, quo quæstio de supremo capite Ecclesiæ, & supremo Præside Conciliorū: At hæc non intelligitur de supremo capite & Præside absolutè, qui est Deus, sed de supremo inter homines in hac vita degentes: Ergo & illa simili proportione intelligi

V 5 debet.

debet. Vtraque autem quæstio inter vos & nos controuertitur. Nos dicimus, supremum caput, Præsidem ac Iudicem, esse Pontificem: Vos Regem aut Imperatorem. Inter vos tamen dissidium est, dixi. Nam Henricus disertè affirmat, Reges Christianos in primis octo Conciliorum generalibus, fuisse Præfides & Iudices controuersiarum fidei: & sine dubio, intelligit fuisse supremos, inter eos, qui Conciliis interfuerunt, id est, supra Episcopos & Pontifices. At Tookerus absolute, & sineulla distinctione, id negat, cum inquit: *Fidei Index quo appelleatur quidē Rex.* Nimirum, serenissimi Regis vestri sententiā sequitur, qui in controuersiis fidei, emittit vnumquemq; ad priuatam suam conscientiam. Sic enim scribit in Monitoria sua præfatione: *Opto, ut velitis Scripturas peruelutare, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, fidei fundamentum collocare.* Quod perinde est, ac si dicat, nullum esse certum Iudicem in negotio fidei, sed vnumquemque proprio iudicio debere acquiescere. Igitur Tookerus sentit quidem cum serenissimo Rege, sed tamen dissidet ab Henrico, ut ostensum est. Tu in vtramque partem claudicas.

8. Repeto ergo & illud, quod ante posui: Si in Anglia oriretur dissensio de aliquo punto fidei, vt v. g. de reali præsentia Christi in Eucharistia, quid facerent Academici? quid ciues, quid reliqui subditi? An adirent Regem, tanquam supremum in Anglia Iudicem, & ab eo sententiam peterent? Id quidem ficeret Henricus. At Tookerus stomachabundus diceret, Regem nec esse, nec ullo modo nominari posse fidei Iudicem. Et ipsemet Rex, vnumquemque ad propriā conscientiam amandaret. Quid tu facheres, Richard? Claudi-cares, vt dixi, in vtramque partem.

9. Quæ adfers de controuersiis Catholicorum inter se,

fe, nec intelligis, nec ad dissidium Anglorum componendum faciūt. Sunt autem hæc. 1. an Pontifex sit universalis Episcopus. 2. an fides Hæreticis seruanda sit. 3. an corpus Christi in Eucharistia frangi possit. 4. an sit ibi præsens sine quantitate. Ais Catholicos in his punctis dissidere, & litem finiri non posse. Hoc quidem falsum est; sed tamen si gratis tibi dem, quid obsecro, efficies? An inde colliges, Anglos inter se non dissidere? Nihil minus. Ni si sic velis ratiocinari; Catholici dissident inter se in quibusdam punctis: Ergo Angli non dissident in puncto de Primitatu Ecclesiae. Ineptissime. Perinde; ac si ita concludas; Bataui litigant in foro: Ergo Scotti non litigant in curia.

XII. CAPVT DISSIDI.

*Vnde, & quo titulo Rex habeat Primatum
in Ecclesia?*

1. **S**ensus est, an Rex ex eo præcisè, quia Rex est, an Sex eo potius, quia Rex Christianus est, habeat Primum Ecclesiæ; Priorem partem videtur amplecti Thomsonius, p. 78. cùm ait; *Omnes Principes, etiam Pagani, obiectiuè habent supremam potestatem in omnes omnino personas suorum subditorum, & generatim in res ipsas, siue ciuiles sint, siue sacrae, ut in cultu diuino & religione procuranda, saltem quoad modum & exercitium.* Et pag. 94. *Primatus est Regium bonum; quod censura tolli non potest. Nec est absurdum, Regem velut Ethnicum, esse Primum Ecclesiæ.* Et ibidem; *Rex Ethnicus, cum Christo iniciatur, non acquirit Primum de novo.* Cui consentit Burhillus pag. 251. *Rex, inquit, titulo Regis temporalis, potest sibi vendicare & assumere Primum Ecclesiæ.*

Ec

Et pag. 267. Rex et si iustissimè excommunicatus, non amittit Primatum in rebus Ecclesiasticis.

2. Contrarium docet Sacellanus in Tortura Torti, pag. 39. vbi asserit, Primatum Ecclesiæ conuenire Regi, non quia Rex, sed quia Rex Christianus est; idemque Reges ethnici non habere Primatum Ecclesiæ, quamdiu ethnici sunt, sed eum accipere, quādo fiunt Christiani; & rursum amittere, quando excommunicantur. Verba eius sunt hæc, *An non Regi ethnico prestare fidem fas? Imo nefas non prestare. In ethnico enim est vera potestas temporalis, idque sine ordine ad potestatem Ecclesiasticam.* Et paulò post; *Rex qui uis, cum de ethnico Christianus fit, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum. Itidem, cum de Christiano fit sicut ethnicus, vigore sententiae amittit nouum ius, quod acquisuerat, sed retinet terrenum ius in temporalibus, quod fuerat illi proprium, priusquam Christianus fieret.*

3. Ex sententia Thomsonij & Burhilli sequitur, omnes Reges, siue Christiani, siue ethnici, siue cuiuscunque sectæ ac religionis sint, habere Primatum Ecclesiæ in suis regnis. Igitur omnes Anglos & Scotos, qui viuunt Constantinopoli, subiectos esse Imperatori Turcatū in rebus Ecclesiasticis; qui in Hispania subiectos esse Philippo Regi, qui Romæ, Pontifici; & sic deinceps. Quid ergo facient, si Turcarum Imperator iubeat eos Alcoranum sequi, si Rex Hispaniæ, ad Missam audiendam adigat; si Pontifex, ad orandum pro defunctis hortetur; si Rex gentilis ad idololatriam impellat? An parebunt imperio? At contra cōscientiam facerent. An non parebunt? Sic actum est de Primatu Ecclesiæ. Dicent fortè, se parituros, vbi visum est. Ergo ne subditi erunt Iudices suorum Regum? Ergo ne Catholici in Anglia poterunt usurpare hanc vocem? *Audi Rex in hoc punctione visum est parere tuo imperio, in isto non est.*

Respon-

Responsio Richardi examinatur.

4. **H**ic, quia nimis apertum dissidium est, in quo componendo videris desperare, in me imperium iracundè facis. Ac tria potissimum obiicis, 1. vel obliuionem vel insaniam. 2. malam dialecticam, 3. inscitiam. Expendamus singula.

5. Primo ergo sic obiicis; Iesuitam hoc loco, vel sui oblio-
uio caput, vel occupauit insaniam. Passim asserit, Regē nullum,
sive Ethnicum, sive Christianum, aliquem in Ecclesia habere
Primatum. Hic querit, unde & quo titulo Rex habeat Pri-
matum in Ecclesia? Querit igitur originē eius rei, quam rem
nullam esse, proinde originem nullam habere, statuit. Si tollit
suppositum, videlicet, Regem habere Primatum Ecclesiæ, vel
ex eo præcisè, quia Rex est, vel ex eo, quia Rex Christianus
est; ineptus est Sophista. Si concedit, cum hoc constet Serenissi-
mum Iacobum, & ortu Regē esse, & religione Regem Chri-
stianum, insanus est rixator. Nam si habet Rex Primatum
Ecclesiæ, quid refert utrum habeat illum ex eo præcisè, quia
Rex, an quia Rex Christianus? &c.

6. Respondeo. In hoc quidem puncto, nec obliuio-
sus, nec insanus sum, Richarde Tollo quidem supposi-
tum ex mea sententia, id est, nego Regem habere Pri-
matum Ecclesiæ; sed tamen concedo ex vestra senten-
tia, quia vos asseritis habere. Igitur ex mea sententia
non dispiuto, unde & quo titulo Rex habeat Primatum
Ecclesiæ? Nam si omnino non habet, frustra dispiitem,
unde habeat. At ex vestra sententia, qui dicitis habere,
merito disputare potui, unde & quo titulo habeat, iux-
ta eandem vestram sententiam. Et hoc ideo feci, ut
ostenderem vos in hoc puncto dissidere. Nam Thom-
sonius & Burhillus dicunt, Regem ex eo præcisè, quia
Rex est, habere Primatum Ecclesiæ; Sacellanus, non ex

eo quia Rex, sed quia Rex Christianus est. Itaque ex sententia Thomsonij, & Burhilli, omnes Reges, tam Ethnici, quam Christiani, sunt Primates & Capita Ecclesiæ, ex Sacellani sententia, soli Christiani. Magnum sanè dissidium. Hoc compone, si potes. De mea obliuione vel insania sollicitus ne sis.

7. Quod addis, nihil referre, quo titulo Rex habeat Primum Ecclesiæ, modo habeat; nouum dissidium est. Imò magni refert iuxta Thomsonium & Sacellani. Nam si habet ex eo præcisè, quia Rex est, non potest amittere, quamdiu Rex est: si ex eo, quia Christianus est, potest amittere. An tu putas nihil referre, an Primatus Ecclesiæ amitti possit, nec ne? Si amitti potest, Rex securus non est: Si non potest, dormiat in utramque horam.

8. Secundò obiicis, quod sim malus Dialecticus. Sic enim ait me argumentari: Omnes Reges, tam Ethnici quam Christiani, habent Primum Ecclesiæ in suis regnis, iuxta Thomsonium & Burhillum: Ergo omnes in illis regnis viuentes, tenentur omnia facere, quæ ab illis Regibus, etiam impie mandata sunt. Hoc argumentum multis verbis exagitas. Nec repugno: quia non est meum, sed tuum. Hoc meum est: Omnes Reges, tam Ethnici, quam Christiani, habent Primum Ecclesiæ in suis regnis, iuxta Thomsonium & Burhillum: Ergo omnes Scotti & Angli viuentes in illis regnis, subiecti sunt Regibus in rebus Ecclesiasticis, tanquam Primum in Ecclesia habentibus. Hoc rectè. Quo posito, non tam dispujo, quam quæro, quid Angli & Scotti facturi essent, si Reges mandarent ipsis aliquid pertinens ad Ecclesiam & religionem? Et quæstionis meæ tria sunt membra. 1. an semper, & in omnibus essent parituri, 2. an potius nunquam? 3. an aliquando, cum ipsis visum esset? Si semper

semper & in omnibus parerent, facerent contra conscientiam. Si nunquam, non agnoscerent Primatum. Si tunc solùm, cum ipsis visum esset, constituerent se iudices sui Primitatis ac Capitis. Hæc tripartita quæstio reprehendi non potest. Et merito responsum ab illis peto. Aut à te, si illi negent.

9. Tertiò obiicis, me ex inscitia male interpretari verba Sacellani. Verba eius in Turtura Torti, pag. 39. sunt hæc: *Dominia non fundantur in fide: & ut fide non fundantur, sic infidelitate non euertuntur.* *Quin Rex quiuis, cum de Ethnico Christianus sit, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum.* Ais me hæc verba sic interpretari, quasi Rex quiuis, cum de Ethnico sit Christianus, acquirat nouum ius, id est, Primatum Ecclesiæ. Vnde vterius infers, me eodē sensu interpretari verba Bellarmini lib. 5. de Pontifice, cap. 3. cum ait; *Quando Rex sit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod in re obtinebat, sed acquirit nouum ius, id est, Primatum Ecclesiæ, me interprete.* Mox subiicis: *Habemus hic confidentem reum Cantemus triumphum. Nam planè euicimus, Christianos Principes habere Primatum in Ecclesia.* Ponit enim Bellarminus dogmaticè, *Reges Ethnicos cum sicut Christiani, acquirere nouum ius, hoc est, (inquit Becanus) Primatum Ecclesiæ. Reges ergo Christiani, Ecclesia Primatum habent.*

10. Audi Richard. Nitidè citò triumphum canis. Non interpretatus sum Bellarmini, sed Sacellani verba. Et licet utriusque verba videantur esse eadem, præsertim hæc; *Quando Rex sit Christianus, non perdit terrenum ius, sed acquirit ius nouum, non tamen eodem sensu prolati sunt.* Quod manifestum est ex antecedentibus & consequentibus. Nam Bellarminus scribit; *Quando Rex sit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod iure obtinet, sed acquirit nouum ius ad vitam eternam.* Quibus posterioribus verbis clarè explicat, quid

quid intelligat per nouum ius , nempe , ius ad vitam æternam , quod non solum Reges Ethnici , sed etiam subditi eorum acquirunt , quando fiunt Christiani. At Sacellanus alio sensu intelligit , Reges acquirere nouum ius , quando fiunt Christiani , quia scilicet acquirunt Primum Ecclesiæ. Quod aperte conuinci potest ex verbis præcedentibus. Sic enim ait ; *In Ethnico Rege est vera potestas temporalis, idque sine ordine ad potestatem Ecclesiasticam.* Quid hoc aliud est , quam in Rege Ethnico esse potestatem temporalem; non tamen Primum Ecclesiæ , qui consistit in potestate Ecclesiastica? Cum ergo paulò post addit ; *Rex quiuis,cum de Ethnico fit Christianus , non perdit terrenum ius , sed acquirit ius nouum;* vult sic intelligi , acquirit nouum ius , id est , potestatem Ecclesiasticam , seu Primum Ecclesiæ. Nam antea habebat potestatem temporalem sine Ecclesiastica ; postea utramque habet. Idem constat ex verbis sequentibus , cum ait ; *Cum de Christiano fit sicut Ethnicus , vigore sententiae amittit nouum ius , quod acquisierat.* Quod est illud nouum ius , quod amittit vigore sententiae , seu excommunicationis ? Certè non est ius ad vitam æternam , de quo loquitur Bellarminus , quia illud ius amittitur per propriam culpam , non per excommunicationem ; sed est ius Primatus Ecclesiastici , de quo loquitur Sacellanus. In nunc Richard , & triumpha.

E P I L O G V S.

Hactenus examinavi libellum tuum , Richard , quem sub titulo *Concordia Anglicana* , Serenissimo Regi dedicasti. In eo deprehendi tria potissimum vitiorum genera .1. calumnias & mendacia .2. falsas , depravatas , & pudendas citationes .3. lites & dissidia intestina. Ex quibus colligo triplex consecutarium . Primum

mum est, causam vestram Anglicanam, de Primate Ecclesiæ Regio, penitus desperatam iam esse, si non aliis fundamentis, quam tuis calumniis, imposturis & dissidiis subnixa est. Alterum, conatum ac laborem, quem in Regis gratiam & defensionem suscepisse visus es, plus ignominiæ, quam honoris, Regiæ Maiestati attulisse. Tertiū, libello tuo hunc potius titulum fuisse præfigendum, *Concordia vulpium Anglicanarum de Primate Ecclesiæ Regio.* Causā supra insinuaui. Nec dubito quin hæc omnia, à Serenissimo etiam Rege deprehensa sint. Si deinceps scribendi animus tibi est, tollēda sunt hæc vitia, quæ ne in homine quidem ethnico, multo minus in Christiano, tolerari fas sit. Alioqui, si pergas, ut cœpisti, non te modo, sed totam Angliam ludibrio expōsitus es. Et exteri credent, non iam Fortunatam Insulam, sed monstrorū parentem esse, ex qua tot portenta quotidie nasci compertum est. Quanquam ego, non tam indoli gentis quæ in pletisq; bona est, quam vobis Prædicantibus, ascribendum id esse existimē. Vos mācipia ventris ac libidinis, quidquid fidei, pietatis & auitæ modestiæ in gente Anglorum est, vestris calumniis, mendacij, fraudibus, adulacionibus, omnino euertitis; & contraria vitia promouetis. Similes profectò cornicibus, quæ in Anglia sunt; de quibus Gerardus Mercator in suo Atlante, sic scribit, *Nusquam gentium major cornicū multitudo, genus anium ibi maleficum non enim modo maturas fruges deudrat, sed, cū nascuntur, rostro semē euellit;* sic ut agricultoris necesse sit, per id tempus pueros locare per arua arcubus instructos, qui eas abigant. Planè, tales vos estis. Non modo religionis, pietatis, & aliarū virtutum maturas fruges, quantum in vobis est, destruitis; sed etiam, cum alicubi nascuntur, rostro semen omne euellitis, & nisi arcubus abigamini, parum bonæ frugis in tota Insula sperari potest. Ignosce, si errem.



OPVSCVLVM III.
MARTINI BE-

CANI SOCIETATIS

IESV THEOLOGI,

AD IOANN. SARTO-
RIVM MINISTRVM

Lutheranum,

DE INSTITVT ET VSV SS.

EUCHARISTIE.

EPISTOLA.

ANDEM tercia tua Epistola; quam postremam fore insinuas; ad me perlata est: in qua quidem desperata causa; comitissim getis pac me mendacem; virulentum; liuidum; quadrupedem; cauillatorem; sycophantam appellas. Quod facile tibi condono. Prædicantium ista disputandi ratio est. Deinde transcriptis ex Lutherio & Kemnitio aliquot pagellis; retrere me vis. Sed frustra. Poteras integras ipsorum tomos describere; Non me terruisses. Denique ad Baldusnum; & nescio quos alios Ministros Lutheranos me remittis. Quasi verò quidquid hī dixerint; oraculum mihi esse debet. Vno verbo; nihil in tota Epistola tuum est præter conuicta. In iis robur omne; ac firmamentum collocasti.

Nec

Nec aliud à te sperare possum , nisi abiecto ministerio , Catholicam & uitam religionem amplectaris. Quod sane , ut aliquando eueniat , & nuperimè tibi precatus sum , & nunc iterum ex animo precor. Quanquam , nisi dispulsa prius cæcitate , nunquam id futurum est. Ad hanc porrò disspellendam , operæ pretium me facturum arbitror , si quæ hac tenus inter nos acta sunt , compendio repetam , & quasi in tabella ante conspectum tibi proponam. Ex eorum quippe consideratione , nisi omnino animum obstinaueris , facile agnosces tuam tenuitatem : & quam infirma sint subsidia , quibus causa tua nititur , nullo negotio animaduertes.

*Status controværsie inter Sartorium
& Becanum.*

I. **G**itur , ut ab initio disputationis inter nos habita exordiar , aliquot iam menses sunt , cum publicè in cathedra , absentem me irritasti. Interea per epistolas vtrinque actum est : Et tu quidem accusatoris ; ego rei simul ac patroni officio perfunctus sum. Caput accusationis est quod in libello meo de communione sub utraque specie (quem Reuerendissimo & Illustrissimo Principi ac Domino , D. Ioanni Suicardo , Archiepiscopo & Electori Moguntino , ante quinque annos dedicaui ,) scripserim hæc verba : *Christus bis instituit cœnam Eucharisticam : semel Hierosolymis sub utraque specie : & semel in Emmaus sub altera specie.* Itemque hæc : *Si naturam rei spelest , una species sine altera consecrari potest : si ins Ecclesiasticum , non potest.* In vtriusque dixisti nouum & absurdum dogma contineti. Et hoc , tum publicè pro concione ; tum priuatim in litteris ad me datis.

Ego contra, non nouum, sed à magnis authoribus, qui ante me scripserunt, assertum fuisse contendit. Atque hic controvèrsiæ, quæ inter nos versatur, cardo est. Nunc videamus, quo argumento me oppugnaueris: & vicissim quid à me responsum sit.

Argumentum Sartorij contra Becanum.

3. **P**rimum ac principale argumentum, quo me oppugnasti in prīma tua Epistola est hoc: *In omnium Pontificiorum scriptis non memini me legere dogma illud Becani: Ergo nouum & absurdum dogma est.* Iam saepe negavi consequentiam; nec hactenus à te probata est. Multa alia sunt, quæ in scriptis Pontificiorum non legisti. An ideo noua & absurdā. Quam multos nouimus Prædicantes, qui vix ullum Pontificiorum scriptū legerunt. Imò, quam multos, qui ne legere quidem norunt. An ideo noua & absurdā omnia, quæ ab illis lecta non sunt?

4. Dicam clariùs. Tria supponis in hoc argumento. Primò, te omnium Pontificiorum scripta legisse. Secundò, in nullius Pontificij scripto reperiri id, quod à me dictum est. Tertiò, omnia noua & absurdā esse, quæ in scriptis Pontificiorum non habentur. Nisi hæc tria supponas, inane est argumentum. Si autem supponis, tribus vitiis labore necesse est. Nam duo priora apertè falsa sunt: tertium, si verum est, euertit totam Lutheranorum sectam. Singula demonstrabo.

Primum vitium argumenti Sartoriani.

5. **I**gitur primò supponis, te omnia Pontificiorum scripta legisse, quod sine dubio falsum est. Vnde argu

argumentum, quod nititur hac falsa suppositione, nō modo ineptum & ridiculum, sed etiam stolidum esse conuincit. Quod aliquot exemplis nuper à me ostensum est. Ea hic repeto.

Primo, Faciamus aliquem, qui nusquam nisi in Saxonia fuerit, Viennam venire; vbi peregrinum quempiam Hispanicē vel Italicē loquētem audiat. Deinde, coram viris prudentibus, qui astant, sic ratiocinetur: *In omnibus Europe prouinciis non memini me audire hoc idioma: Ergo nouum & absurdum est.* Quid illi, qui audiunt, dicturi sunt? Nihil aliud, quām hominem infānire. Et meritò. Nusquā fuit, nisi in Saxonia. Non fuit in Belgio, non in Anglia, non in Gallia, non in Hispania, non in Italia, non in Polonia: Et tamen fiderenter asserit; *In omnibus Europe Prouinciis non memini me audire hoc idioma.* Thrasonica vox. Simulat se fuisse, vbi non fuit. Et quod deterius est, iudicat omnia idioma-ta noua & absurdā esse, quæ ipse non audierit.

6. Accipe aliud. Sartorius Viennæ in Templo sancti Stephano videt Rectorem vniuersitatis cum aliis Academicis sacrificio Missæ interesse. Domum reuersus concendit cathedram, & publicè affatur auditores in hunc modum: Audite rem nouam & absurdam. Vidi Academicos Viennenses sacrificio Missæ interesse, quod in omnibus Christiani orbis Academiis nō memini me videre. Quid hic auditores? Mulierculæ, quæ ex voce & barba omnia metiuntur accipient oraculi loco, quod dictum est: Et vxori Sartorianæ gratulabuntur, quod talem maritum nacta sit, qui tanquam ocularis testis, omnium Academiarum instituta perspecta habeat. Longè aliter prudentiores. Quid, inquiet, venit in mentem isti homini, quod tam temere de omnium Academiarum more & consuetudine affirmare ausus sit? Nullam vidit Academiam, nisi

vnam aut alteram in Saxonia. Non vidit Louaniensem in Belgio, non Parisiensem in Gallia, non Salmanticensem in Hispania, non Bononiensem in Italia, non Moguntinam in Germania, non Herbipolensem in Franconia, non Ingolstadiensem in Bauaria, non alias alibi: Et tamen, quasi omnes vidisset, audacter pronunciat: *In omnibus Christiani orbis Academiis non memini me videre Academicos Sacrificio Missæ interesse.* Homo sine dubio, stolidus, qui nihil, nisi inanem gloriam aucupatur. Hæc illi.

7. Eodem modo tu agis, mi homo. *In omnium, inquis, Pontificiorum scriptis non memini me legere dogma illud Becani: Ergo nouum & absurdum est.* Mirantur simpliciores & putant te omnia legisse. Rident alij, qui te melius norunt. Et sic taciti apud se: Certè, homo ille mirè stolidus ac temerarius est. Non aliter scribit ac loquitur, quām si omnia Pontificiorum scripta per uolitasset. Et tamen constat, pleraque ne quidem visa ab eo esse. Legerit fortasse Bellarminum, aut Stapletonum, aut Pistorium: At alios sexcentos nec legit, nec vidit. Non legit Alexandrum Alensem, non Bonauenturam, non Ægidium, non Gandauensem, Scotum, Richardum, Marsilium, Paludanum, Ariminensem, Almainum, Baconum, Aureolum, Capreolum, Ferratiensem, non similes alios: qui tamen inter Pontificios celeberrimi sunt. Vix nomina eorum illi nota sunt. Quæ ergo insania est, cum istos non legerit, ausum esse scribere, *In omnium Pontificiorum scriptis non memini me hoc legere?* Hæc non ego, sed tui auditores.

Secundum vitium.

8. Secundò supponis, in nullo Pontificiorum scripto meum dogma contineri. Hoc etiam falsum est.

est. Nam multos citauit Pontificios, qui mecum sentiunt. Et quidem pro priori parte dogmatis (quod scilicet Christus semel sub utraque, & semel sub una specie instituerit cœnam Eucharisticam) citauit Alphonsum Salmeronem tomo 9. tract. 35. Maldonatum in cap. 24. Lucæ, Gregorium de Valentia tom. 4. disput. 6. quæst. 8. puncto 5. §. 7. Henricum Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 13. num. 2. & cap. 44. num. 3. Toletum in cap. 6. Ioannis, notat. 27. Heissum in castigatione voluminis Acatolici, artic. 18. §. 3. Ioannem Hesselium, Cardinalem Hosium, Rupertum Linconensem, Balduinum Cantuariensem, Gilbertum Abbatem, & alios allegatos ab Henriquez lib. 8. cap. 16. in glossa marginali.

9. Pro posteriori (quod scilicet, si spectemus natu-
ram rei, una species sine altera consecrari possit) citauit eundem Salmeronem, & alios ab eo allegatos, ut
duos Innocentios Pontifices, Albertum Magnū, Ale-
xandrum Alensem, Ioannem de Turrecremata, An-
gelum, Gabrielem Biel, Adrianum Papam, & authorem
Summæ Pisanæ. Item Antonium 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 1.
circa finem, Genebrardum in Chronico, Claudium
rep. 10. de Eucharistia, cap. 3. & 4. Tapperum artic. 14.
Henriquez lib. 8. cap. 13. num. 1. Hi omnes docent,
quod ego. Falsum igitur est, quod supponis in tuo ar-
gumento, in nullo Pontificiorum scripto meum dog-
ma reperiri. Hic, quia constrictum te aduertis, variis
modis conaris eluctari. 1. per inconstantiam & men-
daciū. 2. per malam fidem. 3. per meram conten-
tionem de vocibus & vocabulis. 4. per temeritatem.
Quæ omnia in progressu ostendam, præsertim §. 13.
& sequentibus.

Tertium vitium.

10. **T**ertiò supponis, omnia dogmata, quæ in scriptis Pontificiorum non habentur, noua & absurdâ esse. **Q**uod si falsum est, ruit argumentum tuum. Si verum, tota Lutheranorum secta euertitur. Sic enim licebit ratiocinari: In omnium Pôtificiorum scriptis nō habentur hæc dogmata Lutherana. 1. Humanitas Christi est ubique. 2. Sancti non sunt inuocandi. 3. Non est orandum pro mortuis. 4. Infantes, cum baptizantur, habent actualem motū fidei. 5. Duo tantum sunt Sacra menta. 6. Matrimonium non est Sacramentum. Ergo hæc dogmata Lutherana noua & absurdâ sunt. **Q**uid hic respondes, mi Sartorie? Alterutrum fatearis necesse est, vel legitimam esse consequiam, vel illegitimam; Si legitima est, ruit Lutheranismus. Si illegitima, tua est.

11. Iam vides, opinor, triplici virtute laborare argumentum, quod à te factum est. Nititur enim tribus principiis, quorum duo priora manifestè falsa sunt: tertium, tuæ sectæ, quam defendis, penitus contrarium. Disce deinceps melius argumentari; nec temere aliquid affirmes de scriptis aliorum, quæ non legisti. **A**lioqui, si semel hæc argumentandi forma admittatur, actum erit de tuo capite. Nam rustici, qui te audiunt concionantem, statim hoc enthymemate te inuident: *In omnium Lutheranorum scriptis non meminimus nos legere, quod tu hodie in cathedra affirmasti: Ergo nouus & absurdus homo es.* Et quid, obsecro, responderes, si sic tecū agerent: Remitteres eos, sine dubio, ad agros & vineas, in quibus melius, quam in libris versati esent. Rectè. Et ego ad nuptias rusticorum, vel ad Lutheri colloquia mensalia te remitto, in quibus melius,

quam

quām in scriptis Pontificiorum, versatus es. Ex eorum officina poteris sic recte argumentari: In omnibus Lutheri colloquiis mensalibus, quæ diligenter euolui, nō memini me quidquam legere pium aut honestum, sed omnia scurrilitate plena sunt: Ergo Lutherus in Colloquiis parū pius & honestus, sed insigniter scurritilis est. Vel sic: In omnibus nuptiis, quæ hoc anno in mea parochia celebratæ sunt, nō memini me tam suauiter bibere & saltare, quam heri in nuptiis Melibæi: Ergo Melibæus optimè de me meritus est. Hoc facile credent, qui te norunt.

12. Et hæc haec tenus de primario arguento, quo me oppugnasti. Quod quām debile ac invalidum sit, facile iam perspicis, si cærebrium habes. Igitur si in hoc certamine, cuius tu author es, perstare vis, aut fatere, quod res est, nihil te haec tenus effecisse: aut si tam obstinato es animo, ut fateri nolis, responde sigillatim ad singula vitia, quæ iam obiecta sunt. Nec putes satis esse, si conuictis me obrucas, ut iu postrema epistola à te factum est. Nam illa quidem minimè me laedunt: & tibi apud viros prudentes parum gratiæ conciliant.

Sartorius mendacio se defendit.

13. IN prima epistola absolute dixeras, in nullo penitus Pontificiorum scripto meum dogma repetiri posse. Mox produxi aliquot recentiores Pontificios, in quibus reperitur. Non poteras negare. Igitur ut laqueum, quo te tenebam, exueres, mendacio usus es, & in altera epistola asseruisti, non de omnibus, sed de veteribus Pontificiis, qui ante ortum Iesuitarum scripsérunt, locutum te esse. Quod manifestè falsum est. Nam speciatim etiam, & quidem maximè locutus es de iis, qui fuerant in Concilio Tridentino. Consule

epistolam tuam, & inuenies. At Pontificij, qui fuerunt in Concilio Tridentino, non sunt antiquiores Iesuitis. Imò inter illos fuerunt aliqui Iesuitæ, vt Iacobus Laynes, Alphonsus Salmeron, & Ioannes Cuiilonius.

14. Hoc mendacium, si meministi, nuper tibi obieci. Nec in tertia epistola, quæ interea à te scripta est, potuisti te purgare, sed silentio dissimulasti. Qua in re laudo candorem tuum. Putabas satius esse, nihil dicere, quam apertum mendacium negare aut excusare. Et sic est. Sed tamen, quid mentiendo profecisti? Nihil penitus. Nam esto: de solis veteribus Pontificiis locutus fueris. Manebit nihilominus inepta hæc consequentia: *In omnibus veteribus Pontificiis non memini me legere hoc dogma: Ergo nouum & absurdum est.* Nam hic etiam supponis, omnes veteres Pontificios à te lectos esse, & in nullo illorum meum dogmæ reperiri posse: quæ ambo falsa sunt. Vix vlos legisti: & iam ante multos cetaui, qui mecum sentiunt.

Sartorius litigat de nomine.

15. **Q**via mendacium non successit, cœpisti litigare de nomine: Et importunè vrsisti, vt producerem aliquem Pontificium, qui veteretur his ipsis verbis, quibus ego usus sum, *Christus bis instituit cœnam, semel sub utraque, semel sub una specie.* Produxi Alphonsum Salmeronem. Iterum vrsisti, vt aliquem ex veteribus producerem. Respondi, de vocibus non esse litigandum, si de sensu constaret. Veteres non quidem iisdem vocibus, sed tamen codem sensu scripsisse, quo ego scripsi. Scripsisse, in quam, Christum Hierosolymis sub utraque, & in Emaus sub una specie consecrasse & porrexisse Eucharistiam. Nihil aliud me velle.

yelle. Nec modum loquendi, quo *vsus* sum, (tametsi fortè à paucis, in hac quidem materia, *vsitatus* sit) absurdum videri oportere. Sicut enim rectè ac Latinè dicimus, Imperatorem bis diuerso tempore instituisse solenne prandium; aut Sartorium bis diuersis diebus instituisse lautam cœnam: Ita rectè ac Latinè dici posse, Christum bis instituisse Eucharisticam cœnam. Idque confirmaui ex communi sensu & consensu Ecclesiæ, quæ in festo Corporis Christi (vt patet ex Missali Romano) sic publicè legit: *Dies enim solennis agitur, in qua mensa prima recolitur huius institutio.* Cur dicitur *prima*, nisi quia datur secunda ? Prima facta est Hierosolymis sub vtraque; secunda in Emmaus, sub una specie.

16. Sed nondum acquiescis. Iterum in postrema epistola vrges, vt producam aliquem ex veteribus, qui vtatur his verbis, *Christus bis instituit cœnam.* At ego vicissim te vrgo, vt producas aliquem ex veteribus, qui vtatur his vocibus, quibus tu vteris, *Christus semel tantum instituit cœnam: vel, Christus non instituit bis cœnam.* Quid si id præstare non possis ? An non tuo te gladio ingulaueris ? Nihil certius. Nam si tecum contendas hoc modo ; (Hæ voces, Christus bis instituit cœnam, non habentur in antiquis Scriptoribus: Ergo dogma, quod his vocibus significatur, nouum & absurdum est.) Ego vicissim regeram hoc modo ; (Hæ voces, Christus non instituit bis cœnam, non habentur in antiquis Scriptoribus; Ergo dogma, quod his vocibus significatur, nouum & absurdum est.)

17. At obiicis autoritatem Lutheri & Kemnitij, qui assertunt hoc interesse inter institutionem & consecrationem, quod institutio includat mandatum, non item consecratio. Vnde videris sic velle concludere; Institutio includit mandatum: at Christus semel tantum dedit mandatum de sumenda cœna, nempe Hiero-

Hierosolymis (nam in Emaus non dedit.) Ergo semel tantum instituit cœnam, non bis; etiam si daremus bis consecrasse. Miror te, Sartorie. Primo, quia legē quā mihi præscribis, tu ipse nō seruas. Præscribis, ut producam veteres authores; & reuicis Alphonsum Salmeronem, Maldonatum, Toletum, & alios Iesuitas, tanquam nouitios. At Lutherus & Kemnitius æquè nouitij sunt. Cur igitur eos adducis? Cur non veteres Scriptores, quos à me citari postulas, citas ipse pro te? In promptu causa est, quia non potes. Secundo, quo argumento probant Lutherus & Kemnitius, institutionem Hierosolymis factam includere mandatum de porrigenda & sumenda vtraque specie? Hoc enim Catholici negabunt. Et negarunt hactenus. Vos nondum probastis. Imò in hoc omnis controvërsia est, an extet aliquod mandatum Christi de vtraque specie. Tu vis, ut credam Luthero & Kemnitio, qui asserunt extare. Quid si velim, ut credas melioribus authotibus, qui negant extare? Tertiò, syllogismus, quem sumis ex Luthero & Kemnitio, vitiosus est. Nam maior propositio, si est universalis, falsa est. Non enim omnis institutio includit mandatum. Nam multa sunt à Deo instituta, quæ non sunt mandata, ut matrimonium, ordo Ecclesiasticus, lotio pedum ante communionem. Si est particularis, frustra est. Nam ex puris particularibus nihil concluditur. Igitur si sic formes syllogismum: (Omnis institutio includit mandatum: At Christus non dedit bis mandatum de cœna: Ergo non instituit bis cœnam:) neganda est maior propositio. Si autem sic: (Aliqua institutio includit mandatum: Christus non dedit bis mandatum de cœna: Ergo non instituit bis cœnam) neganda est consequentia. Si hoc capis, benè est: si minus, Dialeticos consule.

Sartorius mala fide agit.

18. IN prima Epistola, mala fide citasti mea verba , & in altera negasti te id fecisse. Sed interea conuicere de hoc crimine. Nam verba mea sunt hæc : *Si species naturam rei, una species sine altera consecrari potest: si ius Ecclesiasticum, non potest.* Tu, omissis quatuor primis vocalis, citasti hoc modo : *Vna species sine altera consecrari potest.* Quid hoc aliud est, quam tollere distinctionem, in qua sensus totius sententiae fundatus est ? Nam si queratur, an liceat vnam speciem sine altera consecrare optimè respondebitur cum hac distinctione: licet, si species naturam rei: non licet , si ius Ecclesiasticum. Hanc distinctionem tu omisisti. Estinè hoc bona fide agese? Simili exemplo rem declarabo, Si apud Catholicos queratur, an die Veneris sacro , quo Christus mortuus est, liceat carnes comedere ? prudenter respondetur: Si species naturam rei, licet : si ius Ecclesiasticum, non licet. At imprudenter, si absolute dixeris; Licet. Item, si quæstio sit apud Iere consultos, an possessiones bonorum temporalium diuisæ , & suæ vnicuique propriae sint? Vel, an liceat dicere, Hic ager meus, ille tuus est? Communis responsio est: Si præcisè species ius naturæ , omnia communia & inditisa sunt: si ius gentium, sua cuique propria & diuisa. An hic bona fide acturum te putas, si neglecta hac distinctione , absolute dixeris, hoc modo ; Omnia communia & inditisa sunt? Nihil minus. Peruertes sensum, si sic agas ; & furibus occasionem dabis aliena rapiendi.

19. Hoc crimen mala fidei, quod tibi nuper obieceram, non potuisti diluere in ultima tua Epistola, & ideo cautè dissimulasti. Est autem Prædicantibus valde fa-

miliare ac domesticum. Et ut alia sexcenta exempla præteream, vnum adferam, quod lepidū simul ac memorabile est. Jacobus Hailbrunnerus, Lutheranus Superintendens, scripsit annis superioribus ingens Volumen, cui titulus est: *Bucatholisch Pabstum*. Id suo calculo approbarunt Theologi & Prædicantes Lipsienses, Wittembergenses, Dresdenses, Tübingenses & Stutgardenes. Inter quos etiam tuus Balduinus. In eo volume, inter cætera conatus est author probare, Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam, hoc argumento: Non potest esse vera Christi Ecclesia sine gratia: Ergo illa non est vera Ecclesia, à qua defecit gratia: sed gratia iam pridem defecit ab Ecclesia Romana ut fatentur ipsi Pontificij, ac nominatim Nicolaus Lyranus, in 2. Thessal. 2. Ergo Ecclesia Romana non est vera Ecclesia. Hoc argumento putabat se Catholicos posse constringere. Sed detecta est impostura. Nam Catholici inspecto Lyranō, inuenierunt hæc verba; *Gracia defecit ab Ecclesia Romana*. Hailbrunnerus pro *Gracia*, posuerat, *Gratia*. Vbi fides, vbi candor? Miror autem vel maximè, tot Prædicantes, tot Consistoriales, tot Theologos & Academicos Lutheranos, qui Hailbrunneri Tractatum legerunt & approbarunt, aut non notasse hanc fraudem, aut si notarunt, dissimulasse. In altero negligentes ac supinos; in altero impostores fuisse, necesse est. Omitto similia, quæ pasim obvia sunt.

Sartorius in authoribus, quos citat, peregrinus est.

20. **H**oc dupliciter nuper ostendi. Et nunc iterum ostendo. Primò, quia in altera tua Epistola sic scribis: *Non possum inficiari, Alphonsum tuum allegare Gabrie*

Gabrielem Biel, & alios: ex veteribus Pontificiis; sed quibus
 in scriptis ita doceant, non addit. Hic aperte ostendis, te
 nunquam legisse Alphonsum. Nam ille quidem, non
 solum allegat Gabrielem & alios ex veteribus Ponti-
 ficiis, sed etiam ad marginem disertè addit libros &
 capita, in quibus id docent, de quo ipse agit. Hoc tu
 negas. Vel ergo non legisti Alphonsum, ut dixi vel si
 legisti, mendax es. Si mendax es, cur deinceps tibi cre-
 dam: Si non legisti, cur temere affirmas, quod nescis?
 Vbique impingis.

21. Deinde in eadem Epistola sic scribis: Illa Concilia,
 Constantiense, Basileense & Tridentinum ex professo & sum-
 mo conatu hoc egerunt, ut unam speciem laicis obtruderen-
 t, & quibuscumque rationibus possent, id palliarent, propugna-
 rent, confirmarent, ut ex Gersonis scripto liquet. Hic etiam
 peregrinus es. Nam Gerson mortuus est Anno Christi
 1419. At Concilium Basileense & Tridentinum post-
 ea inchoata sunt. Basileense quidem, anno 1431 Tri-
 dentinum verò, anno 1545. Quomodo ergo ex scripto
 Gersonis liquere potest, quid in ipsis Conciliis actum
 sit? Nisi finges Prophetam fuisse, qui aliquot annis, an-
 tequam illa Concilia celebrarentur, vaticinatus fuerit,
 quid in illis futurum esset. At de hoc vaticinio nihil
 hactenus Viennæ auditū. Si in tua Bibliotheca repe-
 ritur, quæso participes nos effice. Alioqui, quomodo
 credam, quod tam audacter pronuncias ex Gersoni,
 Consilium Basileense & Tridentinum ex professo &
 summō conatu egisse, quod scribis? Potius credam, re
 ex professo & summō conatu hoc agere, ut mendacio-
 nos obruias. Quod tamen frustra est. Nouimus fraudes
 & imposturas Prædicantium.

22. Hæc duo puncta nuper attigi. De priori nihil
 respondes. Circa posterius, cum aliud non possis, sy-
 cophantiam, & virulentum me appellas. Nam Gerson,
 inquis,

inquis, interfuit Concilio Conſtatiensi, & quæ ibi acta sunt, posteritati reliquit. Non nego hoc. Sed diſputo, verita non esse, quod tu afferis, Geroniem ſcripſiſſe, quid in tribus illis Conciliis geſtum fit. Nam Geronim non vixit, quando duo poſteriora celebraſta ſunt.

*Sartorius oppugnat Eccleſiam Catholicam,
ſeu Romanam.*

23. IN ſecunda Epiftola, dupli ci argumento conten-

dis, Eccleſiam noſtram Catholicam Christo con-
trariam eſſe. Primò, quia Christus conſecrauit ſub vna
ſpecie in Emauſ: Eccleſia prohibet vniuſ ſpeciei con-
ſecrationem. Secundò, Christus Laicis confeſſit cali-
cem: Eccleſia negat. Hinc infers, Eccleſiam noſtram
non eſſe ſponsam Christi. Antiqua hæc cancilena eſt.
Iam pridem vſtri homines clamarunt, Romanam Ec-
cleſiam à fide defeciſſe, apostataſſe, meretricem factam
eſſe. Quod olim etiam Donatiſtae calumniati ſunt, Sed
audi, quid illis & vobis reſpondeat S. Auguſtinus conc.
2. in Pſal. 101. Existunt, inquit, qui dicant: Illa Eccleſia, quæ
fuit omnium gentium, iam non eſt: periit. Hoc dicunt, qui in
illa non ſunt. O impudentem uocem, abominabilem, dete-
ſtabilem, paſumptionis & falſitatis plenam. Hæc in vos
quadrant. Non eſtis in Eccleſia Christi, qui dicitis il-
lam periiffere.

24. Addo, vos, cum hoc dicitis, repugnare Christo,
Luthero, vobis ipſis. Christo quidem, quia ipſe dixit:
Super hanc perram adificabo Eccleſiam meā, & porta inferi
non præualebunt aduersuſeā. Vos dicitis, iam præualuiſſe.
Luthero etiā, quia Eccleſia Romana ſeu Pontificia ge-
nuit Lutherum, & aliquot annis educauit. Si ergo tunc
fuit meretrix, neceſſe eſt Lutherum ſpurium eſſe, &
meretrix.

meretricis filium. Quis ergo pater illius est? Denique vobis ipsis, quia ostenditis non credere vos symbolum fidei. Nam articulus symboli est, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*. Quod de Ecclesia visibili intelligendum esse, non modo Catholici & Calvinistæ consentiunt, sed etiam Philippus Melanchthon, vestræ Augustanæ Confessionis patens, in Examine ordinandorum. Vnde sic concludo: Articuli fidei semper veri sunt, nunquam falsi. Ergo semper verum est, dari Ecclesiam visibilem, quæ sancta & Catholica sit: Ergo etiam verum fuit eo tempore, quo Lutherus natus est. At tunc non alia fuit visibilis Ecclesia, quæ sancta & catholica dici potuit, quam Romana seu Pontificia. Ergo illa sola tunc fuit sancta & Catholica. Si hoc creditis, salua res est. Si non creditis, infideles estis, & symbolo fidei iniuriam irrogatis.

25. Argumenta, quæ obiicis, in te retorqueo, hoc modo. Primò, Christus porrexit Eucharistiam vesperi post cœnam: Hoc Ecclesia Lutherana per contraria consuetudinem abrogauit. Christo ergo contraria est. Secundò, Christus, antequam porrigeret Eucharistiam, lauit pedes discipulorum, & dixit: *Si ego laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes*. Nec hoc seruat Ecclesia Lutherana: Ergo hic etiam deserit institutionem Christi. Hæc dissolue, & tua dissolueris.

26. Addo tamen in aliorum gratiam, qui hæc forte lectori sunt, communem regulam, ex qua solida solutio petenda est. Hac scilicet: *Ea, quæ Christus in utramque partem libera nobis reliquit, in alterutram ab Ecclesia determinari possunt*. Liberum reliquit, ut Baptismus vel una, vel tria mersione conferri possit. Ecclesia tamen primitiva imperauit trinam mersionem, ad desi-

gnandam Trinitatem personarum in vna deitate propter hæreticos illius temporis, qui negantes Trinitatem, vna mersione Baptismum conferebant. (Canon. 49. Apostorū.) Item, liberum reliquit, vt vel mane vel vespere sumatur Eucharistia. Ecclesia matutinum tempus, quia deuotioni videtur aptius, determinauit. Similiter liberum reliquit, vt laici vel sub vna, vel sub vtraque specie communicarent. Ecclesia propter legitimas causas, quæ alibi commemoraui, vult vna contentos esse.

27. Habemus similia exempla in aliis. Ius naturæ reliquit liberum, vt hunc vel illum agrum liceat mihi possidere, in hoc vel illo flumine piscari, has aut illas feras capere. At ius gentium, facta rerum diuisione, vnicuique proprium aliquid assignauit, & illam possidendi, piscandi, venandi libertatem sustulit. Sicut ergo in hoc casu, ius gentium non censemur esse contrarium iuri naturæ, ita seruata proportione, in altero, de quo agimus, dicendum est. Nec video, quid possit tergiuersari. Nam quod obiicis in tertia Epistola, *Ecclesiam non posse contra Christi institutionem & mandatum mutare quidquam in substantialibus*; nihil ad rem facit. Fateor Ecclesiam id non posse. Et hoc ipsum definit Concilium Tridentinum sess. 21. c. 2. Gaudeo te idem sentire. Nec nos dicimus, Ecclesiam mutasse aliquid in substantialibus contra mandatum Christi, sed solum assertimus, ea quæ Christus in vtranquæ partem libera reliquit, posse ab Ecclesia in alteram partem ex legitima causa determinari.

Sartorius laudat Ecclesiam Lutheranam.

28. **I**N tertia Epistola sic scribis: *Sit tua Ecclesia Christo contraria: Nostra audit vocem Pastoris & sponsi sui, & sequitur eam, id quod veræ Ecclesiæ nota est certissima.* Speciosum Encomium, sed ambiguum. *Quis enim ille est pastor & sponsus, cuius vocem audit & sequitur Ecclesia vestra Lutherana?* Certè Christus non est. Nam eius vocem non sequimini. Vox Christi cist, *Pœnitentiam agite. Vos subterfugitis. Vox Christi est, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est.* Vos contra clamatis bona opera nihil prodesse, solam fidem sufficere. Vox Christi est, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Vos populo persuadetis, legem Dei impossibilem esse; mandata eius seruari non posse. Vox Christi est, *Hoc genus demoniorum non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.* Vos pridem sustulisti omnia ieiunia. Denique vox Christi est, *Omnis qui reliquerit dominum, aut uxorem propter nomen meum, vitam eternam possidebit.* *Quis unquam ex vestris Prædicantibus hanc vocem secutus est?* Vix ancillæ apud vos tutæ sunt: tantum abest, ut vxores propter Christum relinquatis.

Sartorius contemnit Iesuitas, tanquam nouos homines, cum potius Lutherani sint noui.

29. **I**N secunda & tertia Epistola reiicis Iesuitas, tanquam homines nouos, & totam Societatem Iesu per contemptum *Nouam appellas, aliaque*

scommata in eam coniicis. Hic, si velim tecum contendere, non sim tibi par. Scio Prædicantes apprimè exercitatos esse in hoc genere, vbi Pontifex & Iesuitæ exagitandi sunt. Sed tamen, si modestæ interrogationi locus est, cur obsecro, Societatem Iesu nouam dicis? Sanè, si nomen spectes, non noua, sed vetus est. Audi Apostolum 1. Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu.* Qui locus, si de omnibus Christianis intelligi potest, ut tu fateris, etiam de nobis intelligi potest. Nam & nos Christiani sumus. Igitur qui hoc nōmē *Societatis Iesu* usurpat, non nouum, sed vetus & Apostolicum nomen usurpat. Sed, cur vos, inquis, præ aliis id usurpatis? Dicam. Nō repugnamus, quin alij quoque usurpent, si velint. Sicut enim omnes, qui in Iesum credunt, Iesuitæ appellari possunt. Rursum, sicut illi, qui quasi proprio ac peculiari nomine Christianos se vocant (ut aliqui Saxoniz Duces) non ideo reprehendi possunt: ita nos, qui quasi peculiari nomine Iesuitæ appellamur, non ideo iustum reprehensionem incurrimus. Quod si à te reprehendimur, id studio calumniandi fieri putandum est.

30. Explicabo tēm totam clariūs. Quotquot viuunt in Imperio, Imperatori subiecti sunt. Eorum tamen duplex est genus. Alij communi tantum lege illi subiecti sunt, ut rustici, ciues, mercatores, nobiles. Alij peculiari quadam ratione, ut milites, qui speciali iuramento se illi obstringunt, & hoc nomine stipendia capiunt. Hi per certa vexilla & centurias distributi sunt. Et alij quidem à suis Centurionibus vel Chiliar-chis qui vnicuique centuriæ vel cohorti præsunt, sua nomina portiuntur: alij ab ipso Imperatore, qui omnium caput est, Cæsarianos se vocant. Simile est in Ecclesia. Quotquot in ea viuunt, Iesu Christo subiecti

iecti sunt. Eorum etiam duplex est genus. Alij communi lege illi subiecti sunt, ut laici & seculares homines: alij peculiari quadam ratione, ut Religiosi, qui speciali voto se illi obligarunt. Horum varij sunt ordines ac instituta. Et alij quidem à suis Prælatis vocant se Franciscanos, aut Dominicanos, aut Augustinianos, aut Bernardinos, aut Benedictinos: Alij à Domino Iesu, qui omnium caput est, Iesuitæ appellantur. Quid hic mali est? Si milites Cæsaris, Cæsatianos; cur milites I E S V, Iesuitas vocari fas non sit?

31. Igitur Iesuitarum nomen, non nouum, sed vetus & Apostolicum est. At neque doctrina eorum noua. Nam in omnibus Academiis, ubique Theologiam profitentur, publicas habent prælectiones ex D. Thoma Aquinate, & illius doctrinam interpretantur. Hæc autem doctrina, non noua, sed vetus est. Non ergo, si doctrinam spectes, noui sed veteres sunt Iesuitæ. Quod etiam vestro iudicio confirmari potest. Nam vos palam afferitis, Papatum, cum superiori saeculo penè collapsus esset, humeris Iesitarum fuisse sustentatum, ne penitus rueret ac periret: & nunc etiam sustentari. Quod sine dubio intelligitis de doctrina Papatus. At doctrina Papatus, non noua, te etiam fatente, sed vetus est. Si ergo hanc sustentant Iesuitæ, non nouam, sed veterem sustentant.

32. Vos potius & nomine, & doctrina noui. Nominne quidem, quia nomen Lutherorum nec in Scriptura, nec in vlo antiquo authore reperiri potest. In angulo Saxonie natum est ante paucos hos annos. Doctrina vero, quia dogmata Lutherana, vel cum ipso Lutherio, vel post Lutherum orta sunt. Nusquam inuenies in antiquis Patribus haec dogmata Lutherana. 1. Humanitas Christi est ubique. 2. Sancti non

sunt inuocandi. 3. Non est orandum pro mortuis. 4. Infantes, cum baptizantur, habent actualem motum fidei. 5. Duo tantum sunt Sacra menta. 6. Matrimonium tam est singulis necessarium, quam cibus & potus. 7. Si non vult vxor, veniat ancilla. 8. Vota monastica non sunt seruanda. 9. Monachus, exemplo Lutheri, potest ducere Monialem. 10. Lutherus legitimè missus est ad Ecclesiam reformatam. Hæc, si potes, ostende in antiquis Scriptoribus. Non poteris. Noua sunt. Vos igitur noui, qui ista docetis.

Sartorius duo alia obiicit Iesuitis, quæ potius conueniunt Lutheranis.

33. **N**on satis visum tibi est, Iesuitas vocare nos homines, sed etiam duo alia, quæ maioris momenti sunt, illis obiicis. Vnum est, quod regantur spiritu diaboli. Alterum, quod veniant quidem in vestimentis ouium, sed tamen intrinsecus sint lupi rapiaces. Vtrumque sine fundamento. Si vellem regere, facile ostenderem, Lutheranis potius, quam Iesuitis ista conuenire. Ac de priori videtur res manifesta. Nam Lutherani habent eundem spiritum cum Luther. At Lutherus disertè scribit, se cum diabolo disputasse, & à diabolo persuasum esse, ut Missam priuatam aboleret; quod etiam factum est. Ergo cum eam instinctu diaboli abrogauit, spiritu diaboli impulsu fuisse necesse est. Hic iam quæro, mi Sartori, verè an falsò id scripserit Lutherus? Si verè scripsit, verum est, diaboli spiritu ac impulsu actū esse. Si falsò, mentitus est. At non potuit mentiri, nisi spiritu diaboli ageretur, quia diabolus est pater mendacij; siue ergo verè,

verè, siue falso scripserit, semper conuincitur, spiritu
diaboli actum fuisse, non Dei.

34. De posteriori res æquè certa est. Nam Lutherani dicunt, se reformare Ecclesiam Christi, prædicare purum ac sincerum Euangelium, abolere superstitiones & abusus Papistarum: vno verbo, nihil aliud spectare, quam gloriam Dei. Hæc sunt vestimenta ouium, quibus se tegunt. Quid interim fit? Luporum more, in gregem dominicum desæviunt, & omnia salutis præsidia de medio tollunt. Quod frater illorum Calvinus, in cap. 11. Danielis, v. 34. testatur his verbis: *In exiguo illorum numero, qui sese ab idololatriis Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis. Præclarum quidem Zelum simulant, si tamen intus exutias, reperies plenos esse fraudibus.* Testimonium hoc verum est. Audi ipsum Lutherum, in postilla domestica Lenæ impresa, conc. 2. primæ Dominicæ Aduentus: *Mundus ex hac nostra doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, &c.* Vide, quæ ibidem sequuntur.

*Sartorius in Beganum contumeliosus est,
& seipsum commendat.*

35. IN postrema tua epistola, ut supra insinuavi, multis verborum contumeliis me afficis, & inter alia probra, nominatim mihi obiicis mendacia, scommata, conuictia, calumnias, liuorem, virus, bilem, acerbitatem. Et quasi tu ab his omnibus immunis esses, addis te sequi præceptum illud Christi; *Nolite maledicere maledicentibus.* Non secus, ac Phariseus in Euangilio dicebat; *Non sum, sicut ceteri hominum, raptiores, iniusti, adulteri: velut etiam*

bic publicanus. (Lucæ 18.11.) Nostri cætera.

36. Nolo pro mea defensione loqui. Loquantur alij, qui ex scriptis me norunt, non modo Catholici, sed etiam Caluinistæ & Lutherani. Ex Catholicis, Cardinalis Bellarminus in quadam epistola ad me data, sic scribit: *Locutus sum cum sanctissimo Patre nostro Papa, & cum reverendissimo P.N. Generali: & utrique visum est, Reu. Vest. hanc responsonem (ad librum cuiusdam haeretici) delegare. Rogo igitur Reu. Vest. ut placeat hunc laborem suscipere, & solita sua persticuitate & breuitate cum solida eruditione coniuncta, librum istum confutare. Iussit autem Dominus Papa, ut admonerem Reu. Vest. nomine suo, ut caueat à mordacitate, ut haclenus cauit, & hinc magnam laudem apud omnes commeruit. Decet enim Catholicos Scriptores, ac præsertim Religiosos modestia & grauitas; ac ut relinquant haereticis petulantiam, ut iisdem relinquunt falsitatem, &c.*

37. Ex Caluinistis, Henricus Salcolbrigensis in refutatione Beccanici examinis plagæ Regiæ, in præfatione ad Henricum Magnæ Britanniæ haeredem, serenissimi Iacobi Regis filium, sic incipit: *Ex omni illa hominum colluie, qui tractatus contra Augustissimi Monarchæ librum de Apologia Iuramenti fidelitatis scriptum, suos emiserunt; existit Beccanus ab impudentissima illa conuictiandi rabie remotior.*

38. Denique ex vestris Lutheranis, Albertus, Grauerus, Theologiæ Professor in Academia Ienensi, in disputatione Antijesuitica nona de Pontifice Romano, circa initium, §. 5. sic scribit: *Et quoniam ante sexennium Martinus Beccanus, Jesuita Moguntinus, alias præter morem reliquorū plerorumque modestus, & à conuictis maxima ex parte sibi temperans, ac de rebus ipsis, sine personarum infestatione disfutans, quod in ipso, quamvis aduersario, laudandum, &c.*

39. Adhibui tres testes pro mea innocentia. Et quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, frustra me accusas. Contra te non egeo testibus. Epistolæ, quas scribis, testimonium contra te dicunt. Plenæ sunt conuiciis, præsertim vltima, quam tertio loco accepi. Quod nihilominus addis, te sequi præceptum illud Christi, *Nolite maledicere maledicentibus*; si me spectes, facile concessero. Tametsi enim mihi maledixeris, non tamen maledicenti maledixisti.

*Sartorius ridiculam quæstionem proponit de
Alphonso Salmerone.*

40. **C**um nuper tibi respondissem, in Alphonso Salmerone reperi hanc propositionem; (*Christus bis instituit cœnam Eucharisticam*) quam tunc nusquam reperi obieceras: & simul addidissem, eundem Alphonsum magnæ authoritatis virum esse, tum quod multa opera edidisset, tum quod Concilio Tridentino interfuisset; scribebas te mirari, cur non persuaserit Patribus illius Concilij, ut canonibus hoc etiam dogma adderent, *Christus bis instituit Eucharistiam*. Vis dicam? Metuebat, ne si plures Canones scriberentur, maiorem ignem vbique excitarent Lutherani. Si hoc non capis, dicā apertius. Lutherus vester, deserto monasterio, rapuit ē claustro Monialē, & incestis nuptiis sibi copulauit. Hoc, ne fiat, prohibent Canones Iuris canonici. Ne Canonibus plecteretur, totum Codicem cōbussit, ex quo magna flāma excitata est. Periculum erat, ne discipuli ipsius (inter quos vñus es) eandem carnificinam exerceret in Codicem Concilij Tridentini, præsertim si plures in eo essent Canones, quam ipsi vellent. Igitur ad pauciores contracti sunt.

41. Seriò, an ioco hoc dixerim, parum interest. Tu accipe, vt vis. Si non tecum, sed cum viro docto negotium mihi esset, facile, & vno quasi verbo, illi satisficerem. Norunt viri docti, solas controuersiarum decisiones solitas referri in Canones; non item probationes & argumenta, quibus illæ confirmantur. Controuersia tunc erat inter Catholicos & Lutheranos, an sub vna specie liceret communicare. Decisum fuit, licere. Hæc decisio relata est in Canonem his verbis:
Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit. At testimonia Scripturæ, & alia argumenta, quibus illa decisio confirmari poterat, non sunt posita in CANONE. Quamuis ergo Catholici, vt confirment illam decisionem, adducant etiam testimonium Lucæ, & inde probent Christum sub vna specie dedisse Eucharistiam in Emmaus, & sub vtraque in ultima cœna; nō tam necesse est, vt hæc probatio in Canonem fuerit transcripta. Hæc tu, quia nescis, miraris. At alij, qui Ius Canonicū & ciuile legerunt, non mirantur. Sciunt in utroque vel nudas leges, vel nudas sæpe decisiones contineri. Et hæc quidem in Iure canonico, *Canones*: in ciuili, *Rescripta* appellari solent. Vel nunc saltem disce aliquid.

Sartorius à Balduino subsidium petit.

42. **B** Is petis subsidium à Friderico Balduino, Lutherano Prædicante: semel in prima tua epistola, & semel in tertia. Priori loco, vt me terreas, obiicis Balduinum ante quadriennium contra me scripsi

scripsisse. Non nego. Sed nec terror. Scripsit etiam contra Nicolaum Serarium, qui tunc mecum Moguntiæ erat. Sed vicissim ab utroque refutatus est. Et publicè extant libelli nostri. De meo nihil dicam. Legant alij, & iudicent. Serarius certè, tam neruosè constrinxit hominem, ac tam solidè probauit, diabolum fuisse Lutheri Præceptorem, ut nemini deinceps dubium esse possit. Quod tu quidem molestè fers, & purum putum mendacium esse dicas. Sed alij, quibus plus prudentiæ est, aliter sentiunt. Nec tamen quicquam de hac re dixissem (quam scio vobis odiosam esse) nisi Balduinum mihi obiecisses. Et quorsum obiecisti? Planè extra scopum. Scripserit sanè Prædicās aliquis contra me, scripserit contra Serarium: quid hinc efficis? An ideo consequentia tua, quam supra dixi vitiosam esse, salua & proba est? Tam proba, quām quæ sequitur: *Balduinus scripsit in Bocanum: Ergo Sartorius bonus Dialeticus est.* Omnidò scilicet.

43. Posteriori loco, aīs eundem Balduinum, sicut & alios Lutheranos, solidè respondisse ad ea, quæ de libertate Ecclesiæ à me allata sunt. Itaque non opus esse tua responsione. Breui scilicet compendio rem totam conficis. Poteris deinceps in omni controuersia, hac ratione te expedire. Et quidē facillimo negotio. Quid enim promptius est, quām in singulis difficultatibus, quas vobis obiicimus, remittere nos ad alios, qui aliquando idem argumentum tractarunt? At hoc non est disputare, sed fugere. Nec mihi Viennæ à Balduino, sed à Sartorio bellum indictum est. Igitur Sartorius pugnet, non Balduinus. Nec tamen abnuo, ut Balduini, si lubet, opem implores: sed ita, ut tu etiam in acries, & iactum aduersarij excipias. Cur ultro me lacefisiisti? Cur absentem, & nihil de Sartorio vel scientem

vel

vel cogitantem, in Cathedra aggressus es? Imò, si vis omnes Prædicantes & Consistoriales, quotquot Hailbrunneri Tractatum approbarunt, in subsidium voca. Vno hoc dilemmate prosternam vniuersos: Vel Gratia & Græcia sunt diuersa, vel idem. Si diuersa, cur cōfunditis, & alterum pro altero ponitis? Si idem, filij Dei non estis. Valebit enim hic syllogismus: Quicunque sunt extra Græciam, sunt extra Gratiam: At vos omnes Lutherani, qui approbastis Tractatum Hailbrunneri, estis extra Græciam, quia estis in Germania: Ergo estis extra Gratiam. Non igitur filij Dei estis. Quid tibi videtur, Sartorij? Sed pergo ad alia.

*Sartorius promittit sibi victoriam ex
Scriptura.*

44. **A** Lteram tuam Epistolam sic concludis: *Sacra Scripturæ ductu, ex tuo dogmate triūphum planè agere possem.* Hoc ideo facis, quia iā ante scripsoram tibi his verbis: *Nō successit tibi probatio ex scriptis Pōtificiorum.* Vide, an ex verbo Dei aliquid possis efficere. Igitur respondes, te nō modo posse aliquid efficere, sed etiā triūphum agere, si ex verbo Dei me oppugnare velles. Videris unus esse ex illis, qui ante victoriā canunt triumphum. Experire primum, quid possis; & produc aliquid ex Scriptura, quo me oppugnes. Scio, te non ausurum; vel certè, si ausis, eodem successu disputaturum, quo hactenus ex scriptis Pontificiorum disputasti. Vtrobique puer es, & ne consequentiam quidem vnam legitimè formare potes.

45. Sunt & alia duo, quæ te merito absterrere debent. Vnum est, quod vos Lutherani non habeatis legiti

gitimum Scripturæ Canonem. Nos habemus. Nam nostrum Canonem , qui in Concilio Tridentino sess. 4. consignatus est , per continuatam Traditionem accepimus à Gelasio Pontifice in Concilio Romano, ab Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. ab Innocentio primo , Epist. 3. ad Exuperium cap. 7. & ab aliis Patribus , qui interea in Ecclesia floruerunt . Vestrum, vos ipsi excogitastis. Planè nouitius es. Nec repieres vel duos ex antiquis Scriptoribus , qui per omnia vobiscum in Canone consentiant.

46. Alterum est , quod nec legitimum Scripturæ sensum aut versionem habeatis. Tot Bibliorum versiones apud vos sunt, quot Magistelli, qui aliquid Græcè aut Hebraicè norunt : Tot sensus & interpretationes, quot capita. Quisque singit sibi sensum , quæ vult. Apud nos Catholicos una versio est, quæ multis saeculis in Ecclesia viguit: unus sensus , quem perpetua Majorum Traditio nobis reliquit. Nobis rectè accommodari potest illud Genes. 11. 1. *Erat terra labij unus, & sermonum eorumdem.* Et infra: *Ecce unus est populus, & unus labium omnibus.* Vobis, quod sequitur: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Et rursum: *Vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium uniuersæ terræ.*

47. Hæc nuper ad te scripsi. Et planè putabam te aliquid responsum in tertia tua Epistola, quam interea misisti. At nihil factum est. Nihil , quo me oppugnes, adduxisti ex verbo Dei. Nihil de Canone Lutheranorum, nihil de Scripturæ sensu aut versione à te responsum est. Omnia dissimulasti. Et meritò. Nam omnes versiones , quibus Lutherani vtuntur , nouitiae sunt: nulla vetus, nisi nostra. At quidquid nouum est, absurdum est, vt tu in altera Epistola, si meministi, argumentaris. Omnes igitur Lutheranorum versiones , tuo iudicio,

dicio, absurdæ sunt. Idem dicam de Canone. Vester nouus est: Absurdus igitur. Et hic valet (si tamen quidquam valet) solennis illa tua consequentia: *In omnium veterum authorum scriptis non memini me reperire vel Canonem, vel versionem, qua Lutherani utuntur: Ergo tam Canon, quam versio noua & absurdæ est.* Sic iterum tuo gladio te maestas.

Sartorius magni se facit.

48. **Q**uanti te æstimes, ex triplici capite colligi potest. Primò, quia promittis tibi triumphum, si ex verbo Dei pugnandum sit. Sed inanis hæc iactantia est, ut iam ostendi. Secundò, persuades Lectori, te omnium Pontificiorum scripta legisse. Vix paucorum legisti. Denique, in altera tua Epistola putas, me sollicitum esse, quasi metuam à te refutari. Noli quæso hoc putare. Scio te tantum non esse, quem debeam extimescere. Et quid obsecro formidabile in te est? Legitimum Scripturæ Canonem & versionem non habes. Veteres authores ne nosti quidē. Vix Gersonem aspexisti. Totum præsidium, quo niteris, vel conuitia sunt, vel pagellæ aliquot ex Luthero & Kemnitio transcriptæ. Optimè in te quadrat illud Apocal. 3. 17. *Dicis, quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo. Et nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper & nudus.* Si tu aliud de te sentis non bene te nosti. Nec est, quod Sculptori in hacre credas, qui nuper eximia specie effigiem tuam efformauit. Decepit te. Comam & barbam exornauit; sed cerebrum non appetet.

49. Ignosce, quod tam candidè tecum agam. Et me-mineris illius, quod est in Prouerbiis c. 27. v. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

Nec

Nec interpreteris conuitium esse , quod scribo. Tunc
conuitium est, quando quis ex odio personæ coniicit in
aliquem verba odiosa, sine sufficienti causa aut funda-
mento: quo pacto plerique vestrum, vocavit nos Sūitas
aut Ranas. Non enim appareret vlla rationabilis causa,
cur nos potius, quam Prædicantes Lutherani debeant
sic appellari. Quid enim turpe aut detestabile reperias
in suibus & ranis, quod nobis potius, quā vobis accō-
modari possit? Nihil penitus Mera igitur cōuitia sunt.
At conuitium non est , quando quis aliquid iocosum
aut asperum coniicit in alterum, non ex odio personæ,
sed ex merito causæ, de qua agitur : vt si dicam Sarto-
rium non esse probum Dialecticum, quia reuera non
probè argumentatur ; indoctum esse , quia reuera do-
ctus non est ; mendacem, quia reuera in flagranti men-
dacio deprehenditur ; malæfidei, quia reuera mala fi-
de egisse conuincitur : Et sic deinceps. Atque hæc ha-
ctenus, mi Sartori. Si satisfactum tibi est, gaudeo : sin
minus, perscribe ad me, quid vltierius desideres ; dabo
operam, vt satisfaciam. Vale, & rem totam coram Deo
expende. Viennæ 8. Octobris, Anni 1614.

Tuus , si vis,

*Martinus Becanus Societatis
I E S V Theologus.*

OPVSCV



OPVS C V L V M IV.
AD D. GEORGIVM N.
NVPER CALVINIANO
 Factum Catholicum?

*DE COMPARATIONE ECCLESIAE
 & Synagogæ,*

E P I S T O L A .

ACCEPI Epistolam tuam , humānissime
 D. Georgi,in qua multis argumentis co-
 naris demonstrare,Ecclesiam Christi de-
 ficerē & errare posse. Non quod reuera-
 ita sentias , cùm iam Catholicam fidem ,
 abiecta hæresi Caluiniana, vt ais,sincerè complectaris:
 sed quòd aliter à me doceri cupias , quàm haçtenus à
 Caluinianis Professoribus Heidelbergæ instructus es.
 Porrò vis ac robur argumentorum omnium , quæ
 multis verbis & ambagibus à te allata sunt,videtur esse
 huiusmodi: *Synagoga Iudeorum reipsa defecit ac repudia-*
ta est : Ergo etiam Ecclesia deficere ac repudiari potest. Se-
 quelam probas ex variis prærogatiis , quas Synago-
 gam prä Ecclesia habuisse affiras. Sunt autem hæ.
 Prima , quod Scriptura disertè præferat Synagogam
 Ecclesiæ. Altera,quod plures & excellentiores promis-
 siones factæ sint Synagogæ , quàm Ecclesiæ. Tertia,
 quod

quod synagoga arctius cum Deo coniuncta fuerit, quā sit Ecclesia. Nam Synagoga, inquis, fuit filia Dei, cum Ecclesia non sit filia, sed sponsa. At filia quantumvis peccet, semper manet filia. Sponsa verò, si enormiter delinquit, non semper manet sponsa, quia sponsalia sāpē dissoluuntur. Si ergo Synagoga non obstantibus his prærogatiis, à Deo repudiata est; cur Ecclesia repudiari non possit?

2. Hoc breui compendio, nisi fallor, totius Epistolæ tuæ robur complexus sum. Nunc, quia doceri à me vis, & omnes scrupulos, quibus adhuc angi & cruciati te aīs, eximi vehementer optas; faciam euidē, quod & officij mei ratio exigit, & Christianæ charitatis regula faciendum esse præscribit. Nec de methodo labrandum est. Singula eodem ordine, quo iam proposta sunt, sigillatim discutiam. Ac futurum confido, ut ex eorum discussione facile intelligas, nihil aliud apud Caluinistas, quam meras fraudes ac imposturas te imbibisse. Sit ergo.

Q V A E S T I O I.

An Scriptura Preferat Synagogam Ecclesiam?

3. **D**uplici testimonio probas affirmantem partē. Prius habetur Deuteronomio 4.7. *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Quae est enim alia gens sic inclita, ut habeat ceremonias iusta que iudicia & uniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? Posterior Psalmus 147.8. *Qui annunciat verbum suum Jacob: iusticias & iudicia sua Israël.* Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit illis. Ex utroque formari potest tale argumentum: Si nulla

est natio tam grandis, nulla gens tam inelyta, quæ cum Synagoga & populo Iudæorum conferri possit; certè nec populus Christianus cum ea conferri potest: At verum est antecedens: Ergo & consequens.

4. Audi mi Georgi: Mera inficitia hæc est. Nam Scriptura non confert ibi Synagogam Iudæorum cum Ecclesia Christi, quæ tunc nondum erat in rerum natura; sed cum aliis gentibus ac nationibus, quæ tunc temporis colebant idola. Et ponit tres illius prærogatiuas. Prima est, quod haberet apud se Tabernaculum fœderis, in quo Deus dabat certissima responsa de rebus dubiis: & orationes populi in quacunque necessitate benignè audiebat. Altera, quod haberet legem Decalogi in tabulis lapideis à Deo scriptam. Tertia, quod præter legem Decalogi, haberet etiam præcepta ceremonialia, quæ ad cultum veri Dei promouendum, & iudicialia, quæ ad pacem & iustitiam conseruandam erant utilissima.

5. Hæ fuerunt prærogatiuæ Synagogæ respectu aliarum gentium, quæ tunc erant non tamen respectu Ecclesiæ Christi, quæ nunc est. Nam aliægentes, quæ tunc erant, non habebant quicquam eorum, quæ iam dicta sunt. Habebant quidem responsa Dæmonum, qui in idolis loquebantur, sed sæpe falsa, incerta, ambigua. Habebant legem Decalogi scriptam in cordibus; sed propter quotidiana peccata quasi deletam & obliteratam. (Rom. i. 21.) Habebant præcepta ceremonialia, non tamen ad veri Dei cultum, sed ad idolatriam accommodata. Habebant etiam iudicialia, sed sæpe iniqua, tyrannica, inhumana.

6. At Ecclesia Christi, quæ nunc est, superat Synagogam in his omnibus. Primò, quia Synagoga nihil aliud habebat, quam Tabernaculum fœderis, in quo Deus per Angelos loquebatur Iudæis. At Ecclesia habet ipsum

ipsum Deum Filium incarnatum, qui in propria persona locutus est Apostolis, Ioan. 1.18. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et Hebr. 12. *Nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum.*

7. Secundò, Synagoga habebat nudam legem Decalogi, quæ solùm præcipiebat, quid agendum esset, nullam verò gratiam ex se præstabat: At Ecclesia præter legem præcipientem, accepit etiam gratiam, quæ præbeat vires & facultatem præstandi id, quod præcipitur. Ioannis 1.17. *Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Vbi noranda est triplex antithesis. Prima inter legem & gratiam, quasi inter corpus & animam, inter litteram & spiritum. Nā sicut corpus per se est pondus, quod onerat, nisi vegetetur ab anima: & sicut littera occidit, nisi adsit spiritus, qui vivificet: sic lex per se molesta est, quia iubet difficultia quæ à nobis præstari non possunt, nisi gratia nos iuuet. Altera inter Mosem & Christum, quasi inter seruum & dominum, inter præconem legis & Legislatorem. Tertia inter dare & facere. Moses non fecit legem, sed acceptam à Deo dedit populo & promulgauit, quia non legislator, sed minister legislatoris. (Hebr. 3.5.) At Christus non tantum dedit gratiam, sed etiam fecit, quia ipse est author & fons omnis gratiæ, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* (Ioan. 1.16.)

8. Tertiò, Synagoga, cum esset ancilla, non domina; habebat quidem præcepta ceremonialia & iudicialia, sed quæ timorem & seruitutem spirabant. At Ecclesia, quæ non est ancilla, sed libera, non habet præcepta timoris & seruitutis, sed potius, quæ ad amorem & libertatem accommodata sunt (Rom. 8.15. *Non enim accepimus Spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*)

Et Gal. 4.31. *Itaque fratres, non sumus ancilla filij, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.*) De prioribus præceptis dictum est, Actor. 15.10. *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cœtuices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* De posterioribus Matt. 11.30. *Iugum meū suave est, & onus meum leue.*

9. Hæc, meo iudicio, tam clara sunt, ut non egeant longiori interprete. Et omnino mihi persuadeo, in hoc quidem punto abunde satisfactum tibi esse. Porro de Caluinianis professoribus, qui te aliter instruxerunt, quid dicturus es? Sanè, si ignorat, quæ iam dixi, stupidi sunt, & à cathedris amouendi. Si norunt malevoli & deceptores, qui aliter docent, quam sentiunt.

Q V A E S T I O II.

An Synagoga habuerit plures & excellentes promissiones, quam habet Ecclesia?

10. **H**oc tu Georgi, quanquam non tuo, sed Caluinistarum sensu ac iudicio, affirmas. Et ne temerè videaris id facere, adducis tres promissiones, quæ Synagogæ factæ sunt. Prima est 3. Regum 9. 3. *Dixit Dominus ad Salomonem: Exaudi orationem tuā & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificauī domum hanc, quam edificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum.* Et erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.

11. Secunda est Psalm. 13.1. 13. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hec requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam, Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu David, paraui lucernam Christo meo.*

Inimi

Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

12. Tertia est Zachar. 2. 5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.* Et ibidem: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et iterum: *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui,* ait Dominus.

13. Ecce, inquis, quam præclaras promissiones habuit Synagoga, & quidem ab ipso Deo: cum interim Ecclesia non habeat nisi vnicam illam à Christo: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* que nullo modo cum istis conferri potest. Miror te Georgi. Videris apud Calvinistas, eiurato Christo, Iudaismum imbibisse: quod ex duplice capite ostendi potest. Primò, quia Christum opponis Deo, quasi ipse Deus non esset. Secundò, quia nimis honorificè loqueris de Synagoga: nimis abiectè de Ecclesia; quasi illi maiores, quā huic promissiones factæ sint. Cum tamen Apostolus Hebr. 8.6. contrarium disertè afferat, his verbis: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamēti Mediator est, quod in melioribus re-promissionibus sanctū est.* Quid apertius contra te dici potuit? Nouum, inquit, Testamentum in melioribus re-promissionibus sanctum est, quām vetus. Vel, quod in idem recidit, Ecclesia Christi meliores habet promissiones, quām Synagoga Iudeorum. Quod manifestè apparebit, si conferamus utriusque promissiones inter se.

14. Igitur ex tribus illis promissionibus, quas ait, Synagogæ factas esse, tertia non est facta Synagogæ, sed Ecclesiæ, ut infra ostendam. Reliquæ duæ non sunt absolutæ, sed conditionatæ, Nam priori hæc conditio annexa est: *Si autem auerſione auersi fueritis vos, & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis Deos alienos; auferam Israël de superficie terra, quam*

*dedi eis: Et templum, quod sanctificavi nomini meo, proiec-
ciam à conspectu meo; eritque Israël in prouerbium; & in fa-
bulam cunctis populis. Posteriori hæc: Si custodierint filij
tui Testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ doce-
bo eos.*

15. Vides, opinor, quam fragili conditione fulcian-
tur hæc promissiones. Nimirum ut tam facile rescindi
possint, quam facile peccare homo potest. Longè ali-
ter res habet in promissionibus Ecclesiæ factis. Nam
hæc & plures sunt, quam duæ: & absolutæ sunt, non
conditionatæ: & tanta firmitate nixæ, ut de earum ef-
fectu dubitandum non sit. Eas tibi breuiter. nec tamen
omnes, sed quæ primum memoriae occurrent, hoc lo-
co proponam. Sunt autem duplices: aliæ in veteri, aliæ
in nouo Testamento factæ & consignatæ. Prioris ge-
neris sunt hæc.

*Prima promissio Ecclesiæ facta in veteri
Testamento.*

16. **P**rima habetur apud Iсаiam cap. 54. Nam toto
illo capite expresse agitur de Ecclesia Christi,
quæ ex gentilibus erat colligenda, ut non solùm Hiero-
nimus & alij scriptores, sed Apostolus quoque in
epistola ad Galatas capite 4. interpretatus est. Sunt au-
tem multa, quæ ibi promittuntur Ecclesiæ. 1. fœcun-
ditas 2. amplitudo 3. firmitas, stabilitas & perpetuitas.
4. victoria contra hæreticos & alios hostes,

17. Fœcunditas promittitur v. 1. his verbis: *Lauda ste-
rilis quæ non paris: & hinni, quæ non pariebas: quoniam
multi filii desertæ magis, quam eius, quæ habet virum, dicit
Dominus. Vel, ut habet Apostolus loco citato: Lætare
sterilis, quæ non paris: erumpere & clama, quæ non parturis:
quo*

quoniam multi filij desertæ magis, &c. quasi dicat: O Ecclesia gentilium, quæ ante aduentum Christi fuisti sterilis, & non peperisti Deo filios, propter defectum fidei (vixisti enim in idololatria) lætare nūc & exulta, quia paries plures filios, quām peperit Synagoga. Hæc, quæ hactenus fuit fœcunda, cessabit parere: Tu verò, quæ sterilis fuisti, & deserta à Deo, incipies parere, & eris longè fœcundior, quām illa fuit. Sicut prædictum est 1. Reg. 2. 5. Sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

18. Amplitudo promittitur, v. 2. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorū tuorum extēde, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clausos tuos consolida. 3. Ad dextram enim & ad laeuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit, id est, propter multitudinem filiorum, quos paritura es, debebis dilatare terminos habitationis tuæ: quia Palestina, in qua sola hactenus Synagoga templum & certā sedem habuit, non sufficiet tibi ad habitandum. Opus erit maiori loco & spacio. Vno verbo, totum terrarum orbem occupabis, & omnes gentes erunt tibi in hæreditatem.

19. Firmitas & perpetuitas promittitur, v. 4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: nō enim te pudebit, quia cōfusionis adolescentiæ tuae obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuae non recordaberis amplius. 5. Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituū nomen eius: & redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur.

6. Quia ut mulierem derelictam & mōrentem spiritu vocauit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. 7. Ad puerū in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. 8. In momento indignationis abscondi faciem meā parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus, id est: Tametsi ante Christi aduentum vixeris

in confusione, mœrore & opprobrio, propter idolatriam, & toto illo tempore (quod tamen modicum fuit, respectu futuri temporis) fueris à Deo quasi abiecta & derelicta; deinceps tamen non est, quod timeras ullam confusione. Nam Deus, qui creauit te, misertus est tui & decreuit præclara beneficia in posterum tibi conferre. Ac primò, sua morte & passione te redempturus est. 2. In magnis miserationibus congregabit te. 3. Non temporaria, sed sempiterna misericordia prosequetur te. 4. Dominabitur tui, non sicut Dominus ancillæ, sed sicut maritus uxori dominari solet. Quām verò potens maritus ille sit, ex duplice capite estimari potest. Primò ex nomine; quia *Deus exercituum nomen eius*. Habet enim sub se omnes Angelos, qui sunt illius milites & ministri. Secundò ex hereditate; quia quando assumet te in sponsam, totum terrarum orbem accipiet à Patre in hereditatem, sicut promissum illi est Psal. 2.8. *Postula à me, & dabo tibi gentes in hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Et ideo *Deus omnis terræ vocabitur*. Si ergo talis sponsus habitura es, quem extimescas? Angelii, qui sunt ministri sponsi, pugnabunt pro sponsa. Et totus orbis, qui dabitur sponsō, dabitur etiam sponsæ; quia utriusque erunt omnia communia.

20. De qua promissione ut sis securior, audi, quid dicat Dominus, v. 9. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas Noë ultra supra terram: sic iuraui, ut non irascar tibi, & non increpem te, id est, sicut olim iureiurando promisi Noë, quod non amplius vellem dissipare terram diluvio* (Genes. 9.11.) Ita nunc iureiurando promitto tibi, quod non amplius velim tibi irasci: multo minus abiicere, & abiectionem deserere. Nam, ut dixi, misericordia sempiterna miseriūsum sum tui. Addo ad maiorem confirmationem, v. 10. *Montes enim*

commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fædus pacis meæ non mouebitur, id est: Etiam si montes de loco suo mouerentur, & colles contremiserent; non tamen misericordia mea recedet à te, & fædus pacis meæ non mouebitur, sed fixum & irreuocabile mansurum est.

21. Sequitur v. 11. *Paupercula tempestate conuulsa, absque ulla consolatione, id est, haec tenus fuisti paupercula, quia vixisti sine cognitione veri Dei: fuisti instabilis, quia variis idolorum erroribus, quasi tempestatis bus conuulsa & agitata es: fuisti sine cōsolatione, quia falsi dij, quos coluisti, non potuerūt te iuuare. At nunc bono sis animo: Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris.* 12. *Et ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, id est: Ego ita fundabo & stabiliam te, ut tempestate conuelli non possis: ita muniam te portis & propugnaculis, ut sis inexpugnabilis.*

22. Superest promissio victoriae contra hostes, v. 16. *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum. Et ego creavi interfectorum ad disperendum, id est, (ut interpretatur Hieronymus.) Ego creavi diabolum, qui omnium malorum artifex est. Ille suscitabit contra te ignem, & conflabit vas iniquitatis, id est, impios homines, ut Simonem magum, Arium, Donatistas, Pelagianos, Anabaptistas, Caluinianos, & similes sectarios, qui te oppugnabunt. Sed noli timere. Nam ex altera parte, creavi etiam interfectorum ad disperendum, id est, excitaui alios, qui partim externa vi (quod faciunt Catholici Reges & Imperatores) partim calamo & viua voce (quod faciunt Doctores Ecclesiæ) disperdent aduersarios tuos. Ver.*

17. *Omne vas, quod fiuum est contra te, non dirigeretur: Et*

omnem linguam resistentem tibi in iudicio, condemnabis,
id est: Omnes aduersarij, quos diabolus sufflans con-
tra te excitabit, non habebunt successum, quia non est
consilium contra Deum: Et omnes haereticos, qui tibi
resistent in causa fidei ac religionis, de errore conui-
cetos condemnabis. Quod etiam factum est. Nam Ec-
clesia condemnauit Arianos, & alios haereticos, qui
illam hactenus oppugnarunt. Atque haec sufficient
de prima promissione, quae luculentissima est.

Secunda promissio Ecclesiae, facta in veteri
Testamento.

23. **S**ecunda promissio habetur Ierem. 31. ver. 31.
Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui
Israël & domui Iuda fœdus nouum. 32. Non secundum
pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua appre-
hendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti:
pactum, quod irritum fecerunt: & ego dominatus sum eorū,
dicit Dominus. 33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum
domo Israël, post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meā
in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: Et ero
eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. 34. Et non do-
cebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum di-
cens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à mi-
nimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propi-
tior iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor
amplius.

24. Hic Deus per Prophetam confert inter se duas
 promissiones seu pacta: vnum veteris, alterum noui
 Testamenti: Et ostendit nouum Testamentum melio-
 ri promissione vel pacto sancitum esse, quam vetus, ut
 interpretatur Apostolus Hebr. 8.6. Primo, quia pactū
 veteris Testamenti irritum factū est, propter peccata
 Iudeo

Iudæorum Pactum noui Test. non irritabitur. Igitur hoc firmius est, quam illud fuit. Secundò, Deus in veteri Testamento *dominatus est* Iudæorum, id est, seuerè & imperiosè egit cum illis, sicut domini solent agere eum seruis. Vel, ut explicat Apostolus, *vituperauit*, *neglexit*, & abiecit illos, eo quod irritum fecissent pæcum. At in nouo Testamento paternè, non seuerè agit cum Christianis, quia per mortem Filij sui placatus est. Tertiò, in veteri Testamento dedit legem scriptam in tabulis lapideis. At in nouo dat scriptam in cordibus seu visceribus Christianorū. Vel, quod idem est, in veteri dedit solam externam legem difficultia præcipientem: non autem internas vires ad præstandum id, quod præcipiebatur. At in nouo, non solùm dat legem præcipientem, sed etiam gratiam & charitatem adiuuantem. Quartò, in veteri populus facile recedebat à Deo, & conuertebatur ad idola. Nam ex una parte, non habebat tanta præsidia ad perseverandum in cultu veri Dei, quanta nos habemus: Et ex altera, occurrabant multa, quæ auocarent à Deo. 1. fragilitas naturæ humanæ. 2. astutia diaboli. 3. onus legis Mosaïcæ, quod illis erat à Deo impositum. 4. minæ & terrors, quibus quasi inuiti cogebantur portare illud onus. 5. conuersatio cum gentilibus, inter quos viuebant, & à quibus vndeique cincti erant. Atque ex his causis fiebat, ut nisi alij alios assidue incitarent, ad colendum Deum, facile illius obliuiscerentur. Aliter fit in nouo Testamento. Christiani multo maiora habent præsidia. Habent Christum pro se passum & mortuum. Habent corpus & sanguinem Christi quotidie in sacrificio Missæ. Habent Sacra menta, quæ internam gratiam & charitatem conferunt. Denique ut alia raseam, ipsum nomen, quo Christianos se appellant, tam altè infixum est eorum cordibus, ut eradi non possit.

25. Hæc obiter dicta sint de sensu verborum Ieremiæ. Ad maiorem tamen explicationem duo notanda sunt. *Vnum est*, legē Decalogi tripliciter spectari posse. Primò, quatenus per dictamen rectæ rationis, seu per lumen naturale, scripta & impressa est in cordibus hominum. Sic data est omnibus hominibus, etiam gentilibus. (Rom. 2.15.) Secundò, quatenus scripta est in tabulis lapideis. Sic data fuit Iudæis, non gentilibus. Tertiò, quatenus scripta est in cordibus seu visceribus hominum, non solum per lumen naturale, sed etiam per Spiritum sanctum, qui præbet gratiam & vires ad legem perfectè implendā. Sic datur Christianis. Sicut ergo Iudæi habebant quandam prærogatiuam respectu gentilium, eo quod accepissent legem scriptam in tabulis lapideis: sic Christiani habent prærogatiuam respectu Iudæorum, eo quod acceperint eandem legem scriptam in suis cordibus, seu in tabulis cordis carnalibus, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 3.3.

26. Alterum est, Iudæos accepisse legem à Deo, intercedente pactione inter ipsum & illos. Nam ipse obligauit se, quod vellat illos protegere, & omnium bonorum temporalium abundantiam præstare, si seruarent legem, quam accepissent. Sin minus, quod velllet illos affligere bello, peste, fame, captiuitate, & abiicere à facie sua, tanquam seruos refractarios & inobedientes. Illi vicissim obligarunt se, quod vellent seruare legem à Deo acceptam, & illi obtemperare. (Exodi 19.8. & 24.6.) Hæc mutua obligatio confirmata fuit sanguine victimarum, quem Moses, tāquam Mediator inter partes pacientes, respersit in populum, cum hac protestatione: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus suis.* (Exodi 24.8.)

27. Quia ergo Iudæi ex sua parte non seruarunt hoc pactum,

pactum, etiam ex parte Dei rescissum est. Et hæc est causa, cur ipsi à Deo puniti, abieoti & reprobati sint. In eorum locum successerunt Christiani, cum quibus noua pactio à Deo inita est, sub hac formula: *Dabo legem meā in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et ero eis in Deum, & ipsi erūt mihi in populu.* Mediator fuit, non Moses, sed Christus, qui non animalium, sed proprio sanguine confirmauit hanc promissionem his verbis: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (Matth. 26.28.) Et ita confirmauit, ut nunquam integrè rescindenda aut irritanda sit. Poterit quidem rescindi aut irritari, respectu huius aut illius hominis in particulari, qui si peccet, & non velit pœnitere de peccato, merito reicitur à Deo: non tamen potest irritari respectu totius Ecclesiæ, seu populi Christiani, quia Deus absolute non vult. Hoc patet ex eodem Ieremia, capite citato, v.35. vbi sequitur in hunc modum: *Hec dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonat fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi.* 36. *Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israël deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* 37. *Hec dicit Dominus: Si mensurari potuerint cœli sursum, & inuestigari fundamenta terræ deorsum: & ego abiuciam uniuersum semen Israel propter omnia, qua fecerunt, dicit Dominus.*

28. Ex quibus verbis colligantur duo argumenta, quibus Deus confirmat pactum suum fore perpetuum. Vnum est huiusmodi: Ego, qui pacis cor vobiscum sum idem ille Deus, qui naturalem legem & ordinem constitui soli, lunæ, stellis & mari: soli, vt luceret per diem: lunæ & stellis, vt lucerent per noctem: mari, vt sonaret & agitaretur, ad meum imperium. Si hæc lex non deficiet, neque pactum, quod vobiscum iniui, defectu

fectum est. Igitur quamdiu videtis solem, lunam, stellas & mare seruare legem & ordinem naturalem, quem illis praefixi; tamdiu cogitare duraturum pactum quod vobiscum initum est. Alterum: Sicut impossibile est, ut aliquis vestrum possit mensurare cœlos sursum, & fundamenta terræ deorsum: ita nunquam futurum est, ut ego abiiciam vos, & non sim vester protector, iuxta pactum, quod vobiscum iniui.

*Tertia promissio Ecclesiæ facta in veteri
Testamento.*

29. **T**ertia promissio habetur Zachariæ 2.1. Et leua-
ui oculos meos, & vidi: Et ecce vir, & in manu eius
funiculus mensorum. 2. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad
me: ut metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius,
& quanta longitudo eius. 3. Et ecce Angelus, qui loqueba-
tur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in
occursum eius. 4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum
istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ mul-
titudine hominum & iumentorum in medio eius. 5. Et ego
ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero
in medio eius. Et infra v.8. Qui tetigerit vos, tangit pupil-
lam oculi mei. Et iterum v.10. Lauda & letare filia Sion,
quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.
11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa,
& erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.

30. In hoc capite, nomen Ierusalem accipitur duobus modis. Primo litteraliter pro vrbe Ierusalem. Secundo, mysticè pro Ecclesia Christi, quod frequenter fit in Scriptura. Nec immerito; quia Ecclesia habuit ortum seu initium suum in vrbe Ierusalem: Et quidem triplici titulo. Primo, quia ibi Christus crucifixus est, ex-

cuius latere morientis formata est Ecclesia. Secundò, quia ibi prima legis Euangelicæ promulgatio facta est in die Pentecostes. (Act. 2.) Tertiò, quia ibi nouum Testamentum in ultima cœna conditum, & Christi sanguine confirmatum est (Mart. 26.28.)

31. Porrò Deus per Prophetam promittit hic Ecclesiæ, quod multis partibus superatura sit urbem Ierusalem. Primò, magnitudine. Nam longitudo & latitudo urbis Ierusalem erat certis terminis definita & circumdata. At Ecclesia, propter multitudinem fidelium, non poterit definiri & circumdari, sed toto orbe diffunderur.

32. Secundò, munitione & protectione. Nam urbs Ierusalem fuit munita muris lapideis. Ecclesia pro muris lapideis, habebit Deum protectorem. Cuius protectione describitur primum his verbis : *Ego ero ei murus ignis in circuitu.* Id est: Non ero murus lapideus, qui transcedi aut penetrari potest, sed murus igneus, qui transfiliri non potest, & qui solo aspectu terrebit hostes appropinquantes. Deinde illis verbis: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei,* id est, grauissime me offendit.

33. Tertiò, maiestate & gloria. *Ego, ait Dominus, in gloria ero in medio eius,* quasi dicat, Non solum protegam Ecclesiam, sed etiam gloriosam reddam. Vel, ut loquitur Theodoret. Non modo ei omne robur suppeditabo, sed & illustrem & admirandam reddam, ut eius gloria per omnem orbem terrarum peruagetur. De hac gloria loquitur Isaías c. 60.1. *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est.* 2. *Quia ecce tenebrae operiet terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videtur.* 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Et Baruch. cap. 5.3. *Deus ostendet splendorem suum in te, qui sub caelo est:* Vel ut Græcus textus habet:

habet: Deus ostendet omni terra & nationi, quæ sub celo est, splendorem tuum.

34. Est autem notanda differentia inter gloriam Synagogæ & Ecclesiæ. Nam in Synagoga seu in veteri Testamento non erat alia gloria, quam quod aliquando appareret vel nubes caliginosa, vel ignis in medio nubis caliginosæ sursum ascendens: idque in signum præsentiae diuinæ, vel ad puniendum, vel ad protegendum. Sic enim legimus Exodi 16. 10. Et ecce gloria Domini apparuit in nube. Et cap. 24. 15. Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, teges illum nube sex diebus: septimo antem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species glorie Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. Et cap. 40. 32. Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante.

35. At in Ecclesia multò amplior gloria est. Primo, quia Filius Dei in propria persona apparuit nobis, qui est lux vera, non tantum illuminans aliquam nubem aut montem, sed illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. (Ioann. 19.) Secundo, quia in nativitate ipsius, claritas Dei circumfulsit omnes, qui aderant: & Angeli apparuerunt: & audita est vox dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis. (Lucæ 2. 14.) Tertio, quia post aliquot dies, præter communem rerum ordinem, visa est stella in Oriente, & stupendo miraculo duxit tres Magos ad locum, in quo natus erat Christus, (Matth. 2. 2.) Quartò, cum idem Christus in Iordan baptizaretur a Ioanne, aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendenter sicut columbam, & venientem super se: Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. (Matt. 3.

16.) Quintò, quando cum Petro, Ioanne & Iacobo ascendit in montem Thabor, transfiguratus est coram ipsis. Et resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moses & Helias cum eo loquentes. (Matth. 17.2.) Sextò, in morte Christi, Vellum tēpli scissum est, terra mota est, petra scisse sunt, monumenta aperta & multa corpore sanctorum, qui dormierant surrexerunt: insuper & tenebra facta super uniuersam terram. Septimo, in die Pentecostes, factas est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, ubi Apostoli erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ lingua tanquā ignis, sed itque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto & cœperunt loqui variis linguis. (Act. 2. 2.) Octauò, S. Stephanus, cum lapidaretur a Iudæis Vidi cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. Nonò, Saulus in itinere versus Damascum, cœlesti luce circumfusus est, & cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? (Act. 9. 4.) Ac postea raptus in tertium cœlum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, (2. Corinth. 12. 4.) Denique, ut omnia alia præteream, ineffabilis gloria est, quod Christus quotidie in Eucharistia nobis appareat, sub aliena quidem specie, sed tamen in propria natura & persona, verus Deus & verus homo. Nihil simile in veteri testamento.

*Tres aliæ promissiones ex novo
Testamento.*

36. **P**Ræter eas promissiones, quæas attruli ex veteri Test. sunt aliæ tres luculentissimæ quæ à Christo in nouo Testamento factæ sunt. Prima habetur Matth. 16. 18. *Super hanc petram adificabo Ecclesiam Opusc. Tom. IV.* A a meam

meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam. Hæc vnica (quam tu more Caluinistico, parui æstimas) meritò sufficeret homini Christiano, etiam si alia non esset. Est enim planè absoluta, & non pendet à fragili aut caduca aliqua conditione. Itaque de illius euentu dubitare non possumus. *Ædificabo, inquit, Ecclesiam meam, non super arenam mobilem & fluentem, sed super firmam & immobilem petram,* quæ nulla tempestate concuti aut loco moueri possit. *Et portæ inferi nō præualebunt aduersus eam.* Per portas inferi intelligit potentiam diaboli. Itaque sensus est: Nulla diaboli potentia poterit vincere aut superare Ecclesiā. Vel, Etiam si diabolus per tyrannos per hæreticos, per schismaticos, omni arte & machinatione oppugnet Ecclesiam, nunquam tamen expugnabit. Hæc est communis expositio interpretum, quam sequitur Augustinus lib. I. de symbolo ad cathecumenos cap. 6.

37. Alij sic explicant: Etiam si tyranni, hæretici & schismatici conentur omni ope ac præsidio se defendere contra Ecclesiam, non tamen poterūt illi resistere. Qui sensus videtur colligi ex ipsa metaphora qua vius est Christus. Nam portæ urbium solent plerunque muniri & custodiri, ut resistant hosti, sustinendo ipsius impenitum ac impressionem: non autem, ut vincant hostē, inuadendo illum & expugnādo. Cum ergo dixit, *Portæ inferi non præualebunt aduersuseam*, videtur idem esse, ac si dixisset: Portæ inferi non sustinebunt vim & impenitum illius. Quod etiam euentus docet. Nam quotquot hactenus hæretici oppugnarunt Ecclesiam, ab ipsa victi & damnati sunt. Et hoc sensu dixit Isaias cap. 54.17. *Omnem linguam resistentem tibi in iudicio, condemnabis.* Vide supra §. 22.

38. Vtraque expositio bona est. Posterior tamen, quæ sequitur Maldonatus, videtur plus tribuere Ecclesiæ, quam

quam prior. Nam plus est, vincere & debellare hostem, quam non vinci & debellari ab hoste. Plus est Ecclesiam tam esse potentem, ut aduersarij non possint illi resistere, quam esse tam potentem, ut aduersarij non possint illam expugnare. Ad hoc enim sufficit pars potentia ad illud requiritur maior & efficacior. Igitur iuxta hanc expositionem, promissio Christi continet duas partes. Una est: Aedificabo Ecclesiam super petram, ut non corruat, non vincatur non expugnetur. Altera: Ecclesia non solum non vincetur, non expugnabitur, sed etiam vincet & expugnabit suos aduersarios: Vel aduersarij non poterunt sustinere vim & impetum Ecclesiae oppugnantis.

39. Secunda promissio habetur Matt. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecunque mandaui vobis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. quasi dicat, Ego mitto vos in vniuersum orbem, ut apud ethnicos predicetis Euangelium, & Sacraenta administretis. Occurrent quidem multa pericula & aduersitates, quia diabolus, qui ubique habet suos cultores & idololatrias crudelissime vos persequetur: Sed forte estore animo: Ego non deseram vos: adero vobis & successoribus vestris in omni necessitate usque ad finem mundi. Ego, inquam, adero, qui nuper dixi: Non relinquam vos orphanos (Ioan. 14.18.) Ego qui dixi, Confide, ego vici mundum. (Ioan. 16.33.) Ego, contra quem princeps huius mundi non habet quicquam. (Ioan. 14.30.) Ego, cui Pater promisit, Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. (Psal. 109.2.) Ego ille ipse, qui Ieremias dixi, Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te. (Ierem. 1. 8.) Ego denique, qui Ezechiel dixi, Ecce dedifaciem tuam valentiorem faciebus eorum, &*

frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem & silem dedi faciem ne timeas eos. (Ezech. 3. 8.) Sicut his duobus Prophetis adfui ad breue tempus, ita vobis ad ero omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

40. De hac promissione scribit S. Prosper li. 2. de vocatione getium cap. 2. his verbis: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, id est, Cum sicut oves introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem saeculi in omni hoc opere non derelinquam: non ad hoc, ut nihil patiamini, sed quod multo maius est, præstiterus, ut nulla saeuientium crudelitate superremini. In mea enim potestate prædicabitis, & per me fiet, ut inter contradicentes, inter furentes, Abraham filij de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo, quod docui, ego faciam, quod promisi.*

41. Et eleganter Gennadius Scholarius in oratione da azymo, sect. 9. Christus dicit nunquam suam errare Ecclesiam, quia se semper cum ea mansurum pollicitus est. Si ergo verus est Christus, & promissionem suam vera esse oportet. Ita enim dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem saeculi. Nosque ita credimus, eum cum Ecclesia sua semper esse permansurum, nec eam dereliquerum unquam. Si vero secundum vos, cum ea se semper mansurum pollicitus est, sed dereliquit illam, & errare permisit, ex necessitate mendax est. Si vero mendax, Deus non est. Videte in quam absurditatem incidistis, CHRISTVM vocando mendacem. Nam hoc omnem iniquitatem & blasphemiam superat.*

42. Tertia promissio habetur Lucæ 22. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, Ecce Satan as expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum: *Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Hic Christus alloquitur Petrum, tanquam caput*

caput Ecclesiæ, & in Petro omnes successores illius. Et prioribus quidem verbis ostendit periculum, quod à diabolo imminebat Petro & Ecclesiæ, posterioribus ostendit remedium. Primò igitur dicit, diabolum omni conatu moliri & moliturū esse, ut noceat Ecclesiæ. Mox addit, se sua oratione protegere & protecturum esse Ecclesiam, ne superetur à diabolo.

43. Sic explicat Lucius I. Papa & Martyr in epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, cùm ait : *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolice traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus depravata succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi prote, ut non deficiat fides tua.*

Similia habet Agatho Papa in epist. ad Constanti-
num Imperatorem, quæ approbata est in sexta Syno-
do generali, Act. 8. Et Nicolaus primus in epistola ad Michaëlem, & Diuus Bernatdus in epist. 190. ad Inno-
cent. & plures alij.

44. Habes, mi Georgi, varias promissiones in veteri
ac nouo Testamento Ecclesiæ factas : quarum sum ma-
hæc est. Primò, Ecclesia erit fœcundior, quām Syna-
goga: *Multi filij deserta m'igis, qui in eius, que habet virū.*
Secundò, Erit amplior: *Dilata locum tentorij tui: ad dex-
tram enim & levam penetrabis.* Tertiò, Erit stabilis &
perpetua: *Non confunderis neque erubesces: in misericor-
dia sempiterna misertus sum tui.* Quartò, Erit inexpun-
gnabilis: *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.*
Quintò, Erit victrix, & debellatrix suorum hostium:
Omniem linguam resistentem tibi in iudicio, condemnabis.

45. Neque pendent hæ promissiones ab aliqua con-
ditione ex parte nostri, sed absolutæ sunt, & in Dei bo-
nitate ac tutela fundatæ. *Ego, inquit, ero ei murus ignis
in circuitu.* Item, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque*

ad consummationem sœculi. Item, Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Denique, Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Nec modo absolutæ, sed etiam iuramento, confirmatae. Sicut, inquit, olim iureiurando promisi Noë, quod non amplius vellem dissipare terram diluvio: ita iureiurando promitto Ecclesiæ, quod non velim illi irasci. Nihil addam. Solùm cupio te aduertere, in quo errore hactenus versatus sis.

Q V A E S T I O I I I .

An Synagoga fuerit Deo coniunctior, quam sit Ecclesia.

46. **I**D tu quidem astruis hoc argumento: Filia est coniunctior patri, quam sponsa suo sposo: At Synagoga fuit filia Dei; Ecclesia sponsa illius est: Ergo Synagoga fuit illi coniunctior, quam Ecclesia. Maiorem probas, quia filia, quantumvis peccet, semper manet filia. At sponsalia inter sponsum & sponsam disoluvi possunt. Minorem non aliunde cōfirmas, quam ex illo Zach. 2.10. *Lauda & letare filia Sion.*

47. Vis dicam, quod sentio? Sæpe hic peccas. Primo, quia non distinguis inter filiam naturalem & adoptiūam. Synagoga, si fuit filia Dei, non fuit nisi adoptiua. At filia Adoptiua, si peccet, potest priuari iure adoptionis. Nunquid non Iudas fuit filius Dei adoptiuss, cum eligeretur in Apostolum? Nemo dubitat. At per crimē prodictionis desit esse, quod erat.

Deinde ex eo, quod scriptum est apud Prophetam: *Lauda & letare filia Sion*, non rectè probas, Synagogā fuisse filiam Dei. Primo, quia Propheta per filiam Sion non intelligit Synagogā, sed Ecclesiam, ut supra ostendi. Secundò, etiamsi intelligeret Synagogam, nihil aliud

aliud inde colligi posset, quām Synagogam fuisse filiam Sion. At esse filiam Sion, non est idem, quod esse filiam Dei. Si hoc nescis, breuiter explicabo. Hæc vocula, *Filia Sion*, tribus modis accipitur in Scriptura. Primò pro vrbe Ierusalem, quæ ideò vocata fuit filia Sion, quia erat sub tutela & protectione montis Sion. Sic accipitur Isaiae 1.8. *Derelinquetur filia Sion, ut umbra culū in vinea, & sicut ciuitas, quæ vastatur.* Et Thren. 2.8. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* Et alibi sèpius. Secundò, pro foeminis habitantibus in vrbe Ierusalem. Sic accipitur Isaiae 3.16. *Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Tertiò, pro Ecclesia Christi. Sic accipitur apud Zachariam loco citato. Et ratio est, quia filia Sion significat vrbum Ierusalem, iuxta primam acceptiōnem. At Ecclesia mysticè designatur per vrbum Ierusalem, vt §. 30. explicatum est: Ergo etiam per filiam Sion. Nihil ergo præsidij habes ex Zacharia, vt iam vides.

49. Postremò peccas, quia dum attendis ad ea, quæ Caluiniani professores tibi obtrudūt, negligis ea, quæ in sacris literis de Ecclesia & Synogoga scripta sunt. Quæ ista? Ut multa alia omittam, accipe hæc pauca. Primò, Apostolus comparat Synagogam cum ancilla, Ecclesiam cum Domina: illam cum Agar, quæ fuit repudiata; hanc cum Sara, quæ fuit vxor Abrahæ. (Ad Galat. 4.) Ex quo sequitur, quanto dignior est conditio Dominiæ, quām ancillæ, tanto digniorem esse Ecclesiam quam Synagogam.

50. Deinde Christus, qui est sponsus Ecclesiæ, sic illam alloquitur in Canticō Canticorum, cap. 1. ver. 7. *O pulcherrima inter mulieres, egredere.* Et ibidem v. 14.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarū. Et cap. 2. v. 2. Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias. Et c. 4 v. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea: corona-beris de capite Amana, &c. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c. Et cap. 5. v. 1. Veni in hortum meum soror mea sponsa. Et cap. 6. v. 3. Pulchra es amica mea, suauis & de-
cora. Et v. 8. Vna est coluba mea, perfecta mea, una est ma-
tris sue, electa genitrici sue. Viderunt eam filiae, & beatissi-
mam prædicauerunt: regina, & laudauerunt eam. Quæ est
ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut
Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

51. Vbi vnquam legisti similia de Synagoga? Hæc potius de illa legisti, Ierem. 2. 20. In omni colle sublimi,
& sub omni ligno fondono tu prosternebaris meretrix. Et paulò post: Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi her-
bam borith, maculata es in iniuitate tua coram me, dicit
Dominus tuus. Et cap. 3. v. 1. Tu fornicata es cum amato-
ribus multis. Et ibidem: Leua oculos tuos in directum, &
vide, ubi non prostrata sis. In viis sedebas, expectans eos,
quasi latro in solitudine: & polluisti terram in fornicatio-
nibus tuis, & in malitiis tuis, &c. Frons mulieris meretricis
facta est tibi: noluisti erubescere. Et cap. 5. v. 11. Præuarica-
tione præuaricata est in me domus Israël, & domus Iuda,
ait Dominus. Et Osee 2. 2. Ipsa non vxor mea, & ego non
vir eius. Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria
sua de medio überum suorum, ne forte expoliem eā nudam, &
statuam eā secundū diem nativitatis sue. Et alibi plura.

52. Hæc confer cum iis, quæ Ecclesiæ dicta sunt. Et facilè intelliges, Ecclesiam Deo coniunctiorem esse,
quam fuerit Synagoga. An non Domina coniunctior
est, quam ancilla? An non sponsa quam adultera? An
non decora, quam fornicaria? An non pulchra, quam
maculata? An non coronata, quam spoliata? An non
amica,

amica, quām præuaricatrix? Et quid opus est pluribus? Ipsí sponsus & sponsa testantur mutuum suum amorem, quo arctissimè inter se coniuncti sunt. Sic loquitur sponsus: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui, &c.* Et sic sponsa vicissim: *Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo.*

Epilogus.

13. **A**Tque hæc haec tenus mi D. Georgi. Quæ velim eo candore accipias, quo à me scripta sunt. Et tu ipse iam vide, quām infirmum ac debile sit argumentum, quo haec tenus à Caluinianis Professoribus persuasus es, Ecclesiam Christi errare ac deficere posse. Repetam id, si non tuis verbis, saltem tuo sensu. Est autem hoc.

14. Synagoga habuit tres prærogatiuas præ Ecclesia, quia & magis commendata est in Scripturis, & excellentiores habuit promissiones, & arctius cum Deo fuit coniuncta. At, non obstantibus his prærogatiuis, potuit errare ac deficere, & re ipsa errauit ac defecit: Ergo multò magis Ecclesia, quæ has prærogatiuas non habet, poterit errare ac deficere.

15. Sic tu, vel tui potius Caluinistæ. (Quanquam non amplius tui, si Catholicus es, vt te esse dicis.) At iam ostendi omnes illas prærogatiuas esse mera figura: Et Ecclesiam multis partibus Synagogæ præfrendam esse. Quod si ita est, ruit fundamentum, quo tota argumentatio tua nixa est. Vale, & Deum pro me ora. Viennæ Austriæ ex collegio Societatis Iesu, anno 1615. mense Februario.

Tuus ex animo

Martinus Becanus Societatis Iesu Theologus.

Appendix.

NE hæreas in iis , quæ dicta sunt , mi D. Georgi,
distinguendæ sunt hæ tres propositiones. Prima;
Synagoga abrogata est, Ecclesia non abrogabitur. Hæc ve-
rissima est. Altera; *Tota Synagoga , antequam abrogare-
tur, errauit in fide.* Tota Ecclesia nunquam errabit in fide.
Prior pars falsa, posterior vera est. Tertia; *Etiam si to-
ta Synagoga errasset in fide , non ideo consequens est, totam
Ecclesiam errasse aut erraturam in fide.* Et hæc veris-
sima.

OPV



OPVSCVLVM V.

A D I L L V S T R E M V I R V M.

De oratione pro defunctis.

E P I S T O L A.

NON ita prideam, illustris Domine, ab authore Caluiniano schedam mihi obtulisti, in qua ille solidus, ut putabat, arguento conatus est orationem pro defunctis, quam Catholici antiquo more usurpant, penitus labefactare & refellere. Quis author ille sit, nolim curiosè perscrutari, præsertim cum nec mea magnopere intersit; nec ad rem, de qua agitur, discutiendam necessarium. Hoc unum exte audire memini, esse hominem dignitatem illustrem, & opinione virtutis ac doctrinæ apud Caluinistas celeberrimum. Porro argumentum, quo uteretur, est huiusmodi:

Quidquid non est ex fide, est peccatum:

Orare pro mortuis non est ex fide:

Ergo est peccatum.

Probatio minoris.

Quidquid sit cum dubitatione, vel hæsitatione aliqua, non est ex fide:

Orare pro mortuis, sit cum dubitatione vel hæsitatione aliqua:

Ergo

Ergo non est ex fide.

Huius syllogismi maior probatur, quia fides est hypostasis rerum sperandarum. Si hypostasis, non admittit hæsitationem.

Minor probatur, quia, qui orant pro mortuis, ignorant statum mortuorum, id est, utrum mortui sint ex numero saluorum vel damnatorum, pro quibus nullis opus orationibus: an vero ex iis, qui Purgatorijs pœnis ad tempus addicuntur pro quibus forsan locum habent, aut habere possunt preces pro illorum liberacione conceptæ.

2. De hoc argumento (quod totidem verbis ab auctore propositum est) quid equidem sentirem, amicè ac familiariter sciscitatus es. Dixi tunc breviter, quod occurrebat. Nunc, quia aliquid otij à prælectionibus Academicis nactus sum, paulo futsius rem explicabo. Non quod necesse sit, te hominem Catholicum, & in similibus controversiis probè versatum, à me instrui: sed quia mei officij est, honestæ amicorum postulationi morem gerere. Igitur de toto negotio sic sentio. Primo, Bonum ac utile esse, orare pro defunctis. Secundo, Argumentum, quod in contrarium adfertur, niti tribus principiis, quorum primum infirmum est; reliqua aperte falsa. Tertiò, idem argumentum in aduersarium retorqueri posse. Hæc tria, eo ordine quo proposita sunt, sigillatim demonstrabo.

Bonum ac utile est orare, pro defunctis.

3. **P**rimò igitur, quod bonum ac utile est, orare pro defunctis, dupliciter probari potest. 1. Ex Scriptura, 2. ex communi praxi & iudicio primitiæ Ecclesiæ.

Ex

Ex Scriptura habemus luculentum testimonium , lib. 2 Machab. cap. 12. v. 43. vbi Iudas Machabæus iussit offerri sacrificium pro defunctis. Et factum eius ibidem approbatur his verbis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur.* Quod autem libri Machabæorum sint verè sacri & canonici, testatur Gelasius Papa in Concilio Romano (vt habetur Tom. 2. Conciliorum.) Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Innocentius Primus epist. 3. ad Exuperium capite 7. & plerique alij. Nec obstat , quod in Hebræorum Canonem relati non sint. Nam Canon iste, tempore Esdræ consignatus est, cum libri Machabæorum nondum extarent. Non igitur in illum Canonem referri poterant.

4. De communi praxi & iudicio primitiæ Ecclesiæ, scribit Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda , capite 1. his verbis: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed, et si nisquam in Scripturis veteribus legeretur, non parua tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: vbi precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. 4. *Non sunt permittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis suscepit Ecclesia.*

5. Porro, quanti momenti in hoc punto sit universæ Ecclesiæ authoritas , ex eo generatim constare potest, quod Ecclesia in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, errare non possit. Est enim firmamentum & columna veritatis ; contra quam portæ inferi nunquam præualebunt. Speciatim verò ex alio triplici capite. Primo, quia Ecclesia in hoc punto sequitur exemplum Iudæ Machabæi, quod à Scriptura approbatum est, vt paulò ante ostendi. Secundò, sequitur doctrinam & institu-

tionem Apostolorum , vt testatur Chrysostomus homilia 69.ad populum : *Non temere, inquit, ab Apostolis hæc sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* Et ante illum Tertullianus in libro de corona militis. Tertiò , quia hæretici olim habiti sunt , qui in hoc punc̄to ab Ecclesia dissentiebant , vt patet ex Augustino libro de hæresibus capite 53. vbi sic scribit : *Aeriani de Aerio quodam sunt nominati, qui cum esset presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari: & in Arianorum hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* De quo plura vide apud Epiphanius hæresi 75.

Argumentum, quod contra adfertur, nittitur infirmis & falsis principiis.

6. **A**rgumentum , quo aduersarius usus est , nittitur his tribus principiis. Vno, quod illud Apostoli, Romanorum 14.vers.23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est;* intelligendum sit de ea fide , quam idem Apostolus Hebræorum 11.vers.1.dicit esse hypostasin seu substantiam rerum sperandarum , argumentum non apparentium. Altero, quod hæc fides excludat omnem dubitationem & ignoratiōm, etiam illam, qua quis ignorat statum illius, pro quo orat: adeò ut is non censeatur orare ex fide, sed contra fidem, qui dubitat aut ignorat, in quo statu alter sit, pro quo orat. Tertiò, quod generatim loquendo, quicunque orat pro defunctis , ignoret statum, in quo sunt.

7. At p̄imum principium, vel falsum, vel certè infirmum est. Nam plerique Scripturæ Interpretes aperte docent, fidem, de qua Apostolus loquitur , non sumi
pro

pro hypostasi rerum sperandarum (quod tamen ut certum & indubitatum supponit author Caluinianus) sed potius pro persuasione seu dictamine conscientiae, quo quis iudicat, hoc vel illud sibi licitum esse, aut prohibitum. Itaque hunc esse sensum Apostoli: Tunc hominem peccare, quando agit contra dictamen vel persuasionem propriæ conscientiae. Quidquid enim sit reclamante & renitente conscientia, siue alias ex se bonum, siue malum sit, peccatum est. Atque ita sentiunt Chrysostomus, Ambrosius, Theodoreetus, Theophylactus, Oecumenius, & alij in Commentario illius loci. Et præterea Innocentius Papa capite finali, de præscriptionibus. Item ex recentioribus, non modo Catholici, sed etiam Caluinus ipse: *Merito, inquit, præuaricationis arguitur, qui contra testimonium conscientiae pergit.*

8. Et hunc esse legitimum sensum Apostoli patet ex decursu totius capituli. Instruit enim nouos Christianos (qui partim ex Iudeis, partim ex gentilibus conuersi erant ad Christum) quomodo deberent se gere-re in usu ciborum. Iudei putabant legem Mosaicam de ciborum discrimine adhuc seruandam esse: ac proinde abstinebant ab iis cibis, qui secundum legem Mosaicam erant immundi & prohibiti. Gentiles vero nullum faciebant discriminem inter cibos, sed promiscue omnibus vtebantur. Hinc oriebatur contentio inter illos. Nam Iudei iudicabant gentiles male agere, quod à certis cibis non abstinenterent. Et vicissim gentiles iudicabant Iudeos supersticiosos esse, quod abstinenterent. Utrosque arguit & instruit Apostolus in toto capite. Ac primum iucit: *Is, qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit.* quasi dicat. Gentilis, qui manducat cibos lege prohibitos,

non spernat Iudæum abstinentem ab eiusmodi cibis. Et Iudæus, qui abstinet, non iudicet Gentilem male agere, si non abstineat. *Vnusquisque in suo sensu abūdet, id est, cùm ista res de ciborum discrimine sit indifferens (spectando præcisè legem Mosaïcam, quæ tunc erat abrogata) quisque sentiat & faciat, quod sibi videtur.* Iudæus abstineat; gentilis manducet, si vult. Neuter tamen alterum iudicet, quasi malè agat. *Nam qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo: Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Ostendit neutrum malè agere, ac proinde neutrum temerè iudicandum esse. Nam gentilis, qui manducat cibos lege Mosaïca prohibitos, ad Dei gloriam manducat: Et Iudæus qui abstinet, ad Dei gloriam abstinet. Utique enim gratias agit Deo: ille, quia promiscuè vtitur omnibus: hic, quia vescitur licitis, & lege Mosaïca concessis. Non ergo amplius inuicem iudicemus sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum, id est: Quandoquidem ostendi vtrunque bene agere, & Iudæum abstinendo, & gentilem manducando cum gratiarum actione, non amplius debet alter alterum iudicare, quasi malè agat. Hoc tamē cauendum est, ne alter alterum in hac parte offendat, aut scandalizet. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Vbi commune idem est quod immundum, seu lege Mosaïca prohibitum, ut patet ex alio loco, Actor. 10.14. *Nunquam manducavi omne commune & immundum.* Est ergo sensus: Scio lègēm Mosaïcam, quæ ponit discriminem inter cibos mundos & immundos à Christo abrogatam esse, ac proinde nullam cseam apud Christianos immundam esse vi legis Mosaïcæ, nisi ei, qui ex erronea conscientia indicat immundam esse, eo quod putet lègem Mosaïcam ex ea parte adhuc obligare. De quo

quo infra subdit: *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* quasi dicat, *Qui discernit inter cibos mundos & immundos, existimans non licere manducare immundos, si nihilo minus manducat, proprio iudicio damnatus est, quia facit contra persuasionem seu dictamen propriæ conscientiæ. Quidquid autem fit contra dictamen propriæ conscientiæ, peccatum est.*

9. Ex quo discursu manifestè colligimus, Apostolum non loqui de ea fide, quæ est substantia rerū sperandarum, & à qua propriè fideles nominamur: sed de ea, quæ consistit in persuasione cōscientiæ circa honestatem vel turpitudinem facti. Est autem magnum discrimen inter vitramque fidem. Nam prior versatur circa mysteria à Deo reuelata: posterior circa res licite faciendas aut non faciendas. Priori credimus vera esse, quæ à Deo reuelata sunt: posteriori iudicamus, licite aliquid fieri vel non fieri posse. Prior excludit omnem errorēm circa suum obiectum: posterior potest esse cum errore. Nam qui credit vera esse, quæ à Deo reuelata sunt, non errat. At qui iudicat hoc licitum, illud prohibitum esse, potest errare, & sēpe errat. De priori loquitur Apostolus Hebr. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et Rom. 3. 28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* De posteriori intelligenda est Regula iuris in 6. *Possessor male fidei non prescribit.* Et axioma iureconsultorum, *Ad prescriptionem requiritur bona fides:* ut interpretatur Innocentius in Magno Concilio Lateranensi, cùm ait: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absq; bona fide prescriptio, tam canonica quam ciuilis; cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari.* Vnde oportet, ut qui prescribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ

conscientiam. Quæ verba referuntur in iure canonico,
cap. finali, de præscriptionibus.

10. Ex dictis formo tale argumentum. Apostolus Roman. 14. agit de Iudæis & gentilibus ad Christum conuersis, qui habebant contrarias persuasiones, non circa mysteria fidei à Deo reuelata, sed circa cibos licet manducandos, vel non manducandos. Iudæi putabant aliquos illicitos & immundos esse. Gentiles, nullos esse illicitos aut immundos. Neutri tamen ex ea parte erant culpandi; quia persuasio illorum, licet esset contraria, erat tamen de re (saltē eo tempore) indifferentē. At si fuisset contraria persuasio circa mysteria fidei à Deo reuelata, non fuisset de re indifferentē, nec utrique fuissent sine culpa. Non enim licet de mysteriis à Deo reuelatis habere contrarias persuasiones: nec ibi locum haber, quod dicit Apostolus: *Vnusquisque in suo sensu abundet.*

11. Hæc sufficiant de primo principio. Ex quo si aduersarius velit aliquid conclude re, formandus erit hic syllogismus: Quicunque facit aliquid contra dictamen propriæ conscientiæ, peccat: At Catholici, dum orant pro defunctis, faciunt aliquid contra dictamen propriæ conscientiæ: Ergo peccant. In quo syllogismo maior vera est, sed minor falsa. Non enim Catholici iudicant in conscientia, illicitum esse orare pro defunctis, sed licitum & laudabile. Non ergo orant contra dictamen suæ conscientiæ; sed ex dictamine suæ conscientiæ.

Alterum principium discutitur.

12. Alterum principium aduersarij est, fidē Christianam, quæ est hypostasis rerū sperandarū, excludere omnem penitus dubitationem, etiam illam, qua

qua quis ignorat statum illius, pro quo orat. Hoc a parte falsum est. Solum excludit dubitationem circa proprium obiectum, id est, circa articulos à Deo reuelatos, qui per fidem creduntur. Nam de illorum veritate non licet dubitare. At de aliis rebus, quæ à Deo reuelatae non sunt, salua fide, dubitari potest, verbi gratia; non licet dubitare de Trinitate personarum in Deo, de morte & passione Christi, de eiusdem resurrectione & ascensione ad cœlos, de missione Spiritus sancti, de futura mortuorum resurrectione: quia hæc omnia à Deo reuelata sunt. Potest tamen aliquis, salua fide, dubitare, an personæ diuinæ, præter tres subsistentias relatiuas, habeant aliquam subsistentiam absolutam? an Christo in sua passione dextrum, an sinistrum latus fuerit lancea perforatum? an Christum ad cœlos ascendentē comitati sint Adam & Eva? an Spiritus sanctus æqualiter datus sit omnibus, quibus in Pentecoste datus est? an omnes mortui resurrecturi sint in eadē corporis quantitate? Nam hæc & similia, speciatim à Deo reuelata non sunt.

13. Idem dico in nostro casu. Nam qui orat pro se, vel pro alio, non debet dubitare de iis, quæ sub fidem cadunt: potest tamen dubitare de aliis, quæ sub fidem non cadunt: verbi gratia. Non debet dubitare de his duabus. Primò quod Deus promiserit se exauditurum nostras orationes, si debito modo ab eo aliquid petamus, & aliunde nihil obstat. Secundò, quod Deus sit verax & fidelis in promissis. Nam utrumque cadit sub fidem: utrumque à Deo reuelatum est. Prius quidem, Joan. 16.

23. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Posteriorius vero Hebr. 10. 24. Fidelis est, qui repromisit. Igitur, qui orat Deum, de neutro debet dubitare, iuxta illud Iacobi cap. 1. vers. 5. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat

omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur. Postulet autem in fide, nihil hesitans. Qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo estimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.

14. Potest tamen, qui orat, salua fide dubitare de his tribus. Primo, an impetraturus sit, quod petit pro se. Secundo, an impetraturus sit, quod petit pro altero. Tertio, in quo statu sit alter, pro quo aliquid petit. Nam haec tria non sunt speciatim à Deo reuelata, ut ostendam de singulis.

15. Ac primo, qui orat, salua fide dubitare potest, an sit impetraturus, quod petit pro se. Quamuis enim certa ac infallibilis sit haec Dei promissio, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: nō tamen est absoluta, sed conditionata. Debet enim intelligi cum hac dupli conditione. Vna Dabitur vobis, si pie & perseveranter petieritis. (Luc. 11.8. & cap. 18.5.) Altera, Dabitur vobis, si expediatur. At nos saepe dubitamus, an expediatur, necne. Et reuera saepe non expedit, quando putamus expedire. Habemus clarum exemplum in Apostolo Paulo, qui ter Dominum rogauit, ut auferretur ab eo stimulus carnis. Et sine dubio putabat expedire, ut id fieret. Et tamen non expediebat: ideoque quod petiuit, non impetravit. Sic enim de seipso testatur 2. Corinth. 12. 7. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanae, qui me colophizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Vnde Augustinus tractatu 7. in Ioannem: Nouit Deus, quid nobis expediatur. Id agamus tandem, ut cor nostrum sanum sit à peccatis. Et quando flagellamur forte in corpore, ipsum deprecemur. Rogauit cum Paulus Apostolus, ut auferret ab eo stimulus carnis, & non luit auferre. Nunquid perturbatus est, & nunquid contristatus*

statis dixit se desertum? Magis dixit, se non desertum quia non ablatum est, quod volebat auferri, ut illa infirmitas sanaresur.

19. Secundò, potest quis salua fide dubitare, an impetraturus sit, quod petit pro alio: idque ex duplice capite. Primo, quia Deus non promisit se exauditum orationes nostras, quas fundimus pro aliis, sed quas fundimus pro nobisip̄sis, ut passim docent Theologici cum Augustino tractat.^{102.} in Ioan. vbi explicans illam Christi promissionem: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: sic habet: Ita sancte intelligendum est, quod ait, Dabit vobis, ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quae ad eos, qui petunt, proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis: non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non ut cunque dictum est, Dabit sed, Dabit vobis.*

Secundò, quia saepe fit, ut alius, pro quo aliquid petitum, indignus sit propter sua flagitia, ut notat D. Thomas in 2.2.q.8; art.7.ad 2.his verbis: *Cōtingit quādoque, quod oratio pro alio facta non impetrat, etiam si fiat pie & perseveranter propter impedimentum, quod est ex parte eius pro quo oratur.* Et hoc dupliciter confirmari potest. Primo, testimonio Dei qui apud Ieremiam cap.7.vers. 16. ait: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiā te.* Causam addit: *quia libant Diūs alienis, & ad iracundiam me prouocant.* Et cap. 15.v.1. *Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Secundò, exemplo Christi & Stephani protomartyris. Nam Christus orauit pro omnibus crucifigentibus se, Lucæ 23. v. 34. *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Et similiter Stephanus pro omnibus lapidantibus se, Act. 7.59. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et tamen neuter pro omnibus impetravit, quia

propter superbiam & duritiam cordis nō erant digni.
 17. Tertiò , potest quis salua fide dubitare de statu
 alterius, pro quo orat. Potest enim dubitare, dignus
 an indignus sit: iustus an impius: prædestinatus an re-
 probatus: viuens an mortuus : in cælo an apud inferos.
 Et sic deinceps. Hæc enim sub fidē non cadunt. Certè
 Stephanus, cùm oraret pro lapidantibus, non sciebat,
 in quo statu quisque illorum esset: an scilicet ex eorū
 numero, quibus ad salutē profutura esset oratio, sicut
 profuit Saulo: an ex aliorum numero, quibus profu-
 tura non esset, cuiusmodi erant plerique Pharisæi. Et
 tamē pro omnibus, sine exceptione, orauit: *Ne statuas*
illis hoc peccatum. An ideo oratio eius non fuit ex fide ?
 Absit. Similiter Apostolus Paulus, dum Romæ esset in
 vinculis, scribebat Ephesiis & Colossensibus, ut insta-
 ter & omni tempore pro ipso orarent (Ephes.6.19. &
 Coloss.4.3.) Nec dubium est, quin id fecerint. Et ta-
 men, dum postea, elapsi temporis interuallo, pro ab-
 sente orarent, merito poterant dubitare, in quo statu
 ipse tunc esset: an adhuc Romæ teneretur in vinculis,
 an capite iam plexus, an aliò ablegatus esset. An ideo
 non orabant ex fide? Et quid opus est antiquis exem-
 plis? Hoc ipso tempore, non modo Catholici, sed etiā
 Lutherani & Caluinistæ, frequenter orant pro absen-
 tibus ægrotis : Et dum orant, saepè nesciunt, viui an
 mortui sint, pro quibus orant. Nec ideo putant se pec-
 care, quasi non orent ex fide.

Tertium principium discutitur.

18. **T**ertiū aduersarij principiū est, eos, qui orant
 pro defunctis, ignorare illorum statum. Quod
 etiam falsum est, si absolute & sine limitatione affera-
 tur.

tur. Nam duobus modis potest aliquis orare pro defunctis. Primò genetativi pro iis omnibus, qui sunt in Purgatorio, quicunque tandem illi sint. Et sic non ignorat statum eorum, pro quibus orat. Imò melius perspectum habet, quam statum aliorū, qui nobiscum viuunt. Nam de illis, qui in purgatorio sunt, determinatè hæc nouit. Primò, quod habeant fidem, spem, charitatem; & consequenter, quod sint in statu gratie. Secundò, quod certò futuri sint hæredes vitæ æternæ. Tertiò, quod antequā adeant hæreditatem vitæ æternæ, debeant prius aliquid sustinere ac pati. Quartò, quod per nostras preces & suffragia iuuari possint, ut citius ab illa pœna liberentur. At de illis, qui adhuc degunt in hac vita, tam multa in hoc genere non nō uit. Si ergo, salua fide, potest orare pro degentibus in hac vita, quorum statum ignorat; multò magis pro degentibus in Purgatorio, de quorum statu non dubitat.

19. Secundò, potest speciatim orare pro hoc aut illo defuncto in particulari, ut v.g. pro patre aut matre. Et sic, ut plurimum, verum est, quod ignoret statum illius pro quo orat. Non enim certò scit, an pater, pro quo orat, sit in Purgatorio, an alibi. Nec ideo tamē, aut male, aut frustra orat. Non male, quia non requiritur in orante, ut sciat statū illius, pro quo orat, ut iam ostensum est. Potest enim orare cum hac conditione: Offero tibi Domine has preces pro parente meo defuncto, si indiget. Nec frustra, quia etiamsi nihil impetreret ei, pro quo orat (quod s̄æpe fit) non ideo vacua & infructuosa est oratio. Prodest enim ipsi oranti, iuxta illud Dauidis Psal. 34.v.13. *Oratio mea in sinu meo conuertetur, id est; Tamen si non proficit aliis, pro quibus oraui, (quia indigni sunt) ego tamen nō sum frustratus mea mercede,* ut explicat D. Thom. in 2.2.q.83.art.7.ad 2.

Simile est illud Matth. 10. 13. *Intrantes autem domum, salutare eam dicentes: Pax huic domui. Et, si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.*

20. Ut hoc melius intelligatur, notandum est, ex communi sententia Theologorum, orationem hominis iusti, præterquam quod adferat menti consolacionem spiritualem, habere triplicem vim seu efficaciam. Vnam merendi, quatenus procedit ex charitate. Alteram satisfaciendi, quatenus est pœnalis. Tertiam impetrandi, quatenus est petitio. Vide D. Thomam in 2. 2. q. 83. artic. 15. & in supplemento quæst. 15. artic. 1. Valentiam tom. 3. disput. 6. quæst. 2. p. 4. Cardinalem Bellarminum lib. 1. de Indulgentiis cap.

21. Prima efficacia est illi communis cum quoquis opere bono, quod procedit ex charitate. Nam omne opus bonum hominis iusti in hac vita, quod à charitate vel elicitor, vel impetratur, meritorium est, ut docet D. Thomas priori loco citato. Sicut è contrario, quod procedit ab homine, qui non habet charitatem, quantumvis alioqui bonum & honestū videatur, non est meritorium, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 13. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

22. Altera efficacia illi communis est cum quoquis opere pœnali. Nam omne opus hominis iusti, quod in executione aliquam pœnam vel molestiam adfert operanti, satisfactorium est pro pœna temporali peccatis debita. Hinc visitatum est in Ecclesia Catholica, ut Sacerdotes imponant pœnitentibus aliquod opus laboriosum pro satisfactione, ut v. g. ieunium, flagellationem

lationem corporis, longam orationem, & similia pietatis exercitia. Nam sicut per confessionem & absolutionem tolluntur peccata, quoad culpam ; sic per opera poenalia tolluntur quoad poenam. Vtrumque tamen fit ex meritis Christi, quæ nobis per eiusmodi media applicantur.

23. Tertia efficacia est illi propria ac peculiaris. Nam sicut ieiunio, præter communem vim merendi ac satisfaciendi, peculiare est corpus macerare, & spiritui subiicere eleemosynæ, proximorum miseriæ succurrere : sic orationi, aliquid à Deo impetrare. Nam ideo propriè oramus seu petimus, ut impetremus, iuxta illud Matth. 7.7. *Petite, & dabitur vobis.*

24. Hinc infero, orationem hominis iusti in hac vita, nunquam esse sine fructu. Tametsi enim non semper impetrat, quod petitur ; nihilominus retinet efficaciam merendi & satisfaciendi. Nam homo iustus, quotiescumque legitimè orat, meretur augmentum gratiæ, & satisfacit Deo pro aliqua poena temporali, cui obnoxius est.

Argumentum aduersarij retorquetur in ipsum Aduersarium.

25. **H**Aec tenus ostendi, argumentum aduersarij nullam habere vim, ex duplice capite. Primo, quia oportugnat Scripturam, & communem Ecclesiæ consuetudinem. Secundo, quia nititur falsis principiis seu fundamentis. Nunc ex alio capite idem demonstrabo, facta prius duplice suppositione. Una est, quod sicut nos Catholici oramus pro defunctis ; sic etiam aduersarij orant pro viuentibus. Altera, sicut nos aliquando dubitamus, in quo statu sint defuncti, pro

quibus oramus; sic etiam aduersarij s̄æpe dubitant, in quo statu sint illi, pro quibus ipsi orant. Nam s̄æpe orant pro absentibus ægrotis, aut in necessitate constitutis; & tamen eo ipso tempore, quo orant, non sciunt præsentem illorum statum. Et aliquando fit, ut quos putat ægrotos adhuc esse, iā mortui sint, aut sani.

Præmissa hac duplii suppositione retorqueo argumentum in aduersarios, hoc modo:

Quidquid non est ex fide, est peccatum:

Oratio Caluinistarū pro absentibus nō est ex fide:

Ergo est peccatum.

Probatio minoris.

Quidquid fit cum dubitatione, vel hæsitatione aliqua, non est ex fide:

Oratio Caluinistarum pro absentibus fit cum dubitatione, vel hæsitatione aliqua:

Ergo non est ex fide:

Huius syllogismi maior probatur, quia fides est hypostasis rerum sperandarum. Si hypostasis, non admittit hæsitationem..

Minor probatur, quia Caluinistæ, qui orant pro absentibus, ignorant statum absentium, id est, vtrum absentes sint ex numero viuentium, an mortuorum.

Quid hic dicent aduersarij? An concedent argumentum hoc esse efficax? Si efficax est, damnat ipsos aduersarios. Si non est, non obest Catholicis in simili casu. Quorsum ergo obtruditur? Sed vt clarius appearat, efficax non esse, respondebo ad vtrumque syllogismum in forma, ex iis, quæ dicta sunt. Igitur prior syllogismus debet formari hoc modo:

Quicquid fit contra dictamen conscientiæ, peccatum est:

Orare pro defunctis vel absentibus, fit contra dictamen conscientiæ:

Ergo

Ergo peccatum est.

Maior vera est; minor falsa, ut supra insinuaui. Nihil ergo legitimè concluditur. Posterior formandus est hoc modo.

Quidquid fit cum aliqua dubitatione circa res à Deo reuelatas, non est ex fide.

Orare pro defunctis vel absentibus fit cum aliqua dubitatione circa res à Deo reuelatas:

Ergo non est ex fide.

Hic iterum maior vera, minor falsa est. Nec probatio minoris vim haber. Nam qui ignorat statum defunctorum aut absentium, non dubitat de aliqua re à Deo reuelata; sed de eo, de quo, salua fide, dubitari potest, ut supra explicatum est.

E P I L O G V S.

26. **H**æc sunt, Ornatiſſimè Domine, quæ ad diſluendum aduersarij argumentum oportuna videbantur. Si plura dixi, quām necesse est, facile, ut opinor, ignoscas. Currentem calamum cohibere quis potest? Si pauciora, paratus sum addere, quæ desunt. Tantum indica, & faciam. Interea, quod initio monui, certo tibi persuadeas velim, non eo animo à me scripta hæc esse, ut te instruam (satis in simili materia instruēns es) sed ut morem tibi geram. Rogasti, ut facerem: feci. Amicis hoc familiare est.

27. Quod attinet ad aduersarium, tuæ discretionis ac prudentiæ est, vel exhibere illi hanc meam chartam, vel apud te seruare. Ingenium & stomachum hominis non noui. Si tu nosti (quod verisimile est) fac ex æquo & bono, quod in Domino videbitur. Ego certè (saluo meliori iudicio) non eodem modo cum omnibus agendum censeo. Quod ut liberius explicem, sic accipe.

28. Triplicè ferè aduersariorum genus est. Alij in suo errore pertinaces sunt: alij zelosi: alij dubij seu fluctuantes. Pertinaces sunt, qui agnoscunt se recedere à communi sensu Ecclesiæ, & tamen persistunt in sua opinione. Hi propriè dicuntur hæretici. Zelosi sunt, qui cùm ex quadam ignorantia persuasum habeant, suam sectam esse veritati consantaneam, magno studio ac ardore illam tuentur, parati etiam vitam pro ea exponere, ut præ se ferunt. Dubij sunt, qui simplici ac recto corde quærunt veram fidem & religionem: Et quia per se non possunt eam reperire, debent ab alijs iuuari ac instrui.

29. Primi similes sunt Pharisæis: secundi, Apostolo Paulo ante conuersionem: tertij, Nicodemo in Evangelio, & Eunucho in Actibus Apostolorum. Et primi quidem rarissimè conuertuntur, propter superbiam & duritiam cordis, iuxta illud Ioannis 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia Deus excecauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Secundi vero, qui non ex malitia, sed ex ignorantia errant, sæpe à Deo misericordiam consequuntur, vt Paulus de seipso testatur 1. Timoth. 1. 13. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Tertij denique, si incident in bonos viros, à quibus instruantur, facile iuuari solent: quo pater Nicodemus à Christo, & Eunuchus à Philippo instructus & adiutus est.

30. Igitur, cum his omnibus, vt dixi, non eodem modo agendum est. Ac primo, pertinaces non facile admittendi sunt ad disputationem de fide & religione, quia cùm sint superbi & contumaces, non volunt resipiscere, etiamsi manifestè conuincantur. Nec inter omnes hæresiarchas ullum hactenus constat resipuisse, nisi Berengarium. Vnde rectè Apostolus ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem denisi-*

denita, quia subuersus est, & proprio iudicio condemnatus. Et Christus Matt. 15. v. 14. Sinite eos: cæci sunt & duces eorum. Si tamen cum illis agendum est, propter fructum aliorum, tria seruari debent. Primo, coercendi sunt intra limites certæ alicuius materiae, ne ex una in aliam dilabantur. Hoc enim fit sine fructu. Secundo restringendi ad formam syllogisticam, ut vis argumenti appareat.

Te*tiò*, palam confundendi & increpandi. Sic Christus agebat cum Pharisæis Matthæi 23. vers. 13. *Væ vobis Scribae & Pharisæi hypocrita.* Et Ioannes Baptista Matthæi 3. vers. 7. *Progenies viperarum.* Et Stephanus Actor. 7. vers. 51. *Dura cernice & incircumcisissimis cordibus: vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Hæc confusio dupliciter prodest. Primo, quia per eam minuitur authoritas hæreticorum. Secundo, alijs, qui illis adhærent, incipiunt eos contemnere & detestari. Debet tamen esse confusio rationabilis, quæ non fiat per concititia & maledicta, sed per iustam reprehensionem, aut apertam victoriam.

31. Cum zelosis, qui pertinaces non sunt, contrario modo, id est, modestè & beneuolè agendum est. Nec tam rationibus & argumentis obruendi, quam Deo per orationem commendandi sunt. Sic Stephanus orabat pro Saulo, qui ex præpostero zelo defendebat Synagogam, & persequabatur Ecclesiam. De quo Aug. serm. 1. de Sanctis. *Si, inquit, S. Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Et serm. 4. *Ideo de terra erexitur est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.*

32. Dubij denique seu fluctuantes, qui sincerè quaerunt veritatem, fraternè & ad cuiusque captum accommodatè tractandi sunt: Et aliter docti & ingeniosi; aliter rudes & idiotæ instruendi. Sumamus exemplum à Chri-

Christo. Is simplicem Iudæorum turbam instruebat per parabolas & similitudines. Discipulis in Emaus euntibus, Mosen & Prophetas interpretebatur. Nicodemus Baptismi necessitatem ex analogia humanæ generationis explicabat. Mulieri Samaritanæ, se Messiam esse ex eo persuadebat, quod ostenderet se omnia scire, quæ circa illam essent. Hoc ipsa fassa est. *Ioan. 4.29.*
Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq;
feci. Nunquid ipse est Christus?

33. Hæc genetarim de triplici errantium genere à me dicta sint. Nunc vide, in quo genere sit aduersarius, de quo agimus. Non credo pertinacem esse. Aut si est, ægrè sanabitur. Nihilominus experite, si vis, quid in tam clara luce dicturus sit. Facilius cum illo transiges, si non pertinax, sed vel zelosus, vel dubius est. Zelosum præcibus; dubium rei perspicuitate ad mentem reuocabis. Quod ut fiat, Deum Opt. Max. supplex oro, & te incolumem, illum Catholicum esse ex animo precor. Vale Illustris Domine, & Deum vicissim pro me ora.

Viennæ in diebus Rogationum, Anno Christi millesimo sexcentesimo decimoquinto.


Illustri. Dom. VI.


Addictissimus

Martinus Becanus














A
28 - 318